

ris: largire supplicibus tuis: & eorū
semper ptectione defendi, & eter-
na societate gaudere. Per dñm no-

Lectio libri Exodi. ca. 23.

Hæc dicit dominus Deus, Ec-
ce, ego mittam angelū meū,
qui pcedat te, et custodiat in via:
& introducat ad locum quem pre-
paravi. Obserua eum, & audi vo-
cem eius: nec contemnendum pu-
tes: quia non dimittet cum pecca-
ueris: & est nomen meum in illo.
Quòd si audieris vocem eius, & fe-
ceris omnia quæ loquor: inimicus
ero inimicis tuis: & affligā affligē
tes te. Pcedetq; te angelus meus
dicit dominus omnipotens.

Graduale. Benedicite dominum om-

lorum. Et qui sulceperit vnu par-
vulum talem in nomine meo: me-
suscepit. Qui autem scandalizaue-
rit vnum de pusillis istis, qui in me
credidit, expedit ei, vt suspendatur
in blasfemia in colloquio. & de-
scendat in profundum maris. Vt
mūdo a scādalis. **N**o enim
vt veniant scandalū
vẽ homini illi per e-
venit. Si autem manus
tuus scandalizat te: abice eam
et projice abs te. Bonum est tibi ad
vitam ingredi debilẽ vel claudū,
quàm duas manus, vel duos pedes
habentem miti in ignem eternū.
Et si oculus tuus scādelizat te: erue
eū, et projice abs te. Bonū est tibi
cum

0
2
4
6
7
12
13
14
15
16
17
19

R. 1360

**DIALECTICA
DISPUTATA
PER QVÆSTIONES,
ET ARTICVLOS DISTINCTA,
IVXTA MENTEM D. THOM.**

AUTHOR E.

R. A. P. M. F. FROYLANO DIAZ LEGIONENSI,
*Filios Conventus Sancti Pauli Vallis-Oletani, quondam in Insigni
D. Gregorij Regente, & modo Primariam Cathedram D. Th.
Moderante in Universtrate Complutensi, & in Collegio
Sancti Thome eiusdem urbis Regente.*



*Alonso
Granado
S.B.L.
1701.*

CVM PRIVILEGIO.

**Vallis-Oleti: Ex Typographia Regia IOSEPHI
ARVEDA.**

R. 1360

DIALECTICA
DISPUTATA
PER QUÆSTIONES,
ET ARTICULOS DISTINCTA,
IVXTA MENTEM D. THOM.

AUTHOR E.

R. A. P. M. Fr. FROYLANO DIAZ LEGIONENSI,
Filio Conventus Sancti Pauli Vallis-Oletani, quondam in Insigni
D. Gregorij Regente, & modo Primariam Cathedram D. Th.
Moderante in Vniuersitate Complutensi, & in Collegio
Sancti Thomæ eiusdem urbis Regente.

Handwritten signatures

Handwritten signatures


Anno



1701.

CVM PRIVILEGIO.

Vallis-Oleti: Ex Typographia Regia IOSEPHI
A RVEDA.



AD ILL^{MVM.} ET R^{MVM.}

D. D. Fr. ANTONIVM DE SANJVRJO,
à Regijs Consilij, & Asturicensem Episco-
pum, Sapiaentia cognitum, fama publicum,
& præclaris Dotibus in Hispania
Prædicatum.



D. T. E. PRÆSVLEM

venerabilem, celeberrimi
Conventus Sancti Pauli
Vallis-Oletani emispherij
clarissimi Solem, hæpericæ
Provincia discem, & Gre-
gis Dominicani dulcissi-
mam Prolem: Ad te, qui

solatium es miseris, levamen egenis, exemplar
perfectis, lumen ignaris, æqualis omnibus, unus
cunctis, in Virtute Dives, in Sapientia Gran-
dis, in Celo Flamen, in Eloquentia Flumen;
quem in Dicecesi Asturicensi amant divites,
clamant Pauperes, & omnes Pastorem dicunt,

Cant. 5. Mal. ibi.
Hugo ibidem.
dum Patrem agnoscunt, qui Divina cupis,
humana non ambis, & altissimi curas gloriam
ut efferas Palmam, qui omnium ad implem fa-
mam, & vita formulam vis renovare Pris-
cam: Ad te Pastor lenitatis, cui semper ovium
vigil est cura salutis, qui gloriose agis, & inter
lumina vivis, qui reducis in ovile gregem ani-
marum dum illis veterum praestas consilia viro-
rum, cuius cultura flores apparuerunt in Astu-
ricensi terra, aut bonorum initia. Cuius manus
tornatiles plena Hiacintis, tornatiles in cito, &
hilariter dando, aurea per discretionem discer-
nendo, & plena hiacintis, id est intentione recta
ut explicat prima Purpura nostra: Ad te Vir-
gam vigilantem sub eius umbra frondosa, tua
iam sedit Ecclesia, quem Jupiter ardens, aut
celus fortis, aut vexit ad ethera virtus: Ad
te quidem Illustrissimum Sanjurjo, quem ius
Fovis insonant littera clarum, vel iuris Iota
nomen vociferat ipsam, nec tamen miror, cum
Antonium, vel Notanium Fovis filium in vi-
dus Apollo sibi proprium arrogaret alumnum,
& utrumque nomen unum solum vertat Anto-
nium, quem Doctoris huius temporis ipsius
Apollinis, vel ut alterius Enea venerantur
Ascanium: Ad te ergo cuius laudes uterque

con-

concinat Axis, quacumque patet terrarum ma-
ximus orbis, quaque sol mane curru flamante
reducit, qua Lucifer fessus sero iam vespere con-
dit: Ad te tandem pro tota domo Vallis-Oleta-
na, accedit humilliter initium Dialecticae no-
stra, non attendas precor donum, sed pensabis
affectum, scis namque quod non Leo fortissimus
tuis offertur oculis, sed de legione tantum canis
tibi ponitur aris, & licet timidus, tua celsitu-
dinis liber accesserit undis, gaudemus tamen
manibus cecidisse Paternis, benedic ergo nos
omnes sancte, qui semper in oblita reppetimus
tua munera mente, & me minimum ad pedes:
Iuscipe, siquidem Deus omnipotens me dedit ad
te trahi, & ab uno sidere duci. O! utinam:
Praesul Illustrissime vivas, vivas etiam dies
aeternos, & de nostris simul addat tibi Jupiter
annos.

Ad pedes vestrae Illustrissimae, &
Reverendissimae Dominationis.

Frater Froylanus Diaz.

93

NOS

*NOS Fr. ANTONIVS CLOCHE,
Sacrae Theologiae Professor, ac totius Ordinis
Prædicatorum humillis Magister
Generalis, & servus.*

MVNERIS NOSTRI EST INTER DVM NON volentes currere in citare, interdum verò currentibus quoque calcar addere; sanè non cum levi gaudio nostro accipimus te R. A. P. Magist. Fr. Froylanum Diaz, Collegij nostri Sancti Thomæ Regentem, & Complutensis Vniuersitatis Publicum Sancti Thomæ Primarium in Sapientia, & doctrina D. Thomæ apprime instructum, quodque non sine scholæ nostræ fructu eius doctrinam per aliquot annos in nostro insigni Collegio D. Gregorij Vallis Oletani publicè dictaveris, atque ad aliqua ingenij tui in publicam exhibenda opera te accinseris; quare tenore præsentium, & officij nostri auctoritate in meritum sanctæ obedientiæ, quo tibi maius assurgat incitamentum, præcipimus tibi atque strictè mandamus, vt cursum integrum artium omnino perficere proposse componendo satagas, atque typis mandare procures, quo iuuentus promptiori, & utiliori stilo utilitèr imbuatur. Maiora de inceptis tibi præcepturi, quæ ex collatis tibi à Domino talentis speramus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Datis Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Mineram, dia 30. Augusti 1693.

*Fr. Antonius Cloche.
Mag. Ordinis.*

Reg. fol. 16.

*Fr. Iosephus de Saravia.
Mag. & Socius.*

LI-

LICENCIA DE LA ORDEN.

EL MAESTRO FRAY DOMINGO PEREZ, Cathedratico de Prima de la Vniuersidad de Salamanca, y Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, por la presente, y autoridad de mi oficio, doy licencia al M. R. P. M. Fr. Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de la Vniuersidad, y Regente de nuestro Colegio de Santo Thomàs de Alcalà, para que pueda imprimir las Disputadas de Sumulas, y tambien en otro tomo pequeño el Texto, y reglas para principiantes; aviendolas visto, y aprobado los RR. PP. Lectores de Teologia de nuestro Convento el Real de Santa Maria de Atocha de esta Villa de Madrid, el Padre Fray Pedro de Santa Maria, y el Padre Fray Agustin de Sandoval, à quienes cometo su aprobacion, y guardando en todo lo dispuesto por los Sagrados Canones, y Pragmaticas de estos Reynos, à cerca de la impresion de libros. En fee de lo qual di la presente, firmada de nuestro nombre, y sellada con el sello de nuestro Oficio, y refrendada de nuestro Compañero, y Secretario, en nuestro Convento de Santo Thomàs de Madrid, en 29. de Junio de 1694. años.

*Fray Domingo Perez.
Prior Provincial.*

Por mandado de su P. M. R.

*Fr. Estevan Perez de Guebra.
Compañero, y Secretario.*

ESTA aprobado este Libro por los muy RR. PP. Lectores de Theologia, el Padre Fray Pedro de Santa Maria, y el Padre Fray Agustin de Sandoval.

94

LI-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS EL DOCTOR DON JUAN Caldera, Protonotario Apostolico, Canonigo en la Santa Iglesia Magistral de San Justo, y Pastor desta Ciudad de Alcalà de Henares, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobispal de esta dicha Ciudad, y en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, y imprima el tomo de Disputadas, y texto de Sumulas, compuesto por el Reverendissimo Padre Maestro Fray Froylan Diaz, Cathedratico de Prima de Santo Thomàs de esta Vniversidad de Alcalà de Henares, atento à que por nuestro mandado ha sido visto, y examinado, y en èl no se ha hallado cosa que se oponga à nuestra Santa Fè Catholica, y loables costumbres. Dada en Alcalà à veinte y ocho dias del mes de Julio de 1694. años.

Doct. Caldera.

Por su mandado:

Custodio Valentin.

CEN

CENSURA INSIGNIS, ET
semper admirabilis scientia, & virtute Collegij,
Venerabilium PP. Carmelitarum Discal-
ceatorum, Civitatis Com-
plutensi.

COMMISSAS NOBIS A D. DOCT. D. IOANNE Caldera, Archiepiscopatus Toletani in Vrbe Complutensi Generali Vicario, Disputationes has in Aristotelis Dialecticam, sive quaestiones in Philosophiam naturalem disputatas, quas iam diu avidè desiderabamus, à Rmo. & Sapmo. P.M.Fr. Froylano Diaz, quondam in insigni D. Gregorij Vallis-Oletani Collegio Regente, & nunc in hac celebri Vniversitate Complutensi Primariæ Cathedræ D. Thomæ moderatore dignissimo; non tumultuarie congestas, sed operosè digestas, vidimus, & illicò vt ad manus pervenerunt, attentè, & accurate per legimus, sedulò, & diligenter evoluimus, quarum lectio- nes, mira quaddam voluptate perfusi, admiratione potius dignas, quam imitatione prosequendas iudicavimus: Perfectum sanè opus, numeritque omnibus absolutum, validum, sublime, solidum. Vbi profunditas cum claritate, & sublimitas cum facilitate mirum in modum elucescit, & quod maius est nec dum Aristotelis, verum & Coeli Iuvaris, Ecclesiæ Solis Dominicanæ familiæ Lucis (vno verbo dicemus) Angelici Præceptoris, Doctrinæ, adèd consonum, & conformè, vt disputationes in Aquinate, & Aquinas in disputationibus; velut Lucerna supra Ecclesiæ Candelabrum, *Math. 5. 15.* possita, luceat omnibus, qui in Domo sapientiæ sunt.

Sapientia edificavit Domum: Ergò edificavit noster *Prov. 9. 1.* Sapientissimus M. Froylanus (diximus nostrum, & merito nostrum diximus, quis enim poterit nos separari ab arcèssima charitate Froylani? Certi namque sumus, quia neque *Al Rom. 8. 35.* vita, neque mors, neque instantia, neque fortitudo aliqua poterit nos separari à charitate Froylani, ab amore Dominicanæ familiæ, à Doctrina Præceptoris Angelici, quæ est in Christo Iesu:) Hanc inquam, sapientiæ Domum ædificavit

cavit noster Sapientissimus Magester super fundamenta Thomæ-Aristotelica, in ea posuit Doctrinæ mensam: Vocat omnes, dum, venite comedite panem Doctrinæ Angelicæ; Sanctus Prosper in Epigrammate, Canit.

Doctrinæ accendit Lumen Angelicæ,

Quæ nullis animis, nullis non congruit annis.

Lacte rigans pueros, pane cibans validos

Non tempus, non sexus, non causa resistit.

Omnes curat, alit, iustificat, vegetat

Sumite, quæ magna, apposuit sapientiâ, mensæ.

Et varijs pasci, discite delitijs.

Quarum pars, totum est epulum, quo quisque iuvatur

Inde capit vitam, quæ parit una fides.

O quot! o quantis! & sui, & præcedentium sæculorum in scribendi non modica suavitate, mira disponendi distinctione, impari probandi efficacitate, animoso arguendi impetu, in victo convincendi animo, & apropatulo distante propalata veritate, præit, iste huius sæculi Salomon dum Disputat, à Cedro, quæ est in Libano candidissimi Angelici Præceptoris, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete Aristotelicæ confulsionis vt merito Epigrammatis melos prosequendo demulcet.

Omnibus est omnis, nulli documenta retardat,

En tibi luciferi, solis ad instar erit.

Queris opes? Opibus te te ditabit opimis,

An cibum? Sappidas suggerit ecce dapes.

Doctrinam? Doctor Doctoribus ore ministrat

Lumina? Luminibus fulgurat ecce suis.

Nunc Logices pandit, nunc puræ arcana sophiæ

Nunc docet Astrigeros, enumerare globos.

Quid, igitur, dicemus de tanto Sapientissimo Magistro, cum nemini lateat in hac alma Complutensi Univer- sitate, quam splendori sapientiæ suæ ac virtutum fulgor mi- cuerit: Quis ab illo, vel Prudentior, vel Doctior, vel Reli- giosior non discessit? De litterarum studijs subtiliter simul, & amenè, de politicis argute; de Religione suaviter, & illu- minate differens: rato in verbis nitore, in sententijs candore, mira ubique luce, quæ nec blandiatur delitiosius, nec perstringat horridius; cumulatè hæc omnia Religione, mo- destiaque dicentis, & docentis lucente in oculis, eminente

in

in fronte, aridente in ore, toto denique corporis, & oris habitu ponderosi spectabili confluentes, & audientes alit, & allicit: Benè de illo, quod lactantius aiebat: *Non potest in eo, nec Religio à Sapientia separari, nec Sapientia à Religione secerni quia idem Deus est, qui intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est Religionis; sed sapientia præcedit, Religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere.*

La Font. lib. 4. in- stituit.

Prodeant, igitur, disputationes hæc, læto omni, & felici faustu, vt sint memoriæ, in posteros, famæ in populos, & apices, quibus itagiritæ Philosphi mentem pandit, suarum litterarum sin indices, tuarum virtutum codices, cum in eis nulla orthodoxæ fidei diliona, bonisque moribus contraria re- periantur, cuncta proculdubio indefessum studium, matu- rum iudicium, acre, adque subtile ingenium admiraculum spirant: Sani quidem executioni mandandas iudicamus dum à Kempis didicimus quod: *Scribere libros opus Deo ac- ceptabile, legere vile, docere commendabile, prædicare salubre, quis autem legeret, vel scriberet, nisi sanctorum scripta nosset? Et nisi scrip- tor prius scripsisset? Benedicta ergo manus scribentis, & benedicti digiti in tali opere occupati.* Quæ omnia opus efficiunt tanti Ma- gistri dignum, dignumque proinde censemus, vt in lucem edatur, vtinam creseat in dies, vt arentes ingeniorum gle- bæ facundentur, maximumque fructum in campo Tho- mistico referant. Salvo, &c. In hoc nostro Collegio Divis Cyrilli Complutensi Carmelitarum Excalceatorum postri- die idus Maij anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto.

Fr. Antonius ab Annuntiatione.

Rector.

Fr. Petrus à Conceptione.

Lector Primarius.

Fr. Ferdinandus à Iesu Maria.

Lector Theologiæ.

Fr. Ildephonsus à San Antonio.

Vespertinæ Cathedræ Lector.

Fr. Ildephonsus à Martyribus.

Scripturæ Lector.

Fr. Franciscus à Iesu Maria.

Magister Scholarum.

CEN-

D. Prosp. in Epig.

3. Reg. 4. 33.

*CENSURA REVERENDISSIMI P.M.
F. Francisci à Blanco, Suppremi Sanctæ Inquisi-
tionis Officij Qualificatoris; Chatolicæ Maiesta-
tis Concionatoris, quondamque in Vallis-Oleta-
na Universitate Cathedræ Divi Thomæ
Primariæ Moderatoris.*

S. P.

DIALECTICOS FLORES IN VIRI-
dario Doctōris Angelici pro commu-
ni studentium vtilitate, in ipso scien-
tiarum introitu erumpentes, & ex Suprimi
Castellæ Senatus mandato, attentè perlectos,
è manu Sapientissimi Magistri, ac in littera
D. Thomæ versatissimi, accipite, quot quot
Scholas Doctōris Angelici tanquam veri dis-
cipuli ingredi desideratis. Et si ex venustate, &
abundantia florum ipsa docuit natura, fructus
sperare, quid vobis in Sapientiæ autumno spe-
randum sit ex amenitate, & florum vbertate
colligite. Accipite ergò, ò iuvenes, florescen-
tem Dialecticam, quam vobis eruditissimus
Magister clarissimè exaravi, & lactescentem
quodam modo tanquam parvulis propinavit
scientiæ viam.

Est

*Est via sublimis, Cælo manifesta serenò,
Lactea nomen habet, candore lucis ab ipso.
Hac itur ad superos :::*

Ingredimini sublimem viam sed manifestis-
simam, propter cæli Thomistici serenitatem,
& Auctoris, gratissimam facundiam, & clari-
tatem. Viam planè lacteam, à doctrinæ ipsius
illibato candore, & solis Aquinatis irradiatio-
ne, & ab ipsa sumendi facilitate. Audite Ange-
licam Doctorem. *Sapientia comparatur lacti.
Primo propter pulchritudinem. Secundo propter
dulcedinem. Tertio propter sumendi facilitatem.*
Quasi ergò modò geniti infantes lac concupis-
cite, & Dialecticam istam pulchram, dulcem,
& facilem avidè haurite. Hac enim, tanto Ma-
gistro duce, itur ad superos, id est, ad veræ sa-
pientiæ culmen. Hæc igitur dialectica ubi ad
doctrinam D. Th. perspicua, & facilis paratur
via, iure sibi publicam exposcit lumen, & ex
typo ad Auctoris sui nusquam occiduam glo-
riam, & communè omniū vtilitatem dignissi-
mè est vt prodeat. Prodeat ergò tanquā cōsur-
gens scientiarum aurora, & ad pulchritudinē
Lunæ, & Solis electionem, feliciter crescat, &
cum omnium admiratione assurgat. Matrini in
Conv. S. Th. die 3. Septembris anno Dñi. 1694.

Fr. Franciscus Blanco, Mag.

EL REY.

POR QVANTO POR PARTE DE VOS EL P.M. Fr. Froylan Diaz, del Orden de Prædicadores, y Catedratico de Prima. de la Vniversidad de Alcalá, nos fue fecha relacion, aviades compuesto vn libro intitulado *Sumulas, y Disputadas de Aristoteles, conforme à la doctrina del Angelico Doctor Sancto Thomàs*, y porque le queriades dar à la Imprenta, se nos pidió, y suplicò nos sirviessimos de concederos licencia, y Privilegio por diez años, en la forma ordinaria, para la impresion del dicho libro, ò como la nuestra merced fuessè, y viito por los de nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias de la pragmática; fue acordado deviamos mandar dar esta nuestra carta, y Privilegio para vos, en la dicha razon; y Nos lo tuvimos por bien: Por la qual os damos licencia, y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corren, y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra Cedula en adelante, vos, ò la persona que vuestro poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir el dicho libro, que de suso se haze mencion, ò su original, que en el nuestro Consejo se viò, que và rubricado, y firmado al fin de Joseph Francisco de Aguiriano, nuestro Escrivano de Camara, de los que en èl residen, con que antes que se venda lo traygais ante ellos, juntamente con el original, para que se vea si la dicha impresion està conforme à èl, y traygan fçe en publica forma, como por Corrector por Nos nombrado, se viò, y corrigiò la dicha impresion por dicho original; y mandamos al Impreffor que assi imprimiere el dicho Libro, no imprima el principio, ni primer pliego, ni entregue mas de solo vn libro, con su original al Autor, y persona à cuyo cargo, y costa se imprimiere, para efecto de dicha correccion, y tassa, hasta que antes, y primero el dicho libro està corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho primer pliego, y principio, y seguidamente esta nuestra Cedula, y la aprobacion que del dicho Libro

Libro se hizo por nuestro mandado, y la tassa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las Leyes, y Pragmaticas destos nuestros Reynos, que sobre ello disponen; y mandamos que durante el tiempo de los dichos diez años persona ninguna, sin la dicha vuestra licencia, puedan imprimir el dicho Libro so pena que el que de otra manera lo imprimiere, ò vendiere, aya perdido, y pierda, todos, y qualesquier Libros, moldes, y aparejos que del dicho Libro tuviere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, tercia parte para la nuestra Camara, y la otra para el Iuez que la sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y mandamos à los de nuestro Consejo, Presidente, y Oidores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nuestra Casa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Asistente Governadores, y Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iusticias qualesquier, de todas las Ciudades, Villas, y Lugares destos nuestros Reynos, y Señorios, y à cada vno dellos en sus Lugares, y jurisdicciones, que guarden, y cumplan, y hagan guardar, y cumplir esta nuestra Cedula, y contra ella, y su tenor no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna. Dada en Madrid à ocho dias del mes de Agosto de mil y seiscientos y noventa y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

D. Francisco Nicolàs de Castro.

ERRA

ERRATA SIC CORRIGE.


PAG. 10. col. 1. lin. 36. paritas lege charitas. Pag. 552. col. 2. lin. 7. domum leg. donum. Pag. 78. col. 1. lin. 19. specis; leg. species. Pag. 81. col. 1. lin. 38. formaliter est. Lege formaliter non est. Pag. 133. col. 2. lin. 23. prædicata leg. principalis. Pag. 204. col. 1. lin. 25. obiecto leg. obiecti. Pag. 242. col. 1. lin. 8. intrinseca. Leg. intrinseca. Pag. 320. col. 1. lin. 31. conceptum. Leg. conceptu. Pag. 324. col. 2. lin. 4. velatæ. Leg. relatæ. Pag. 352. col. 1. lin. 3. antecedente. Leg. antecedenter.

Suma de la Tassa.

LOS Señores del Consejo Real de su Magestad, tassaron este Libro intitulado *Sumulas Disputadas*, à seis maravedis cada pliego; como consta del decreto original, despachado en el Oficio de Joseph Francisco de Aguiriano, en diez de Septiembre de 1694.

Ay Paulina del señor Nuncio de su Santidad, para que ninguna persona pueda imprimir, ni bazer imprimir estas Sumulas Disputadas, sin licencia del Convento de San Pablo de Valladolid.

PROOE-



PROOEMIVM.



DIALECTICÆ Nilus, quamvis protegentibus vmbriis, omnium scientiarum terram margine circumdat pulchro, littore fæcundat amæno, ornat ripis, implet bonis, placidis argentatus arenis, pluribusque fluit aquis, quibus rationalis ager floribus vestitur, & herbis, & gravidis oneratur aristas. Etsi de Nilo fertur, quod dum Sol in signum Leonis intrat, Ægypti campos inundat, de Dialectica vtique verum est prævenire messes, omnes corrigere classes, segetes parturire feracem, agros arare velocem; ab illa namque candidus egreditur præceptorum numerus almus, quibus fervet spiritus, paratur aditus, decorantur viri, cedunt triumpho, & inventos ruricola, vel progenies nova abundat fertilis, sapientior redditur omnis, vnde

Mag. Froylan.

A

G

sicut prævenimus aurora nascente diem, ita quidem annuntiamus præcursore Dialectica Solem, quia Lucifero præmicante dies apparet, & Dialectica prælucente scientia fulget. Nec nos deserant in opere isto Augustinus, & Thomàs candor uterque Phœbi, dulcis uterque mihi, specialitèr tamen assistat Aquinas, quem semper impavidum, veritatis clypeum, Christianæ militiæ ensen, religionis Ducem, Theologiæ Patrem, & Ecclesiæ Solem fatentur sydera cuncta, populi venerantur, & astra.

De cuius splendida luce, & in
superabili arce sit.

(***)



PRI-

3
PRIMA ; ET PROOEMIALIS
ÆTHEROGENEA QVÆSTIO,
ET IN EA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Dialectica sit prima dignitate?

§. PRIMVS.

Sententia negativa statuitur.

IN Difficultate præsentis, quæ vtilia continet, & ad graviora deservit. Plat. lib. 7. de Repub. & Cicero lib. de Clar. Orator. omnium præstantissimam Dialecticam appellarunt; quos aliqui ex parte sequuntur; in oppositum tamen conclusionem nostram Arist. expressit 1. de anima, & in 2. de Cælo text. 60. ubi affirmat: magnum esse de rebus Cœlestibus aliquid posse cognoscere, & in 1. de part. animal. asserit: amabile esse magis parvum aliquid cognoscere de rebus nobilioribus, quam multa de ignobilioribus rebus. Eandem doctrinam ibidem, & in proœmio Metaph. & in opusc. 70. q. 5. art. 3. & 12. q. 54. & 66. art. 3. & in art. 5. habet. Ang. Doct. perpe-

tuus in ea sententiâ, quod perfectio habitus, vel potentiæ ab objecto formali desumitur, & quod ea scientia perfectior est, quæ perfectius habet objectum, & propterea in Opusc. antecederet relato asserit Logicam non contineri sub Philosophia speculativa, quasi principalem partem.

Ratione verò conclusionem nostram communiter Authores probant; quia objectum Logicæ inter omnia alia objecta imperfectius est: ergo Logica non est prima, sed potius infima dignitate: prob. ant. quia perfectio objecti desumitur ab entitate per ordinem ad existentiam ipsius; nam perfectio idem est quod bonitas, & bonitas ab entitate desumitur, & per ordinem ad illius existentiam,

proptereaque creaturæ possibiles nullam habent bonitatem, quia ad existentiam nullum ordinem dicunt; sed entitas obiecti Logicæ, & illius existentia imperfectior est, ut patet: ergo etiam obiectum Logicæ inter omnia imperfectius est.

Verum Authores isti ratione prædicta utentes, & exemplo possibilium in æquivoco laborant: nam alia est perfectio, & bonitas formalis, quæ cum appetibilitate convertitur, & hanc fatemur per ordinem ad existentiam attendi, & illam non habere creaturas possibiles, quia ordinem ad existentiam non dicunt, & propterea amari non posse. Alia insuper est bonitas, & perfectio essentialis, quæ non desumitur ab entitate, & ordine ad existentiam, sed provenit à differentia essentiali. Qua propter si aliquis per duplicem actum attingeret duplex obiectum pure possibile, ille actus esset essentialiter perfectior, qui perfectius haberet obiectum, quamvis nullum illorum ordinem diceret ad existentiam; siquidem utrumque est obiectum pure possibile, & non de prima perfectione obiecti; sed solum de secunda, & essentiali perfectione in præsentia disputamus. Ex quibus.

In forma rationem supra factam impugnamus, quia tantum loquimur in præsentia de perfectione essentiali obiecti, quatenus scientiam specificat, & per eam attingitur;

sed essentialis perfectio non desumitur ab entitate per ordinem ad existentiam, alias una creatura possibilis non esset altera essentialiter perfectior, nec inter actus attingentes possibilia daretur in essentiali perfectione essentialis excessus: ergo ratio facta ad intentum quæsitum inefficax est.

Secundo ratio prædicta demonstrativè, ut credimus, impugnatur, quia ab eo sumitur essentialis perfectio, à quo sumitur essentialis species; nam essentialis perfectio non est distincta ab specie essentiali, sed idem cum illa formaliter; sed essentialis species non desumitur ab obiecto entitativè, sed ab illo in esse obiecti formaliter, ut omnes Thomistæ fatentur: ergo idem dicendum de perfectione essentiali.

Tertio impugnatur, quia Logica scientia perfectior est absolute, & simpliciter, quam Physica opinativa; & tamen obiectum Logicæ scientiæ perfectius entitativè non est, siquidem est ens rationis, & obiectum Physicæ opinativæ est aliquid reale: ergo perfectio scientiæ, vel habitus ab obiecto entitativè desumenda non est, de quibus tamen sermo infra redibit, & ideo hac ratione de relicta.

Probat Conclusio nostra ratione. Dignitas, & perfectio scientiæ, habitus, vel virtutis desumitur ab obiecto specificante scientiam, habitum, vel virtutem:

Va.

Vnde 1. 2. q. 66. art. 5. probat D. Thomas sapientiam inter virtutes intellectuales nobiliorem esse, quia sapientia habet nobilius obiectum, & considerat altissimam causam, quæ est Deus; sed obiectum Dialecticæ inter omnia alia imperfectissimum est; siquidem obiecta aliarum scientiarum sunt entia realia, & obiectum Logicæ est ens rationis, quod exceditur ab ente reali: ergo Dialectica non est prima, sed infima dignitate.

Respondebis. Ens rationis in esse entis esse minus perfectum ente reali, sed in esse scibilis non esse minus perfectum, sed potius esse æque scibile cum ente reali, quod utique nullam implicationem involuit; nam accidens in esse entis exceditur à substantia, & tamen in esse scibilis per Metaphysicam à substantia non exceditur.

Hæc tamen solutio efficax esse non potest, quia perfectio entis rationis in esse scibilis desumitur à differentia essentialiter constituyente, sicut in quacunque re essentialis perfectio ab essentiali differentia desumitur; sed essentialis differentia constitutiva entis rationis in esse scibilis exceditur à differentia constituyente ens reale: ergo ens rationis etiam in esse scibilis minus perfectum est ente reali. Prob. min. Essentialis differentia constitutiva entis rationis in esse scibilis non excedit differentiam constituentem ens reale in esse scibilis, ut adversarij fatentur,

Mag. Froylan.

rursus non adæquat illam: ergo exceditur ab illa. Prob. ant. quantum ad secundam partem, in qua sita est difficultas. Duas differentias essentialiter distinctas, esse æquales in perfectione essentiali, implicatorium est; sicut esse in specie æquales; sed essentialis differentia constitutiva entis rationis in esse scibilis, essentialiter diversa est à differentia constituyente ens reale in esse talis: ergo differentia constitutiva entis rationis in esse scibilis, non adæquat alteram differentiam, qua constituitur ens reale. Prob. min. Sicut scientia genericè prædicatur de quacunque scientia, ita scibile univocè, & genericè prædicatur de omni obiecto scibili, & omnia obiecta scibilia specie differunt secundum proprias, & essentielles differentias, nam si obiecta scibilia essentialiter distincta non essent, non specificarent scientias essentialiter distinctas; siquidem scientiæ essentialiter differunt per obiecta essentialiter distincta: ergo essentialis differentia constitutiva entis rationis in esse scibilis, essentialiter diversa est, à differentia constituyente ens reale in esse talis.

De substantia verò, & accidenti simile non est, quia utrumque est obiectum primum Metaphysicæ, & secundum eandem differentiam in esse scibilis attingitur utrumque per illam; videlicet secundum rationem entis radicantis bonitatem, & veritatem

A 3

ia

in quo accidens, & substantia non habet disconvenientiam, qualiter eam important ens reale, & ens rationis per ordinem ad eas scientias, quas terminant.

Secundo solutio principalis impugnatur, quia ens rationis in esse scibilis constituitur per abstractionem ab omni materia negativè propter imperfectionem abstrahentis; sed abstrahio prædicta minus perfecta est, abstrahione entis realis, quæ vel est positiva, vel si negativa est, non provenit ex imperfectione, sed potius ex perfectione obiecti, & illius immaterialitate perfecta: ergo ens rationis in esse scibilis minus perfectum est ente reali.

Tertio impugnatur, nam ideò ens rationis in esse scibilis, non esset minus perfectum ente reali, quia utrumque in esse scibilis, est tale simpliciter, & habet univocam convenientiam; sed hæc ratio nulla est; siquidē equus, & homo conveniunt univocè in ratione animalis, & utrumque est simpliciter animal, & tamen homo in ratione specifica animalis est simpliciter perfectior equo: ergo etiam ens rationis in esse scibilis poterit esse minus perfectum ente reali, quamvis utrumque sit scibile simpliciter secundum rationem communem scibilis; sicut equus, & homo in ratione communi animalis habent univocam convenientiam.

§. II.

Argumentis contra Conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram Arguitur primo. Quod Prudentia propterea perfectior est, & alias virtutes morales excedit in dignitate, quia præbet illis regulas operandi, & dirigit eas; sed Logica præbet alijs scientijs regulas cognoscendi, easquè dirigit, ut rectè procedant: ergo illas etiam superat in dignitate.

Respondetur dist. Aut explicando causalem, quia præbet regulas, & dirigit directione illuminante obiectum: conc. mai. præcisè regulas ostendente: nego mai. & dist. min. directione regulas ostendente: conc. min. obiectum illuminante: nego minor. & conseq. Quia Logica dirigit alias scientias tradendo regulas, & præcepta, ut qualibet scientia suas demonstrationes efficiat, sed prudentia dirigit illuminando, & ostendendo alijs virtutibus proprium earum obiectum; quod ipsæ attingere debent, eo quod Prudentia dicat quanta debeat esse comestio hic, & nunc, ut sit moderata, cumque moderata comestio, quæ hic, & nunc moderata est, sit obiectum Temperantiæ, inde fit quod Prudentia designat, & ostendit quod nam sit Temperantiæ virtutis obiectum.

obiectum. Vndè D. Thom. 1. 2. q. 66. art. 3. ad tertium Resp. quod *Prudentia non solum dirigit virtutes morales in eligendo ea, quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem.* Nam finis virtutis moralis est attingere medium in propria materia, medium autem secundum rectam rationem prudentiæ determinatur.

Sed instabis, quod D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 6. inquit: *utrum Prudentia præstituatur finem virtutibus moralibus, & respondet negativè, & dùm doctrinam corporis resolvit in solutione ad primum, per ea verba respondit. Virtutibus moralibus præstituit finem ratio naturalis, quæ dicitur sinderesis, non autem Prudentia:* ergo solutio tradita contra D. Thomam procedit.

Respondetur explicando D. Thomam de fine sumpto in communi, non verò de fine in particulari, ratio autem ea est, quia finis virtutum moralium in communi, est vivere secundum rationem, & rectè agere attingendo medium, comedendo videlicet, temperatè, & fortiter agrediendo, quem finem sic in communi non Prudentia, sed ratio naturalis, aut sinderesis dicat: Finis verò in particulari nihil aliud est, quam hic, & nunc fortiter agredi, aut hic, & nunc temperatè comedere; & qualis debeat esse hic, & nunc agressio fortis, ac temperata comestio per prudentiam determinatur, quæ sola docet an hæc agressio modo

sit iusta, & comestio hic, & nunc sit temperata: vnde finem in particulari sola Prudentia determinat, & hoc tantum articulo citato ad primum D. Thomam intendit.

Dices finem in particulari determinari per Philosophiam moralem, quæ non solum tradit medium, & obiectum virtutis in communi, sed etiam in particulari docet qualiter comestio respectu unius individui sit temperata, & respectu alterius excessiva sit: ergo finis in particulari non ostenditur à Prudentia.

Sed facile respondetur Philosophiam moralem, ut in plurimum descendere ad singularia vage, docendo videlicet, quod respectu unius singularis aut individui est excessiva comestio illa, quæ respectu alterius moderata est; verum ad singularia determinata sola Prudentia descendit, quæ sola dicat, quod respectu Petri hic, & nunc, & de præsentis operantis, talis comestio est temperata, quæ tamen temperata non est respectu Pauli hic, & nunc comedentis, aut respectu eiusdem Petri existentis in alia occasione diversa, & ita finis in particulari respectu determinati singularis, & in hac determinata occasione à sola Prudentia dicatur.

Habes ergo ex prædicta solutione, quod in opinione asserente Logicam esse simpliciter necessariam, aliæ scientiæ dependent inferri, & in conservari à Logica ipsa,

sa, vt tradente regulas, aut conditiones ad alias scientias simpliciter necessarias, non tamen pendent à Logica, vt obiectum ostendente, qualiter virtutes morales à Prudentia dependent, ex quo habet Prudentia primatum in dignitate.

Secundo ad argumentum principale respondemus explicando causalem: quia præbet regulas, & dirigit sub ratione perfectiori: conc. causalem maioris, ex conceptu communi directionis: nego causalem mai. & concessa min. neg. conseq. Nam Prudentia non ideò perfectior est, quia dirigit præcisè, aut ex conceptu communi directionis, cum etiam fides dirigat charitatem, & regulet illam, & tamen à charitate excedatur; sed eatenus Prudentia perfectior est, quia dirigit sub ratione perfectiori, & in ordine ad perfectius obiectum, eo quod obiectum Prudentiæ est verum magis à materia abstractum, quàm obiectum aliarum virtutum, quod quidem est bonum magis de materia concernens.

Sed instabis primò. Eò Prudentia perfectior est, quia perfectius habet obiectum; sed ideò habet perfectius obiectum, quia regulat. Ergò ideò perfectior est, quia est aliarum virtutum regula.

Instabis secundò Prudentia non regulat, sub ratione perfectiori, & in ordine ad perfectius obiectum, Ergò eo præcisè perfectior

est, quia regula: prob. ant. Obiectum aliarum virtutum moralium est perfectius, siquidem obiectum aliarum virtutum est finis, & obiectum Prudentiæ est medium, & finis perfectior est medio: ergo Prudentia non regulat sub ratione perfectiori, & in ordine ad perfectius obiectum.

Respondetur dist. min. Quia regulat tali modo, & hoc à posteriori: conc. min. quia regulat ex conceptu communi regulæ: neg. min. & conseq. Ex conceptu namque generali regulandi, non inferitur habere perfectius obiectum, nam obiectum charitatis excedit obiectum fidei, & tamen fides, est regula charitatis; sed perfectius obiectum habere inferitur bene ex eo, quod regular speciali modo, & sub ratione veri magis abstracta, quàm ratio obiectiva cæterarum virtutum, & ex prædicto modo regulandi colligitur à posteriori perfectius obiectum habere, sed à priori potius ex quo habet nobilius obiectum colligitur debere regulare modo prædicto.

Ad secundam instantiam: neg. ant. & probat. dist. probationem in antecedenti inclusam, medium rationis, & comparativè ad finem in communi: conc. ant. medium distinctum à fine particulari: neg. ant. & conseq. Quia obiectum, & aliarum virtutum, & ipsius Prudentiæ est ille idem finis particularis, quem virtutes assequuntur, & Prudentia determinat, & ideò obiectum

obiectum aliarum virtutum non excedit obiectum Prudentiæ, sed potius obiectum Prudentiæ excedit obiecta aliarum formaliter, quatenus eundem finem, quem aliæ consequuntur proponit, & attingit ipsa Prudentia sub ratione veri, quæ ratio perfectior est: Dicitur tamen à D. Thom. Prudentiam non esse de fine, sed de his, quæ sunt ad finem comparativè ad alias virtutes, & in ordine ad finem in communi, eo quod cæteræ virtutes attingunt finem non solum in particulari, sed etiam in communi. Temperantia namque non tantum intendit comestionem temperatam hic, & nunc, sed etiam comestionem temperatam absolute, & quia finis iste in communi non attingitur per Prudentiam, ideò dicitur illam non esse de fine, sed de his, quæ sunt ad finem.

Secundo arguitur: Virtutes intellectuales perfectius habent obiectum, quàm morales virtutes, quia obiectum virtutum intellectualium est verum, quod absque dubio perfectius est, nam vt ait D. Thom. 1. 2. q. 66. art. 3. in corp. *Manifestum est quod obiectum rationis est nobilius, quàm obiectum appetitus:* Et tamen virtutes morales superant in perfectione intellectuales virtutes. Ergò poterit Logica superare alias Scientias, quamvis obiectum illius non ita perfectum sit.

Confirm. Eò charitas superat

alias virtutes quia est regula communis, & aliarum forma; sed etiam Logica est aliarum formarum in omni demonstratione producat formam rationis. Ergò alias Scientias superat in perfectione.

Resp. ad argum. dist. min. Superant secundum quid: conc. min. simpliciter: neg. min. & conseq. Quia virtutes morales tantum superant secundum quid intellectuales virtutes, eò quod non solum dant facultatem bene agendi, sed etiam bene vtendi facultate iam habita, & reddunt simpliciter bonum habentem illas, quòd provenit ex eo, quod redificant appetitum, & appetitus movet cæteras potentias in ordine ad suos actus, & ex his tantum colligitur excessus secundum quid; sicut voluntas secundum quid est perfectior intellectu quatenus intellectum quo ad exercitium movet. Verum secundum specificam perfectionem, & speciem virtus intellectualis perfectior est simpliciter, virtute morali, vt docet D. Thom. in solut. ad secundum.

Dices. Virtus moralis, facit simpliciter bonum, & perfectum simpliciter, quod tamen virtus intellectualis non habet. Ergò virtus moralis simpliciter perfectior est, siquidem præstat maiorem bonitatem simpliciter.

Respond. dist. ant. Denominatione desumpta ab utilitate quam inducit: conc. ant. Secundum

dum esse specificum: neg. ant. & conseq. Nam secundum esse specificum nulla virtus facit tale simpliciter; sed solum accidentaliter, & secundum quid, & in hoc genere magis est bona virtus intellectualis, & magis mala falsitas intellectus, quam defectus appetitus: Dicitur tamen, virtus moralis facere bonum simpliciter ab utilitate, quam præstat, eò quod præbet rectitudinem moralem, quæ homini utilior est in ordine ad premium, & per suum actum excludit moralem malitiam oppositi, quod tamen virtus intellectualis non habet.

Ad confirm. verò argum. principalis. Resp. dist. maior. Quia regula ex conceptu talis, & hoc à posteriori: conc. mai. ex conceptu communi regulæ: neg. mai. & concessa minore: neg. conseq. Non enim charitas perfectior est ex communi conceptu regulæ, & formæ, sed solum ex conceptu talis regulæ, quatenus videlicet, regulat sub ratione perfectiori, & in ordine ad perfectius obiectum, vt antecedenter de Prudentia dicebamus.

Sed instabis, quod obiectum charitatis est bonum, & obiectum fidei est verum; sed verum perfectius est bono, quia verum magis abstrahit à materia. Ergò paritas non regulat sub ratione perfectiori, & in ordine ad perfectius obiectum, & consequenter solutio tradita nulla est.

Replicam istam examinare, præsentis instituti non erat, sed in gratiam dialecticorum dicimus minorem esse veram loquendo de verò secundum rationem genericam, non autem de verò secundum specificam rationem; nam bonum quod attingit charitas secundum rationem specificam perfectius est verò, quod per fidem attingitur, eò quod fides licet Deum sub ratione veri attingat, illum tamen attingit obscure, charitas autem Deum in se ipso, & propter se ipsum amat, & Deus sub ratione boni in se ipso attingit perfectior est se ipso, quatenus sub ratione veri, obscure tamen attingitur. Nec novum est aliquam formam minus perfectam secundum rationem genericam esse magis perfectam, secundum specificam rationem; sicut actus opinativus ex conceptu generico intellectivi, excedit actum amoris Dei, & ex conceptu specifico superatur ab illo, quia excessus rationis genericæ refarcitur per superadditam differentiam.

Sed instabis, forma, quæ ex conceptu generico perfectior est debet etiam esse perfectior ex differentia specifica. Ergò si verum ex conceptu generico perfectius est bono, hoc idem habebit secundum specificam differentiam. Prob. ant. Primo, qualibet differentia contrahit totam perfectionem generis, & supra illam addit propriam differentiam perfectionem.

nem. Ergò forma quæ ex conceptu generico perfectior est, debet etiam esse perfectior ex differentia specifica.

Secundò prob. ant. Quando ratio generica secundum se perfectior est, etiam vt contracta debet esse perfectior; sed si vt contracta perfectior est, etiam secundum rationem differentialem erit perfectior: Ergò quando forma ex conceptu generico perfectior est, debet etiam esse perfectior ex differentia specifica. Prob. mai. Differentia contractiva generis non diminuit perfectionem illius, sed solum illam determinat: Ergò quando ratio generica secundum se perfectior est, etiam vt contracta debet esse perfectior.

Tertiò, prob. ant. Individuum, quod ex conceptu specifico imperfectius est, non potest ex conceptu individuali simpliciter excedere aliud individuum specificè perfectius: Ergò forma etiam, quæ ex conceptu generico perfectior est, non potest ex conceptu specifico ab altera superari.

Resp. ad replicam neg. ant. & ad primam prob. dist. ant. Addit inæqualitèr cum altera differentia, conc. ant. æqualitèr, neg. ant. & conseq. Nam quamvis omnis differentia determinet totam generis perfectionem, eò quod ratio generica tota, & adæquata descendit ad inferiora, non tamen qualibet differentia æqualitèr determinat ex parte sui cum altera dif-

ferentia, sed aliqua differentia potest ita perficere, quod excedat alteram in tantum, quod compenset totum excessum genericum; sicut antecedenter diximus de actu opinativo, & amore Dei naturali.

Dices: Si semel differentia generis minus perfecti propter sui perfectionem, potest compensare excessum generis magis perfecti, erit differentia prædicta perfectior genere proprio: siquidem genus proprium non adæquat alterum genus, & prædicta differentia alterum genus excedit, sed hoc dicendum non est: ergò nulla est data solutio.

Resp. neg. min. Quia differentia solum continetur in potentia passiva generis determinabili per ipsam, & ita potest excedere proprium genus; sicut forma excedit materiam, in cuius potentia passiva continetur: Vnde sicut potest excedere aliud genus, non quidem absolute, sed vt contractum per imperfectam differentiam, ita etiam proprium genus excedere potest.

Ad secundam, prob. ant. dist. mai. vt contracta specificativè, conc. mai. reduplicativè, neg. mai. & ad prob. dist. ant. non diminuit absolute, conc. ant. comparativè neg. ant. & conseq. secundum distinctionem maioris datam; quando namque ratio generica secundum se perfectior est, etiam vt contracta specificativè debet esse perfectior; & ita ratio

generica veri reperta in obiecto fidei specificativè sumpta, perfectior est ratione boni reperta in obiecto charitatis; cæterum reduplicativè vt contracta, minus perfecta est, quia contrahitur per differentiam minus perfectam simpliciter, quam sit altera differentia contractiva boni, & propterea licet omnis differentia contrahendo genus non diminuat absolute, sed superaddat perfectionem ad ipsum, comparativè tamen ad alteram differentiam dimittit de perfectione, eò quod alia perfectissima est, & ita perficit contrahendo vt superet genus magis perfectum vt contractum per diminutam differentiam, & ipsam vt contrahentem.

Ad tertiam prob. antecedentis, neg. conseq. & ratio discriminis est, quia individua non superadunt ad speciem, essentialem, & specificam differentiam, sed dumtaxat, materialem, & ita si individuum ex conceptu specifico imperfectius est, nequit ex conceptu individuali simpliciter superare aliud individuum specificè perfectius, quamvis in conditione aliqua individuali, & materiali possit excedere ipsum; sicut cervus in velocitate superat Hominem, & Aquila in activitate videndi; species verò essentialis superaddit specificam differentiam, & propterea ex illa potest simpliciter excedere aliam speciem generis perfectioris.

Tertio arguitur. Obiectum specificativum habitus non refundit suam imperfectionem in habitum: Ergò quamvis obiectum Logica sit imperfectius, poterit Logica alias scientias superare, prob. ant. primò. Obiectum Metaphisicæ est imperfectius inter cætera obiecta; siquidem est ens in communi, quod est magis universale, prædicatum verò magis universale est minus perfectum; & propterea afferunt plures ens in communi esse primum cognitum ab intellectu nostro pro statu vitæ præsentis; & tamè suam imperfectionem in Metaphysicam non refundit, alias Metaphysica esset cæteris imperfectior: Ergò obiectum specificativum habitus non refundit suam imperfectionem in habitum.

Secundò prob. ant. Obiectum specificativum habitus, non refundit suam perfectionem in habitum; sicut patet in obiecto Theologiæ, quod est Deus infinitus, quam tamen infinitatem non refundit in Theologiam, quæ finita, & limitata est: Ergò nec debet suam imperfectionem refundere.

Confirm. primò: Actus Logica perficit actus aliarum scientiarum, nam Logica per proprium actum producit in omni materia Syllogisticam dispositionem, quæ necessario requiritur vt actus sit verè scientificus; sed perficiens est perfectius perfectibili: Ergò Logica debet alias scientias superare.

Con-

Confirm. secundò: Ideò quantitas excedit alia accidentia, quia quantitas prius recipitur in composito substantiali; sed Logica prius in intellectu recipitur; cum sit prima acquisitione: Ergò alias scientias superat imperfectione.

Confirm. tertio: Magis appetit homo dialecticam, quam cæteras sciētias: Ergò illa perfectior est; nam scientia illa est perfectior, quæ maiorem terminat appetitum; cum intellectus appetat scientiam vt per illam perficiatur. Ant. verò prob. Dialectica est perfectio magis similis, & propria intellectus humani; cum sit scientia discursiva, & rationalis, sicut humanus intellectus, ipsumquè perficiat vt discursivum, & ab intellectu Angeli distinctum: Ergò magis appetit illam.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad primam probationem dist. mai. est imperfectius vt confuse cognoscibile, conc. mai. clarè, & distinctè, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Nam ens in communi plura prædicata involvit quæ tamen non explicat, sed tantum exprimit rationem communissimam entis, in qua omnia confunduntur, & ita in ratione cognoscibilis confuse minus perfectum est; in ratione tamen cognoscibilis distinctè potius est magis perfectum, quia perfectiorem abstractionem importat, & per principia universaliora, & certiora passionis de illo demonstratur.

Ad secundam prob. ant. dist. ant. non refundit Arismetice, conc. ant. Geometricè, neg. ant. & conseq. Nam iuxta proportionem perfectionis obiecti crescit scientia in perfectione, ita vt semper illa proportionabiliter, aut Geometricè perfectior sit, quæ perfectius habet obiectum; non tamen necessarium est, quod scientia crescat Arismetice, vel æqualiter iuxta perfectionem obiecti, & ideò quamvis Deus infinitus sit, non propterea debet Theologia infinitatem habere, quia capax non est infinitatis; sicut visio beata perfectior est quacunque altera scientia, & virtutes Theologicæ Deum habentes pro obiecto, alias virtutes excedunt, & tamen infinitatem non accipiunt ab obiecto infinito, quia capacitatem non habent ad infinitatem habendam.

Ad primam confirm. argum. principalis neg. mai. Nec probatio imbibita aliquid persuadet, nam ex quo Logica formam Syllogisticam in omni materia producat tantum infertur illam esse simpliciter necessariam, sicut forma Syllogistica necessaria est, non tamè quod verè perficiat actus aliarum scientiarum, sicut ex quo imperfecta generatio formam embryonis producat, sine qua non erit forma viventis, solum infertur esse necessariam ad generationem perfectam, non tamen perficere illam.

Addi-

Addimus: Quod quocumque modo Logica necessaria sit, tantum infertur inde concomitanter, & accidentaliter perficere alias scientias, quatenus alia scientia magis expedita sunt cum Logica societate, non tamen sequitur inde perficere alias formaliter substantialiter, & illas excedere in perfectione; sicut Charitas cum virtutibus acquisitis coniuncta magis accidentaliter perfecta, & expedita est, nunquam tamen inde colligimus virtutes acquisitas excedere charitatem.

Ad secundam confirmationem, negamus causalem maiorem, quia non ideo quantitas perfectior est quia prius in composito substantiali recipitur, sed quia ipsa est prima passio substantiae materialis, & propterea inter accidentia materialia debet esse perfectior; sicut inter accidentia spiritualia perfectior est intellectus, quia est prima passio substantiae spiritualis. Instantia argumenti reperitur in forma embrionis, quae prius in materia recipitur, quam forma viventis, & tamen forma embrionis imperfectior est.

Secundo Resp. dist. causalem mai. quia primo recipitur per modum accidentis absoluti: conc. causalem, ex conceptu communi receptionis, neg. causalem, nam accidentia absoluta suam perfectionem accipiunt a subiecto proprio, & ita accidens magis subiecto coniunctum, & prius in illo re-

ceptum perfectius est, & hoc in quantitate contingit: Accidentia vero respectiva a termino extrinseco, vel ab obiecto perfectionem accipiunt, & ideo non illud perfectius est, quod prius in subiecto recipitur, sed quod perfectius obiectum habet, & instantia manifesta est in cognitione confusa, quae prius recipitur in intellectu cognitione distincta, & tamen cognitio confusa imperfectior est.

Ad tertiam confirm. negantur duo illius antecedentia, quia quamvis Logica sit magis rationalis obiective, quatenus pro obiecto respicit ipsum modum sciendi, & ratiocinandi, formaliter tamen quaecumque scientia rationalis, & discursiva est, & similis cum humano intellectu, ipsumque perficit, ut distinctum ab intellectu Angeli, qui discursivus non est, & cum aliunde reliqua scientiae perfectiones sint, magis perficiunt intellectum humanum, & magis appetuntur ab illo.

Sed instabis, intellectus magis odio habet carentiam Logicae, quam carentiam aliarum scientiarum. Ergo magis appetit illam; nam intellectus magis amat perfectionem illam, cuius carentia peior est, & magis odio digna.

Resp. dist. ant. carentiam Logicae per accidens, & ratione alterius, quatenus ex carentia Logicae sequitur aliarum carentia, conc. ant. per se, & propter se, aut ratione sui, neg. ant. sicut magis odio.

odio habetur carentia fidei, quam solius charitatis; quia carentia fidei, carentiam charitatis includit, quae solutio in idem venit cum altera asserente intellectum odio habere carentiam Logicae principaliter propter aliarum carentiam, & ita magis odio habere carentiam aliarum, nam propter quod vnum quodque tale, & illud magis.

Quarto arguitur: Obiectum Logicae superat in dignitate obiecta aliarum scientiarum. Ergo Logica superat alias scientias: prob. ant. obiectum Logicae constituitur nobiliori differentia. Ergo superat alia obiecta. Prob. antec. Constituitur per abstractionem ab omni materia; sed haec abstractio nobilior est, quia ideo obiectum Theologiae perfectius est, quia abstrahit ab omni materia. Ergo obiectum logicae constituitur nobiliori differentia.

Facile tamen respondetur: Obiectum Logicae constitui per abstractionem ab omni materia negative, & propter imperfectiorem ipsius, quatenus fictum est, & incapax habendi materiam physicam, & talis abstractio imperfectissima est; obiectum vero Theologiae abstrahit ab omni materia negative propter perfectionem obiecti, & quia actus purus est incapax habendi aliquam potentialitatem materiae, quae abstractio perfecta est, & in obiecti perfectione fundatur.

Sed instabis primo: Si semel obiectum Logicae, aut ens rationis abstrahit ab omni materia negative, debet abstrahere propter sui perfectionem. Ergo solutio tradita nulla est: prob. ant. primo abstractio ab omni materia negative, est exclusio omnis materiae; sed exclusio omnis materiae debet dicere perfectionem, cum excludere materiam actualitatem importet. Ergo si semel ens rationis abstrahit ab omni materia negative, debet abstrahere propter sui perfectionem.

Secundo prob. ant. abstractio ab omni materia, est abstractio ab omni imperfectione. Ergo debet dicere perfectionem in obiecto: prob. ant. abstractio ab omni materia, est abstractio ab omni potentialitate; nam omnis potentialitas oritur a materia. Ergo etiam est abstractio ab omni imperfectione. Siquidem omnis imperfectio ab obiecti potentialitate desumitur.

Tertio prob. antec. Coelum non est divisibile positive, sed potius est positive in capax divisionis, & ita solum est divisibile negative; & tamen divisibilitas hac negativa perfectionem importat. Ergo idem de abstractione dicendum.

Secundo per oppositam viam replicavis: Quia obiectum dialecticae debet abstrahere positive. Ergo etiam ex hac parte nulla est data solutio: prob. antec. primo.

Dialectica agit de triplici operatione intellectus; sed operationes intellectus abstrahunt positivè à materia, cum verè materiam habeant; eò quod in intellectu tanquam in materia, & subiecto recipiuntur. Ergò obiectum dialecticæ debet abstrahere positivè.

Secundò prob. ant. abstractio entis positivi debet esse positiva. nam abstractio entis nihil aliud est, quam immaterialitas propria identificata cum ipso, & ideo erit positiva si sit entis positivi; sed obiectum Logicæ est aliquid positivum. Ergò debet abstrahere positivè.

Tertiò prob. ant. sola forma positiva potest præstare positivum effectum; nam effectus formæ est forma communicata; sed obiectum dialecticæ abstrahere ab omni materia, convenit positivè obiecto prædicto. Ergò ipsum debet abstrahere positivè.

Resp: ad primam replicam, neg. ant. & ad primam prob. dist. minorem; exclusio, quæ oritur à perfectione formæ, sicut contingit in Angelis, & in Deo: conc. min. quæ oritur ab imperfectione formæ, & quia forma ficta est incapax prædicati realis, ut contingit in ente rationis: neg. min. & consequentiam. Sicut etiam simplicitas importat perfectionem quando provenit ab actualitate formæ; & tamen in materia, & in puncto indivisibili quantitatis nullam importat perfectionem, quia sim-

plicitas in materia, & in puncto quantitatis oritur ab illorum imperfecta natura.

Ad secundam prob. ant. resp. abstractionem ab omni materia, tam physica, quam metaphysica, esse abstractionem ab omni imperfectione, nam ubi nulla datur materia metaphysica, nulla datur imperfectio; sed ens rationis non abstrahit à materia metaphysica, sed solum à materia physica propter maximam imperfectionem ipsius, quod est magnam potentiam metaphysicam, & imperfectionem habere.

Ad tertiam prob. concessis mai. & min. neg. consequ. Propter latam rationem discriminis, quia videlicet, in Coelo non esse divisibile positivè oritur ab illius elevatione supra alia corpora, ex qua quidem habet non esse corruptibile, & divisioni repugnare; sed abstractio negativa in ente rationis oritur ab imperfectione entitatis.

Ad secundam replicam principalem: neg. ant. & ad primam prob. dist. min. in se ipsis: conced. min. ut dispositæ in forma, & figura: neg. min. & consequ. Quia operationes intellectus solum ut dispositæ in modo, & figura pertinent ad obiectum dialecticæ, & sub hac ratione negativè tantum abstrahunt à materia quamvis physice, & naturaliter abstrahant positivè; sed sub hac ratione non per Logicam, sed per metaphysicam attinguntur.

Addi-

Addimus tamen pro intelligentia doctrinæ, quod si sermo sit de operationibus intellectus quantenus attingunt obiecta disposita per Logicas intentiones, solum pertinent secundario ad obiectum dialecticæ, & quamvis propterea non abstrahant negativè in se ipsis, attinguntur tamen per ordinem ad obiecta abstrahentia negativè, quod satis est ut secundario per dialecticam attingantur; sicut ens rationis in se ipso non abstrahit positivè à materia, & tamen à metaphysica attingitur secundario per ordinem ad abstractionem positivam, & ad ipsum ens reale ut contentum sub abstractione prædicta.

Ad secundam prob. ant. dist. mai. positiva ex parte termini *ad quem*: conc. mai. ex parte termini *à quo*: neg. mai. & conc. min. dist. consequens, positivè ex parte termini *ad quem*: conc. consequ. ex parte termini *à quo*: neg. consequ. sicut namque abstractio Dei ab omni materia negativè, est quidem negativa ex parte termini *à quo*, quatenus Deus dicit negationem materiæ, & illam habere non potest, & carentia formæ in subiecto non apto est negativa, est tamen prædicta abstractio positiva ex parte termini *ad quem*, eò quod est immaterialitas, & actualitas propria Dei, & positiva per quam materiam excludit; ita etiam abstractio entis rationis negativa est ex parte termini *à quo*, quatenus

Mag. Erylan.

ens rationis capax materiæ non est, est tamen positiva ex parte termini *ad quem*, quia est ipsa actualitas, & immaterialitas positiva entis rationis, quamvis ficta, & diminuta; & in hoc sensu est verum ens rationis abstrahere negativè per ordinem ad terminum *à quo*, quem habere non potest.

Ad tertiam prob. dist. consequens, positivè ex parte termini *ad quem*: conc. consequ. ex parte termini *à quo*: neg. consequ. Nam abstractio propria obiecti debet esse immaterialitas illa ratione cuius per scientiam attingitur, & passionis de illo demonstrantur, quæ quidem positiva est, & positivè convenit obiecto, sed comparativè ad terminum *à quo* negativè convenit illi, quatenus videlicet, negat formam, quam obiectum habere non potest, & ita terminativè sumpta convenit negativè, quamvis subiectivè, positivè conveniat; sicut naturæ universaliter permissivè convenit singularitas, & alia prædicata accidentaliter, permissione terminativè accepta, sed permissio subiectivè sumpta non permissivè, sed positivè naturæ convenit.

Instabis: Ens rationis habet de facto materiam à qua possit abstrahere. Ergò etiam ex parte termini *à quo* potest abstrahere positivè: prob. ant. secunda intentio generis est in natura animalis, & secunda intentio speciei concipitur in natura hominis, quam de-




B

no 3

nominat, cuique tanquam subie-
cto applicatur; sed omne subie-
ctum est materia accidentis sub-
iectum denominantis. Ergo ens
rationis habet de facto materiam
a qua possit abstrahere.

Resp. neg. ant. & ad prob.
dist. mai. tanquam subiecto logi-
co: conc. mai. tanquam subiecto
physico informationis, aut recep-
tionis, vel alterius unionis physice;
neg. mai. & dist. min. materia de
qua in presenti: neg. min. Logi-
ca: conc. min. & neg. conseq. Quia
dum in presenti affirmamus, ens
rationis abstrahere negativè, ex
parte termini a quo, loquimur
tantum de materia physica, quam
in re habere non potest, eò quod
licet rebus materialibus applicetur
secunda intentio rationis,
non tamen physice cum illis un-
tur, sed solum Logice eas de-
nominat, physice tamen ab-
trahit ab illis negativè, siqui-
dem physice in illis esse non po-
test, in presenti verò non de
materia Logica, sed de physica
disputamus; & propterea si se-
cunda intentio consideretur in
abstracto sine propria materia
Logica, positivè abstrahet ab illa,
sed abstractio hæc non constituit
ens rationis in esse obiecti,

nec de illa difficultas
nostra procedit.



§. VLTIMVS.

Difficilius argumentum sol-
vitur.

TANDEM contra conclusio-
nem arguitur, perfectio
scientiæ non attenditur
penes perfectionem obiecti. Ergo
quavis obiectum Logicæ sit mi-
nus perfectum; poterit Logica
alias scientias excedere in digni-
tate: prob. ant. primo. Obiectum
mathematicæ minus perfectum
est, quam obiectum physice; siqui-
dem obiectum mathematicæ est
accidens, & obiectum physice est
substantia mobilis naturalis; &
tamen mathematica simpliciter
excedit physicam, vt sæpè do-
cet D. Thomas. Ergo perfectio
scientiæ non attenditur penes per-
fectionem obiecti.

Secundo prob. ant. Obie-
ctum Phylosophiæ opinative ma-
gis perfectum est, quam obie-
ctum Logicæ scientiæ, quando
quidem obiectum Phylosophiæ
opinative est aliquid reale, vide-
licet ens mobile naturale modo
opinativo cognitum; & tamen
Logica scientia physicam opina-
tivam excedit. Ergo idem quod
prius.

Tertio prob. antec. Obie-
ctum notitiæ abstractivæ magis
perfectum est, quam obiectum in-
tuitivæ, cuius obiectum concer-
nit existentiam a qua obiectum
abs-

abstractivæ præscindit; & tamen
notitia intuitiva perfectior est.
Ergo idem.

Quarto prob. ant. Aliquando
imperfectius obiectum perfectio-
nem exigit virtutem. Ergo per-
fectio scientiæ, aut virtutis active
non attenditur penes perfectio-
nem obiecti: prob. ant. Sic equus, &
formica ponantur in æquali dis-
tantia, & sufficienter a longè, per-
fectior virtus visiva requiritur ad
videndam formicam, quam ad
equum videndum; & tamen for-
mica est imperfectius obiectum.
Ergo ant. verum est.

Constat argum. perfectio
scientiæ desumitur ab obiecto in
esse scibilis, & formaliter accep-
to; sed ens rationis in esse sci-
bilis potest saltem adæquare per-
fectionem entis realis. Ergo po-
terit Logica alias scientias adæ-
quare, ac proinde non erit saltem
infima dignitate: prob. min. Pri-
mò ens rationis quod specificat
Logicam, illam adæquat forma-
liter, cum tamen ipsa sit aliquid
reale. Ergo min. vera est: prob.
ant. ens rationis quod specificat
Logicam præhabet in se ipso om-
nem illam perfectionem quam
Logicæ præstat; quia nemo dat
quod non habet. Ergo adæquat
Logicam ipsam.

Secundo prob. min. Ens ra-
tionis in esse scibilis est ita simpli-
citer scibile, sicut ipsum ens rea-
le, & ita simpliciter connecti-
tur cum proprietatibus suis. Ergo

ens rationis sumptum formaliter,
& in esse scibilis adæquat perfe-
ctionem ipsius entis realis.

Resp. ad argum. neg. ant. &
ad primam prob. dist. mai. mi-
nus perfectum materialiter, & in
esse entis: conc. mai. Formaliter,
& in esse scibilis: neg. mai. & con-
cessa min. neg. conseq. Quia obie-
ctum mathematicæ abstrahit à
materia sensibili, & sub ea confi-
deratur à scientiâ, & hæc abstra-
ctio magis perfecta, & elevata est
quam abstractio à materia singu-
lari cum concernentiâ sensibilis,
per quam abstractionem obie-
ctum Phylosophiæ constituitur, &
ita obiectum mathematicæ licet
in esse entis sit minus perfectum,
formaliter tamen perfectius est,
consequentèrque scientia ipsa
mathematica perfectior erit; quia
perfectio scientiæ non attenditur
penes perfectionem obiecti ma-
terialiter accepti, sed penes perfe-
ctionem illius formaliter accepti,
& per specialem abstractionem
constituti; sicut etiam ipsum acci-
dens, vt attingitur per metaphysi-
cam perfectius est in esse obiecti,
quam ipsa substantia, vt per Phy-
losophiam attingitur, eo quod
accidens sub perfectiori abstra-
ctione consideratur à metaphysi-
ca, & attingitur ab ea.

Addimus aliquos affirmare
mathematicas non esse Physicas
simpliciter perfectiores, sed so-
lum esse perfectiores secundum
quid, & certiores quo ad nos,

quatenus earum demonstrationes sunt ad sensum, & per causam magis manifestam nobis, magisque proportionatam, & D. Thom. ita esse intelligendum dum asserit mathematicas esse physica perfectiores; sed explicatio prædicta revera passata est, & contra Doctorem Sanctum.

Ad secundam probationem principalis antecedentis respond. Simili modo, obiectum Philosophiæ opinativæ esse perfectius in esse entis, non tamen in esse obiecti, & quatenus per principia tantum opinativa cognoscitur, sicut aliqui asserunt Logicam esse perfectiorem simpliciter omni habitu practico, quia ens reale ut attingibile modo operativo non adæquat ens rationis ut attingibile modo resolutivo, & modus iste in habitibus habentibus modum procedendi diversum, semper in obiectum refunditur.

Ad tertiam prob. antecedentis resp. Obiectum notitiæ intuitivæ concernere existentiam, & materialiter esse magis materiale, & contractum, quam obiectum abstractive; formaliter tamen esse magis abtractum abstractione formali, eò quod certius, & clarius cognoscitur, qui modus in obiectum refunditur.

Ad quartam prob. resp. dist. ant. perfectiorem virtutem materialiter, & accidentaliter: conc. ant. perfectiorem specie, si obiectum specificè minus perfectum

sit: neg. antec. & conseq. Nam obiectum specificè minus perfectum semper exigit virtutem activam specificè minus perfectam, quia semper importat minorem difficultatem substantialem, & formalem: si tamen obiectum tantum materialiter minus perfectum est, potest aliquando exigere propter conditionem individualem, & accidentalem obiecti perfectiorem virtutem accidentaliter tantum, & hoc in formica contingit, quæ propter sui parvitatem exigit potentiam, & virtutem magis confortatam, & accidentaliter perfectiorem; sicut ab opposito obiectum accidentaliter perfectius exigit aliquando propter conditionem individualem ipsius virtutem accidentaliter perfectiorem: Unde visus Aquilæ perfectius intuetur directè Solem, quem visus imperfectus intueri non valet.

Simile argumentum formari potest in obiecti difficultate; nam quo maior est difficultas obiecti, perfectiorem habitum desiderat, eò quod habitus requiritur ad vincendam difficultatem, & consequenter ad perfectionem, & maiorem difficultatem, perfectior habitus necessarius est; sed obiectum Logicæ est difficilius, ut per se constat, Ergo habitus Logicæ perfectior erit.

Ad quod tamen resp. dist. mai. difficultas formalis: conc. mai.

mai. materialis: nego mai. & dist. min. materialiter, & accidentaliter: conc. min. formaliter, & substantialiter: nego min. & conseq. Quia si habitus perse requiritur ad vincendam difficultatem formalem, & substantialem, quæ perse, & formaliter importatur in obiecto; & ita ad maiorem difficultatem formalem perfectior habitus necessarius est; verum difficultas obiecti Logicæ substantialis, & formalis non est maior, sed potius minor est quam in cæteris obiectis; unde solum difficultas accidentalis obiecti Logicæ maior est, quatenus provenit ab entitate diminuta, quæ non ita facile percipi potest ad usum.

Ad confirm. verò argumenti principalis: neg. min. & ad prob. neg. ant. ad cuius prob. dist. ant. præhabet obiectivè, & terminativè: conc. ant. subiectivè, & formaliter: nego ant. & conseq. Quia specificativum extrinsecum necessarium non est quod in se subiectivè, & formaliter præhabeat perfectionem, quam præstat, sed satis est illam habere terminativè, id est posse primariò terminare totam perfectionem; & habitudinem virtutis, vel habitus, quod quidem non repugnat entis rationis; siquidem habet veras passiones demonstrabiles de ipso realiter, & per actionem intellectus realem; & consequenter primariò terminare potest habitudinem scientiæ realis, quamvis in

se ipso ita perfectum non sit.

Ad secundam probationem minoris eiusdem confirmationis, communiter nostri respondent: ens rationis in esse scibilis esse ita simpliciter scibile, sicut ipsum ens reale, & ita connexum simpliciter cum proprietatibus suis; sed perfectionem habitus, vel scientiæ non debere pensari penes obiectum in esse scibilis formaliter, sed solum penes entitatem illius, secundum quam rationem ens rationis exceditur ab ente reali.

Sed falsitatem solutionis prædictæ satis ostendimus §. 1. rationem probativam aliquorum impugnantes, & quidem hæc propositio: terra est rotunda, quæ entitativè eadem est, formaliter in esse scibilis diversas terminat scientias, & diversam tribuit perfectionem essentialem, & plura obiecta minus perfecta entitativè, formaliter in esse scibilis perfectiora sunt, & perfectiorem terminant scientiam, ut constat in accidenti specificante mathematicas, & metaphysicam, quas Physica non adæquat in perfectione, quamvis obiectum Physicæ, videlicet ens mobile substantiale, entitativè perfectius sit, quod totum non ita contingeret si perfectio essentialis scientiæ non penes obiectum in esse scibilis, sed penes ipsum in esse entis pensaretur.

Id ipsum ratio demonstrativa suadet, nam ab eo summitur perfectio

fectio essentialis, à quo sumitur essentialis species, cum vtraque eadem formaliter sit; sed species essentialis desumitur formaliter ab objecto in esse scibilis, & ita per diversas differentias scibilis differuntur essentialiter scientiæ: Ergo ab objecto in eadem consideratione perfectio essentialis desumenda est, qua propter omnia solutione prædicta.

Ad secundam prob. min. dist. ant. Ita simpliciter scibile, & conexum secundum rationem communem: conc. ant. secundum differentialem rationem: neg. ant. & conseq. Nam scibile in communi est univocum per modum generis ad omnia objecta scibilia, quæ tamen secundum proprias differentias specificè distinguuntur, & consequenter in æqualia sunt in perfectione differentialem essentiali, & ita ens rationis, & ens reale in esse scibilis, sunt ita simpliciter talia secundum rationem communem, sed in ratione differentialem in æqualia sunt, & scibilitas specialis entis rationis intra propriam lineam scibilis non adæquat scibilitatem entis realis, quæ sine dubio perfectior, & altior est.

Sed instabis primò: Perfectio objecti desumi non potest à differentia propria illius in esse scibilis, & formaliter accepti: Ergo solutio tradita nulla est. Prob. ant. Perfectio non est formaliter de linea scibilis, sed intra lineam en-

tis formaliter: Ergo desumi non potest à differentia propria objecti in esse scibilis, & formaliter accepti.

Secundò instabis, minor perfectio objecti Logicæ necessario reducitur ad illius imperfectam entitatem: Ergo perfectio ab entitate desumitur tanquam à prima radice: prob. ant. Minor perfectio objecti Logicæ probatur tandem per illius entitatem; nam eò scibilitas entis rationis minus perfecta est, quia illius entitas ficta est, & diminuta: Ergo necessario reducitur ad illius imperfectam entitatem.

Resp. ad prim. replicam neg. ant. & ad prob. dist. ant. Perfectio integralis, & formalis quæ cum bonitate formali convertitur: conc. ant. Perfectio essentialis: neg. ant. & conseq. Quia perfectio formalis quæ cum formali bonitate, & appetibilitate convertitur, desumitur per ordinem ad existentiam, & invenitur intra lineam entis formaliter, sed de hac in præsentis sermo non est, sed solum de perfectione essentiali, quæ per omnia genera divagatur, & in omni genere reperitur; nam sicut in omni genere, etiam intra lineam scibilis, reperitur essentia, ita etiam in omni genere, etiam scibilis, datur essentialis perfectio. Vnde perfectio essentialis intra lineam scibilis formaliter invenitur.

Ad secundam replicam. dist. ant.

ant. Vt in occasionem illius, & conditionem necessario requisitam: conc. ant. Vt in rationem formalem: neg. ant. & conseq. sub eadem distinctione, quia minor perfectio objecti Logicæ in esse scibilis solum reducitur ut in rationem formalem in ipsam differentiam essentialem constituentem ens rationis in esse scibilis, & objecti, in entitatem verò materialiter acceptam tantum reducitur ut in conditionem necessario requisitam, inferentem tamen bene minorem perfectionem objecti formaliter; sicut actus pravus magis voluntarius, ceteris paribus maius peccatum est, & tamen ratio peccati non reducitur in rationem voluntarij tanquam in rationem formalem, sed potius ratio voluntarij est prædicatum præsuppositum ad peccatum.

Sed quia satis in longum processimus, ne ulterius inmoremur in his, quæ facile percipi possunt: addimus minorem perfectionem

objecti non reduci in entitatem etiam ut in conditionem, formaliter, & ex conceptu communi, quia objectum entitativè minus perfectum potest esse perfectius in esse objecti formaliter, ut contingit in accidenti, quod per mathematicas, & metaphysicam attingitur, cum excessu supra substantiam, quam Philosophia contemplantur; hoc tamen in ente rationis ex conceptu materiali contingit, cuius rationem dedimus supra quia videlicet si entitas ficta est, est in capax materiæ realis consequenterquè solum est capax abstrahendi negativè propter imperfectionem subiecti; cumque abstractio prædicta imperfectissima sit, inde est minorem perfectionem entis rationis in esse objecti, in entitatem ipsius tanquam in occasionem bene inferentem reduci, eò quod entitas ficta non potest aliam abstractionem perfectionem habere.



ARTICVLVS II.

Utrum Dialectica sit prius acquirenda?

§. PRIMVS.

Statuitur affirmatiua Conclusio.

NOSTRAM Conclusio-
nem opusc. 70. art. 1.
D. Thom. & 2. Meta-
phys. text. 15. Arist. ex-
prefferunt, asserentes absurdum
esse simul querere scientiam, &
modum sciendi, sed prius modum
sciendi esse acquirendum, & postea
scientiam; & cum ibidem nomi-
ne modi sciendi intelligant dia-
lecticam, aut Logicam, vt expresse
explicat Doctor Sanctus, sit inde
dialecticam esse prius acquiren-
dam.

Ratione verò conclusionem
suademus, quia illa scientia prius
acquirenda est, quæ tradit modum
acquirendi alias scientias; sed dia-
lectica tradit modum acquirendi
alias scientias. Ergò dialectica
prius acquirenda est: prob. min.
alias scientiæ acquiruntur per dif-
finitionem, divisionem, & argu-
mentationem; sed Logica docet
diffinire, dividere, & argumenta-
ri. Ergò tradit modum acquiren-
di alias scientias.

Confirm. Logica est medium

necessarium, saltè secundum
quid, ad alias scientias consequen-
das; sed medium est prius in exe-
cutione quàm finis. Ergò dialecti-
ca prius acquirenda est.

Explicatur, & vrgetur: Forma
imperfecta prior est in executione
quàm forma perfecta; sicut homo
generans prius introducit formam
embrionis, quàm animam ratio-
nalem, & propter eandem ratio-
dem cognitio confusa prior est
cognitione distincta; sed dialecti-
ca inter alias scientias imperfec-
tissima est. Ergò debet prius ad-
quiri.

Respondebis: Non semper
formam imperfectam esse in exe-
cutione priorem, sed quandoque
formam perfectam præcedere; si-
cut natura proprietates antecedit,
& tamen proprietatibus perfec-
tior est.

Sed contra: Quia quamvis
imperfecta forma, quæ à perfecta
vt à principio dependet, sicut pen-
dent proprietates à natura, non
præcedat in executione perfec-
tam;

tam: forma tamen imperfecta à
qua perfecta dependet, & quæ ad
perfectam ordinatur; debet perfe-
ctam præcedere; sicut dispositio-
nes præcedunt formam ad quam
disponunt, & media præcedunt
finem, & via terminum, & dictio
verbum, & amor impulsus; sed
dialectica imperfectissima est, &
ab illa omnes scientiæ dependent,
saltem secundum quid, & vt me-
lius, vel facilius acquirantur. Er-
gò dialectica prius acquiren-
da est.

Respondebis eadem ratione,
si conuinceret, probari Logicam
esse simpliciter necessariam; siqui-
dem omnia prædicta in impugna-
tione facta, simpliciter necessaria
sunt, cumque hoc ratio facta non
probet, nihil etiam probare de-
bet.

Sed contra: Quia licet om-
nia supra dicta simpliciter neces-
saria sint, ex conceptu peculiari, &
quatenus forma perfecta simplici-
ter pendet ab illis, ex conceptu ta-
men generali dependentiæ solum
probatur ea esse secundum quid
necessaria; sed aliæ scientiæ non
pendent simpliciter à dialectica,
sed tantum secundum quid. Ergò
illa non potest esse simpliciter ne-
cessaria, aut prius acquirenda, nec
hoc ratione probatur, sed tantum
illam esse necessariam secundum
quid, aut prius acquirendam ab-
solutè.

Explicatur impugnatio, sicut
forma simpliciter necessaria est

prius acquirenda simpliciter, ita
forma necessaria secundum quid,
erit prius secundum quid adqui-
renda; sed dialectica est forma se-
cundum quid necessaria, quatenus
tradit modum acquirendi alias
scientias, quo præsupposito facilius
aliæ acquiruntur. Ergò illa erit
etiam prius acquirenda, quamvis
ita non debeat de necessitate con-
tingere.

Impugnatur ulterius: Ex ra-
tione supradicta infertur Logicam
esse prius acquirendam iuxta mo-
dum necessitatis. Ergò si Logica
solum est secundum quid necessa-
ria ad facilius, & ad melius, so-
lum probabitur ratione prædicta
illam esse prius acquirendam se-
cundum quid.

Dices, ex quo illa sit prius ad-
quirenda secundum quid, non be-
nè inferri absolutè esse prius ad-
quirendam.

Sed contra: Quia si semel est
secundum quid necessaria ad faci-
lius, & ad melius, erit etiam prius
absolutè acquirenda, nam ars imi-
tatur naturam, natura verò prius
incipit ab illis, quæ sunt secundum
quid necessaria. Ergò solutio



tradita nulla est. Sed quia

hæc facillima sunt,

oportet ad argu-

menta tran-

sire.



§. II.

*Argumentis contra conclusionem
occurritur.*

Contra Conclusionem nostram poterat in primis argui ex D. Thom. opusc. 56. afferente, impossibile esse scire Logicam, nisi quis expertus sit in alijs scientijs. Ergo aliæ scientiæ sunt prius acquirendæ, quam dialectica, vel Logica.

Ad hoc tamen facile dicitur D. Thom. non negare posse aliquem absolutè scire Logicam ante omnem aliam scientiam, sed solum posse aliquem scire Logicam cum maxîma perfectione, ante quam sit in cæteris eruditus, quod nos etiam affirmamus.

Secundo arguitur: Quia iuxta commune proverbium dialecticorum cum Principe, à facilioribus est incipiendum; sed dialectica non est facilior; sed potius inter omnes difficillima, eò quod habet pro obiecto ens rationis, quod propter minimam entitatem difficillimè percipitur. Ergo illa non est prius acquirenda.

Resp. tamen explicando mai. quando faciliora à difficilioribus non dependent: conc. mai. Si dependeant: neg. mai. & cõcessa min. neg. conseq. Quia cæteris paribus semper est à facilioribus incipiendum, sed si faciliora à difficilioribus pendeant, prius debemus à difficilioribus incipere propter talem

dependentiam; cumque aliæ scientiæ dependeant à dialectica, quæ tradit modum acquirendi alias, inde fit esse incipiendum ab illa, quamvis difficilior sit. Instantia est in dispositionibus requisitis ad formam, quæ difficilior in materia introducuntur, & tamen debent prius introduci, quia forma pendet ab illis.

Sed in tabis. Aliæ scientiæ ut acquirantur non dependent à dialectica. Ergo si vera est data solutio, nõ est prius acquirenda: prob. ant. aliæ scientiæ ut acquirantur non dependent à modo sciendi signatè, & expresse cognito, sed solum ab illo ut exercite attacto; sed modus sciendi potest exercite cognosci sine Logica. Ergo ut aliæ scientiæ acquirantur, à Logica, vel dialectica non dependent.

Sed neg. ant. & ad prob. dist. mai. ut acquirantur absolutè, omitto mai. Quia oppositum est inter Thomistas probabile: ut facilius acquirantur: neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Licet namque ut aliæ scientiæ acquirantur absolutè, non dependeant à modo sciendi signatè, & expresse cognito, ab eo tamen provt sic dependent, ut facilius acquirantur, & cum ille provt sic non possit sine Logica cognosci, inde fit eam necessariam esse ad alias faciliter consequendas, proindeque esse prius acquirendam.

Dices: Cognitio scientifica alicuius obiecti, ut facilius etiam ha-

habeatur, non pendet à modo sciendi signatè, & expresse cognito. Ergo nec aliæ scientiæ pendent à Logica, ut facilius acquirantur. Prob. ant. cognitio clara, & distincta termini non pendet à cognitione clara, & distincta modi sciendi, aliàs non à termino, sed à modo sciendi deberemus in dialectica incipere. Ergo nec cognitio scientifica obiecti, ut facilius habeatur dependet à modo sciendi signatè, & expresse cognito.

Resp. neg. ant. & ad prob. neg. conseq. Ratioque discriminis ea est, quia cognitio scientifica obiecti habetur per demonstrationem, demonstratio verò facilius habetur præhabita notitia clara signata, & expressa modi sciendi, quam sine notitia prædicta: Terminus autem est pars modi sciendi, cumque cognitio distincta partis non dependeat à cognitione clara, & distincta totius, sed potius è contra contingat, inde fit cognitionem claram, & distinctam termini, non dependere à cognitione distincta modi sciendi, sed solum à cognitione confussa.

Tertio arguitur. Metaphysica prius est acquirenda quam Logica. Ergo Logica, vel dialectica non est prius acquirenda. Prob. ant. Primò ex D. Thom. i. physic. lect. i. dicente: Metaphysicam præmitti alijs scientijs, quia determinat de his, quæ sunt communia enti, in quantum ens. Ergo metaphysica prius est acquirenda quam Logica.

Secundò prob. ant. Illa scientia prius acquirenda est, qua præsupposita facilius aliæ acquiruntur; sed supposita metaphysica facilius acquiruntur aliæ. Ergo metaphysica prius acquirenda est.

Tertio prob. ant. Obiectum metaphysicè est prius scibile. Ergo illa est prius acquirenda. Prob. ant. Obiectum metaphysicæ est prius cognoscibile cognitione confussa, quia est universalius. Ergo etiam est prius scibile, aut cognoscibile cognitione scientifica, consequentia à paritate nota videtur.

Quartò prob. ant. Ut acquiratur Logica dependet à manifestatione, & explicatione suorum principiorum; sed metaphysica tradit, & explicat omnium scientiarum principia. Ergo metaphysica, est prius acquirenda quam Logica.

Resp. ad argum. neg. antec. & ad primam probat. Dicimus metaphysicam præmitti alijs scientijs ordine dignitatis, quatenus per universalia principia procedit, & primam causam, videlicet Deum, considerat, & hoc intendere D. Thom. non tamen alijs præmitti dignitate ordinis, aut prioritate executionis, quia perfectissima est, & non à perfectioribus, sed ab imperfectioribus est incipiendum.

Ad secundam probat. ant. dist. min. Facilius absolutè: conc. min. Facilius comparativè: neg. min.

min. & conseq. Licet namque aliæ scientiæ facilius adquirantur absolute supposita metaphysica, magis tamen facile adquirantur supposita Logica, & ideo facta comparatione inter utramque, non ita faciliat metaphysica, sicut Logica, proptereaque Logica erit prius acquirenda. Et argumentum si probaret, convinceret etiam Philosophiam esse prius acquirendam, quia supposita Philosophia facilius aliæ adquiruntur, cuius tamen eadem solutio est.

Ad tertiam prob. negatur ultima conseq. Quia obiectum universalius plura continet, & in vult, & est magis proportionatum respectu intellectus nostri in cognitione confusa, eò quod tale obiectum magis confusum est, & ideo prius est cognoscibile cognitione confusa, sed respectu cognitionis scientificæ non est magis proportionatum, sed potius minus proportionatum est, eò quod magis perfectum, & perfectiorem abstractionem importat, & ita dispar est ratio.

Ad quartam prob. dist. mai. explicatione naturali: conc. mai. Syllogistica, & artificiosa: neg. mai. & dist. min. artificiosè: conc. min. aliter: neg. min. & conseq. Quia metaphysica explicat omnium scientiarum principia modo artificioso, illa reducendo ad impossibile, vel per alia priora probando; sed ut adquiratur Logica, tanta explicatione non indi-

get, sed solum requirit manifestationem principiorum, quæ sufficienter per lumen naturale habetur, & ita Logica non pendet à metaphysica, ut habeatur absolute, sed solum, ut perfectius habeatur, faciliusque conservetur.

Sed contra. Quod concurrat ad conservationem effectus, concurrat etiam ad productionem illius, quia conservatio est continuata productio, & propterea corpora cœlestia, quæ concurrunt ad conservationem viventium, etiam concurrunt ad eorum productionem; sed Logica dependet à metaphysica, ut conservetur, iuxta traditam solutionem. Ergo etiam, ut adquiratur.

Resp. dist. mai. Quod concurrat simpliciter, aut concursu simpliciter necessario: conc. mai. necessario tantum secundum quid, vel ad maiorem perfectionem effectus: neg. mai. & dist. min. Dependuntia secundum quid, & ad maiorem perfectionem ipsius: conc. min. Dependuntia tali simpliciter: neg. min. & conseq. Quia Logica non pendet à metaphysica simpliciter, & ut absolute conservetur, sed solum secundum quid, & ut conservetur facilius, & cum maiori perfectione, ex quo non infertur inferi à metaphysica dependere; nam dum dicitur, quod conservatio est continuata productio, intelligitur de conservatione simpliciter necessaria, qualiter viventia dependent in

con-

conservari à corpore cœlesti, sine cuius influxu absolute conservari non possunt, verum conservatio solum secundum quid necessaria, non est idem cum productione, sed quid à productione diversum. Instantia replicè factæ invenitur in fide, quæ ut facilius conservetur dependet à Theologia, & tamen non pendet ab illa, ut absolute sit, aliàs fides non esset in rustico, in quo Theologia non est.

Quarto arguitur. Obiectum Logicæ non est primum scibile. Ergo illa non est prius acquirenda: prob. antec. primo: Obiectum Logicæ non est primum cognoscibile, sed potius cognoscitur dependenter ab ente reali. Ergo non est primum scibile, patet conseq. Quia arguitur à superiori ad inferius negativè, eo quod cognoscibile est quid superius ad absolute, & scientificè cognoscibile.

Secundo prob. ant. Ens rationis quod est obiectum dialecticæ etiam in esse scibilis, est obiectum secundarium intellectus. Ergo obiectum Logicæ non est primum scibile, quia obiectum secundarium nunquam attingitur nisi dependenter à primario, & per ordinem ad ipsum.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad prob. neg. conseq. Quæ bona non est, nec arguitur in illa à superiori ad inferius purè negativè, sed partim affirmativè, & partim negativè, eo quod propositiones de primo, & ultimo partim affirma-

tivè, & partim negativè exponuntur, sicut hæc: *Ens rationis non est primum cognoscibile*, exponitur ita: *Ens rationis non est cognoscibile, vel aliquid aliud est prius cognoscibile ipso*, & hæc: *Ens rationis non est primum ens*, exponitur etiam ita: *Ens rationis non est ens, vel aliquod aliud ens est prius ente rationis*. Et propter istam rationem non arguitur purè negativè à superiori ad inferius in consequentia sequenti. Ens rationis non est primum ens. Ergo non est primum scibile, quæ consequentia similiter mala est; sicut similiter est mala propter eandem rationem consequentia hæc: *Adam non fuit prima creatura*. Ergo non fuit primus homo, quamvis creatura ex terminis sit prædicatum superius ad hominem, & ad alias creaturas.

Ad secundam probat. principalis ant. Respondent plurimi Thomistæ: ens rationis in esse scibilis esse obiectum secundarium intellectus, adhuc tamen esse primum scibile propter dependentiam, quam habet cognitio scientifica aliorum entium à cognitione scientifica ens rationis.

Sed hæc solutio implicationem involuit; nam obiectum secundarium in ea linea in qua secundarium est, cognitionem obiecti primarij necessario supponit. Ergo vel ens rationis in esse scibilis non est obiectum secundarium intellectus, vel non est primum scibile ant. prob. Obiectum

se-

secundarium semper attingitur dependentè à primario, & ratione ipsius, & per ordinem ad ipsum, aliàs secundarium non esset, cum omnia prædicta sint de conceptu obiecti secundarij. Ergò cognitionem obiecti primarij necessario præsupponit: Vndè Deus prius attingitur per fidem, & habitum Theologiæ, quia obiectum primarium est vtriusque, & ens reale prius attingitur per metaphysicam propter eandem rationem, & ens rationis, vt absolute cognoscibile non prius attingitur ab intellectu, quia in ratione cognoscibilis absolute est obiectum secundarium intellectus, qua propter omiſſa solutione prædicta.

Resp. ad secundam prob. ens rationis in esse scibilis esse obiectum primarium in adæquatum intellectus; sicut accidens est obiectum primarium quamvis in adæquatum metaphysicæ naturalis, cuius ultra ad supradictam impugnationem, alteram possumus adhibere rationem, eamque efficacem: quia ens rationis in esse scibilis non dependet formaliter ab ente reali, aliàs non esset scibile simpliciter, sed solum secundum quid. Ergò in esse scibilis obiectum secundarium non est in ordine ad ens reale, nam obiectum secundarium ex conceptu formali habet à primario dependere, pro indeque in esse scibilis erit obiectum primarium, & poterit per primum actum attingi.

Dices primò: Obiectum primarium non posse supponere secundarium; sed ens rationis in esse scibilis supponit se ipsum in ratione cognoscibilis absolute, in qua consideratione, est obiectum secundarium intellectus: ergo ens rationis in esse scibilis, non potest esse primarium obiectum.

Dices secundò: Obiectum primarium intellectus non potest esse secundarium habitus intellectus; sed ens rationis in esse scibilis est obiectum secundarium metaphysicæ: Ergò nequit esse primarium obiectum comparative ad intellectum, quatenus intellectus discursivus, & ratio.

Resp. ad prim. dist. mai. secundarium quod in eadem linea est, conc. mai. in alia linea diversa, & adæquate distincta, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia quamvis obiectum primarium nō possit supponere secundarium intra eandem lineam formaliter, potest tamen supponere secundarium quod est in alia linea diversa; cumque ens rationis in esse cognoscibilis absolute sit in linea diversa à linea scibilis, inde fit quod ens rationis, quod obiectum primarium est in ratione scibilis, possit supponere se ipsum in ratione cognoscibilis absolute, in qua consideratione secundarium obiectum est.

Ad secundam replic. neg. mai. Quia obiectum primarium intellectus in adæquatum, & mi-

nus

nus perfectum potest sub aliqua peculiari ratione attatum ab habitu particulari dependere ab obiecto primario talis habitus, & consequenter respectu illius esse obiectum secundarium. Et instantia manifesta invenitur in accidenti, quod quidem est obiectum primarium in adæquatum intellectus, & tamen ab habitu Philosophiæ attingitur secundario, in doctrina communiore.

Quintò arguitur: Magis dependet scientia subalternata à scientia subalternante, quam aliæ scientiæ pendeant à Logica; nam scientia subalternata dependet in sus principijs à scientia subalternante, quæ dependentia maior est, dependentia in bonitate consequentiæ, in aliqua aliæ scientiæ à Logica pendent; & tamen prius acquiritur scientia ipsa subalternata: ergò etiam aliæ scientiæ erunt prius acquirendæ quam Logica.

Confirm. argum. Scibilitas entis rationis, quod est obiectum dialecticæ, est talis secundum quid: ergo nequit esse prima, nec Logica erit prius acquirenda. Prob. ant. quamvis scibilitas entis rationis sit formaliter extra genus entis, debet esse talis secundum quid, si entitas secundum quid est talis; sed entitas entis rationis est secundum quid talis: ergò scibilitas est talis secundum quid, prob. mai. Primò, quamvis scibilitas sit formaliter extra genus entis, valet

benè: Est aliquid scibile simpliciter: ergo est ens simpliciter: ergo quamvis sit formaliter extra genus entis, erit secundum quid talis, si semel entitas est talis secundum quid. Prob. ant. quamvis scibilitas sit formaliter extra genus entis valet benè; est aliquid scibile per se: ergo est ens per se. Vndè probant omnes Thomistæ numerum esse ens per se, quia est obiectum per se scibile ab arismetica: ergo valet etiam benè, est aliquid scibile simpliciter: ergo ens simpliciter.

Secundò prob. mai. cognoscibilitas absoluta est formaliter extra lineam entis, cum sit de linea obiecti formaliter, quæ à linea entis distincta est; & tamen, quia ens rationis est ens secundum quid, est etiam secundum quid cognoscibile, cognoscibilitate absoluta: Ergo quamvis scibilitas sit formaliter extra genus entis, debet esse secundum quid talis, si semel entitas est talis secundum quid. Quod idem argumentum potest fieri de ente rationis in ratione veri absolute, secundum quam rationem est tale secundum quid.

Tertio prob. mai. ratio rationis considerata secundum proprium conceptum, est formaliter extra lineam entis, quia secundum proprium conceptum explicat respectum ad terminum, non verò ordinem ad existentiam; & tamen ratio rationis est secundum quid talis, & analogicè convenit cum

cum relatione reali, eo quod entitas relationis prædictæ est talis secundum quid. Ergò idem quod prius.

Secundo vrgetur, & confirm. argumentum ab opposita via: Quia connexio entis rationis cum proprietatibus suis, est de linea entis formaliter. Ergò connexio, & scibilitas prædicta, est talis secundum quid, sicut entitas rationis. Prob. ant. primo. Connexio nihil aliud est quam extrema ipsa connexa; sed extrema connexa sunt de linea entis formaliter. Ergò etiam ipsa connexio.

Secundo prob. ant. Connexio prædicta, vel est relatio transcendentalis, vel sola unio extremorum, aut utriusque coniunctio; sed relatio transcendentalis est de linea entis formaliter, cum non sit ab entitate distincta, & hoc idem de unione dicimus. Ergò connexio prædicta est de linea entis formaliter.

Tertio prob. ant. Ratio causæ est de linea entis formaliter; & propterea causa accidentalis, est causa secundum quid, quia in linea entis est secundum quid talis. Ergò etiam connexio entis rationis cum proprietatibus suis, est de linea entis formaliter.

Quarto prob. ant. Conceptus radicis proprietatum in ente rationis est formaliter de linea entis, quia entitas ipsa est, quæ formaliter radicatur; sed conceptus radicis non est diversus formaliter, à

conceptu connexionis. Ergò connexio supradicta est formaliter de linea entis.

Resp. dist. mai. magis quo ad esse perfectam: conc. mai. magis quo ad primum esse: neg. mai. & conc. mia. neg. conseq. Scientia namque sub alternata dependet à sub alternante in certitudine metaphysica principiorum, in qua aliæ scientiæ à Logica non dependent, & ita quantum ad propriam perfectionem accidentalem magis dependet à scientia sub alternante, quam aliæ scientiæ pendent à Logica, eo quod quamvis aliæ quantum ad perfectionem accidentalem à Logica dependant, non tamen in certitudine principiorum metaphysica, sed solum in alijs minoribus momenti dependent; cæterum quantum ad primum esse magis pendent aliæ scientiæ ab ipsa Logica, quia pendent ab ea in bonitate consequentiæ, quæ non ita facile percipitur, sicut principia scientiæ sub alternantis à pluribus proferuntur, quod satis est ad moralem certitudinem principiorum, & ut scientia sub alternata adquiratur.

Ad primam confirm. argumenti: neg. ant. & ad probationem: neg. mai. ad cuius primam probationem, vltima consequentia negatur, quia ens per accidens non habet vnam essentiam, nec passionem demonstrabiles de ipsa, & consequenter non est per se scibile, proindeque bene infertur esse

esse aliquid ens per se, si sit per se scibile; sed ens secundum quid verum habet essentiam, verasque passionem, & ita est scibile simpliciter, proindeque non valet bene: est aliquid scibile simpliciter. Ergò est simpliciter ens.

Ad secundam probationem mai. dist. mai. formaliter in essendo: conc. mai. in regulando: neg. mai. & concessa minor. neg. conseq. Licet namque ratio veri absolute, & cognoscibilitas absoluta sint formaliter extra lineam entis quantum ad proprium conceptum, quia non dicunt formaliter ordinem ad existentiam, sed solum connexionem cum potentia, quæ constituit lineam obiecti formaliter; regulativè tamen sunt formaliter de linea entis, quia vnum quodque connectitur cum potentia absolute, eo modo, quo absolute est in se, & ita iuxta mensuram entitatis est connexio cum potentia, & qualis fuerit immaterialitas absolute entitatis, erit etiam qualitas connexionis, propter quod dicitur, vnum quodque esse absolute cognoscibile in quantum immateriale. Vnde per ipsam immaterialitatem absolute inspectam regulatur cognoscibilitas absoluta.

Insuper etiam ad est alia ratio discriminis: quia cognitio absoluta regulatur per speciem ut immediatè procedentem ab obiecto, & ut representantem obiecti entitatem absolute, & ideo

Mag. Froylan.

qualis fuerit entitas absolute, erit etiam absoluta cognoscibilitas: Verum cognitio scientifica non regulatur per speciem ut absolute representantem obiectum, sed per eam ut representantem entitatem respectivè; cumque entitas respectivè sit formaliter extra genus entis, inde fit cognoscibilitatem scientificam esse etiam extra genus entis formaliter.

Ad tertiam probat. neg. mai. quia relatio quamvis secundum conceptum proprium non exprimat entitatem ut existentem in se, exprimit tamen entitatem ut existentem ad aliud, qui modus proprius est de genere entis, & non extra genus entis formaliter, & per talem diversum modum essendi constituit relatio speciale predicamentum contentum sub ente formaliter.

Ad secundam verò confirmat. per viam oppositam procedentem: negat. ant. & ad primam probationem: dist. mai. extrema connexa, ut connexa; & obiectivè coniuncta: conc. mai. materialitè accepta: neg. mai. & minorem, sub eadem distinctione, videlicet, extrema ut connexa esse de linea entis formaliter, sed potius in linea scibilis adæquatè distincta formaliter inveniuntur.

Ad secundam probat. concedimus connexionem prædictam esse unionem extremorum, vel relationem transcendentalem ab entitate in distinctam, asserimus

G. ta-

tamen relationem ipsam, & entitatem respectivè sumptam esse extra lineam entis formalitèr; sicut regularitèr dicitur de relatione constituyente signum ad placitum, quæ est ipsa entitas vt relata, sed quia entitas vt relata non est de linea entis formalitèr, sed solum de linea obiecti, propterea signum ad placitum relatione constitutū non est signū secundū quid, sed potius est tale simpliciter.

Ad tertiam probat. omisso antecedenti; neg. conseq. Quia ratio causæ fundatur in continentia, & hæc in entitate fundatur, vnde dicitur vnumquodque agere secundum quod est ens, & secundum quod est in actu; cæterum connexio solum fundatur in entitate, vt extremo, & in illa vt exigente, entitas verò pro vt sic vt extremum connexionis, non est in linea entis, sed in linea subiecti demonstrationis, qua ratione est formalitèr in linea scibilis, & extra lineam entis formalitèr.

Ad quartam probat. respond. conceptum radicis in ente rationis esse quidem de linea entis respectivi, non absoluti, & in linea entis respectivi ens rationis est tale simpliciter, eo quod ita respicit, & exigit proprietates, & connectitur cum illis, sicut ens reale connectitur cum proprietatibus suis; ex quo solum sequitur connexionem esse de linea entis respectivi, non tamen de linea entis absolute, quæ à linea sci-

bilis adæquatè distincta est.

Sed instabis: quod conceptus radicis non est extra lineam entis adæquatè à linea scibilis, condistinctam. Ergo solutio tradita nulla est: prob. ant. Conceptus radicis est formalitèr in eadem linea, in qua est conceptus essentiae, & non in alia adæquatè condistincta; sed conceptus essentiae est in linea entis formalitèr; cum essentia constituatur per ordinem ad existentiam, illamque vt proprium actum respiciat. Ergo idem de conceptu radicis, minor cum consequentia constat, & prob. mai. quia conceptus radicis, & conceptus essentiae, non sunt conceptus adæquatè distincti, nam conceptus naturæ, & essentiae in rebus, no differunt adæquatè; aliàs in differentia rationalis vt essentia, & vt natura daretur adæquata distinctio, & consequentèr daretur duplex essentia; siquidem in vna, & eadem essentia formalitèr non potest dari adæquata distinctio, ne sit eadem adæquatè, & non eadem adæquatè. Ergo conceptus radicis, qui pertinet ad naturam est formalitèr in eadem linea, in qua conceptus essentiae, & non in alia adæquatè condistincta.

Replica hæc difficilè doctrinam involuit, quam tamen examinare præsentis instituti non est, ad eam tamè respond. dist. ant. conceptus radicis activè, & influxivè consideratus: cōc. ant. cōnexivè sumptus, neg. ant. & ad prob. dist. mai. acti-

vè,

vè, & influxivè consideratus, conc. mai. cōnexivè sumptus, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. sub eadem distinctione, Nam in quacunque re potest conceptus radicis considerari influxivè, & activè, idest quatenus essentia rei influit activè in suas proprietates, & si ita cōsideretur est in linea entis formalitèr, eo quod pro vt sic est conceptus naturæ, & in eadem linea, in qua conceptus essentiae: Vnde essentia entis rationis secundum quid tantum influit in proprietates, sicut etiam entitas est talis secundū quid, & idem proportionabiliter de accidenti dicendū. Potest insuper conceptus radicis considerari connexivè, id est per modū extremi connexionis, & subiecti convenientiæ, de quo possunt proprietates demonstrari, in qua consideratione conceptus radicis non est conceptus naturæ, sed conceptum naturæ præsupponit, & quamvis ratio naturæ sit talis secundū quid, natura tamen vt connexa, & subiectum proprietatum est simpliciter talis, quia proprietates, in quas tantum secundum quid influit, ita simpliciter conveniunt illi, & de illa demonstrari possunt in sua linea, sicut demonstrantur proprietates reales de ipso ente reali. Et quidem si argumentum probaret, convinceret etiam de accidenti reali; siquidè accidens reale in linea entis est tale secundum quid, quod tamen adversarij non possunt inten-

dere, & revera vtriusque eadem solutio est.

§. III.

Aliud argumentum solvitur.

TANDEM arguitur, ens rationis non cognoscitur, nisi dependentèr ab ente reali, & ad modum entis realis: ergo ens rationis non est primum cognoscibile, & consequentèr Logica non est prius acquirenda, prob. ant. ens rationis est cognoscibile secundum quid: ergo non cognoscitur, nisi dependentèr ab ente reali, prob. ant. cognoscibilitas est passio entis; sed ens rationis in linea entis est tale secundū quid, diminutum, & fictum: Ergo tantum est secundum quid cognoscibile.

Resp. ad argumentum, negando duo prima antecedentia, & ad prob. dist. mai. cognoscibilitas absoluta, conc. mai. scientifica, & respectiva, nego mai. & concessa minori negatur conseq. sub eadè distinctione. Datur namque in ente rationis, & in quolibet ente cognoscibilitas duplex; vna quidem absoluta, quæ consistit in entitate, & in immaterialitate propria obiecti, vt connexa cum potentia, & cognoscibilitas prædicta sequitur ad entitatem tanquam vera passio illius, & iuxta conditionē entitatis regulatur, quavis sit extra genus entis, & in genere

C₂

obie.

obiecti formaliter; & ita est talis secundum quid in ente rationis, sicut & entitas est secundum quid talis: alia insuper est cognoscibilitas scientifica, & respectiva, quae consistit in connexione essentiae cum proprietatibus suis, quae quidem est talis simpliciter, sicut nuper dicebamus, quia sicut ens reale connectitur cum suis passionibus, ita etiam ens rationis connectitur cum proprietatibus suis. Et instantia argumenti invenitur in accidenti, quod est ens secundum quid, & tamen est cognoscibile simpliciter cognoscibilitate scientifica, & respectiva.

Sed instabis primò: connectio entis rationis cum proprietatibus suis est talis secundum quid: ergo ens rationis est tantum secundum quid cognoscibile, cognoscibilitate scientifica, & respectiva, prob. ant. praedicta connectio formaliter, & pro explicito est ens rationis: Ergo talis secundum quid prob. ant. non est aliquid reale: Ergo est aliquid rationis.

Secundò instabis: ens rationis in esse scibilis pendet ab ente reali: ergo non est primum scibile, prob. ant. Scitur ad similitudinem entis realis: ergo in esse scibilis etiam pendet ab ente reali, prob. ant. passiones entis rationis cognoscuntur ad similitudinem passionum entis realis: ergo ens rationis scitur ad similitudinem entis realis.

Tertiò instabis: quia omnis creatura habet esse à Deo, prius

Deus se cognoscit cognitione scientifica, quam cognoscat creaturas; sed ens rationis habet esse ab ente reali: ergo ens reale debet prius cognosci ente rationis etiam cognitione scientifica.

Quartò instabis: Formalitas fundata non potest excedere fundamentum; sed scibilitas entis rationis fundatur supra entitatem illius: Ergo scibilitas entis rationis est talis secundum quid, & non prima, sed secunda in ordine ad intellectum.

Resp. ad primam replicam, negando duo prima antecedentia, & ad probat. negatur conseq. Quia illa connectio pro explicito solum exprimit unionem, & coniunctionem proprietatum cum essentia, & ita quamvis pro implicito sit ens, eo quod implicat entitatem, pro expresso tamen nullum ordinem importat ad existentiam, & consequenter pro expresso non est ens, nec est aliquid reale, nec est aliquid rationis, sed ab utroque pro expresso praescindit.

Dices connexionem illam pro explicito esse aliquid: ergo reale, vel rationis, quia inter haec non datur medium, cum aliquid adaequatè dividatur in aliquid reale, & in aliquid rationis, ant. prob. connectio illa pro explicito non est nihil: ergo est aliquid, quia nihil, & aliquid opponuntur contradictoriè, & inter praedicta contradictoria, non est assignabile medium.

Res.

Respondent plures Thomista: Connexionem illam pro explicito, nec esse aliquid, nec esse nihil, quod tamen non arguit implicationem, eo quod licet inter nihil, & aliquid absolute, & in re non sit assignabile medium, est tamen assignabile medium inter haec praedicta facta aliqua reduplicatione, nam inter praedicta contradictoria facta reduplicatione bene potest dari medium; sicut album, & non album sunt contradictoria in re, & tamen datur inter ea medium reduplicatione facta, siquidem natura humana secundum se, nec est alba, nec non alba, sed ab utroque praescindit. Sed revera non possumus approbare solutionem: Quia licet inter alia contradictoria possit assignari medium facta reduplicatione, non tamen inter aliquid, & nihil, nam implicat aliquid esse in rerum natura, & non esse aliquid, si enim aliquid non est, non erit in rerum natura, & cum illa connectio pro explicito sit in rerum natura; sicut etiam obiectum formaliter in esse scibilis in rerum natura est, inde fit connexionem illam debere esse aliquid, alias dum intellectus attingit illam non esset verum quod aliquid intelligit intellectus. Qua propter ommissa solutione praedicta.

Respond. ad replicam: dist. ant. Aliquid formalitatis: conc. ant. Aliquid de linea entis: neg. ant. Quia illa connectio pro ex-

Mag. Froylan.

presso aliquid est formalitatis, siquidem est aliqua formalitas, & dum intellectus eam intelligit percipit aliquid intellectus: non tamen est aliquid de genere entis, & ideo non est aliquid reale, vel aliquid rationis; nam aliquid reale, vel rationis non dividunt aliquid commune enti, & omni formalitati, sed solum dividunt ens.

Dices: Si semel illa connectio pro explicito est aliquid, opponitur nihilo; sed si nihilo opponitur est ens, nam solum ens opponitur nihilo. Ergo illa connectio pro explicito erit ens.

Resp. dist. mai. Opponitur nihilo, quatenus nihilum omnem formalitatem excludit, & negat: conc. mai. Quatenus negat entitatem: neg. mai. Quia nihilum non solum negat entitatem, sed omnem formalitatem, & ita illa connectio pro expresso opponitur nihilo, quatenus nihilum omnem formalitatem excludit.

Ad secundam replicam principalem negantur duo illius antecedentia, & ad prob. dist. antec. Cognoscuntur ad similitudinem passionum entis realis in fieri, & cognitione absoluta: conc. antec. cognitione scientifica: neg. antec. & conseq. Quia ut intellectus cognoscat absolute entia rationis, & eorum proprietates, easque fingat, necessarium est quod prius cognoscat passiones entis realis, ad quarum similitudinem fingat

C. 3

etiam

etiam passiones entis rationis; ut tamen ens rationis cognoscat, ut connexum cum proprietatibus suis, non requiritur prius cognoscere ens reale, ut connexum formaliter, & exercite cum suis proprietatibus, sed satis est ipsum cognoscere, ut connexum quo ad *an est*, id est ipsum suas habere passiones, & cum illis esse connexum, quapropter ens rationis in esse scibilis formaliter, nunquam pendet ab ente reali formaliter, sed merè praesuppositivè, quatenus ens reale praesupponit, ut cognitum absolute.

Etsi dicas. Ergò ut ens rationis cognoscatur, ut connexum cum proprietatibus suis, necessarium est prius cognoscere proprietates entis realis; sed proprietates entis realis; cum sint veritates mediate non possunt, non scientifica cognitione cognosci. Ergò ut ens rationis scientificè cognoscatur, debet ens reale scientificè cognitum praesupponi.

Facile respond. veritates mediatas quidditative, & clarè, & ut radicas, & essentiam, ut rationem radicandi non posse, non scientifica cognitione cognosci, non tamen sic attingi proprietates entis realis, antequam ens rationis scientificè cognoscatur, sed solum prius cognosci in communi, & quoad *an est*, id est dari talem essentiam realem, & dari tales proprietates, & ente reali proprietates convenire, quo modo non

scientificè, sed solum cognitione absoluta, & experientia cognoscuntur, sicut experientia notum est hominem ridere, & ignem calefacere, quod est cognoscere proprietates absolute, non tamen eas per causam cognoscere.

Ad tertiam replicam, negamus causalem maioris: Quia non ideo Deus se prius scientificè, quam creaturas cognoscit, quia illae habent esse à Deo ex conceptu communi dependentiæ, sed potius quia cognitio necessaria, prior est cognitione libera in Deo, & quia Deus se ipsum cognoscit scientificè cognitione necessaria, & creaturas libera cognitione; propterea se ipsum scientificè prius, quam creaturas cognoscit.

Ad quartam replicam, dist. minorem; supra entitatem, ut connexam: conc. min. supra illam materialiter: neg. min. & conseq. Quia scibilitas entis rationis non fundatur supra entitatem materialiter acceptam, sed supra illam ut connexam cum proprietatibus suis, qua ratione non excedit entitatem, sed utraque est talis simpliciter.

Dices: Scibilitatem supponere entitatem materialiter acceptam. Ergò sequitur ad illam, & supra ipsam fundatur.

Resp. dist. conseq. ad illam remotè: conc. conseq. ad illam proximè: nego conseq. Nam quamvis scibilitas entitatem supponat, & ad illam remotè sequatur,

tur, proximè tamen solum fundatur in entitate per ordinem ad extrinsecum, videlicet, proprietates, ut exactas, & cum entitate connexas.

Sed instabis primo: Scibilitas divina solum sequitur ad entitatem remotè, quia proximè fundatur in entitate etiam, ut connexa cum proprietatibus suis; & tamen non excedit entitatem materialiter acceptam. Ergò idem de scibilitate entis rationis dicendum.

Secundo instabis: Quia voluntas sequitur ad animam mediate tantum, & remotè, mediante videlicet intellectu; & tamen nequit excedere animam. Et similiter ratio peccati sequitur remotè ad rationem voluntarij, eo quod voluntarium essentialiter praesupponitur ad peccatum; & tamen voluntarium secundum quid est etiam peccatum secundum quid, aut veniale; sicut patet in motibus primo primis circa materiam ex specie sua gravem, qui sunt peccata venialia, quia plenè deliberata non sunt. Ergò idem quod prius.

Respond. ad primam replicam dist. min. ex conceptu peculiari: conc. min. ex conceptu communi permissivè: neg. min. & conseq. Quia licet divina scibilitas solum remotè sequatur ad entitatem, proximè tamen non sequitur ad aliquid adæquatè ab entitate distinctum, eo quod entitas

absolute inspecta, & entitas, ut connexa, non pertinent in Deo ad genera adæquatè distincta, sed sunt idem formalissimè adæquatè, praedicatum, & æquali gaudent in materialitate Divina, propter Divinam infinitatem, & ideo Divina scibilitas ex conceptu talis habet non superare entitatem materialiter acceptam.

Ad secundam replicam dist. mai. pro prima parte: Sequela proprietatis: conc. mai. sequela tantum ordinis: neg. mai. Quia voluntas sequitur ad animam tanquam ad principium, & per modum proprietatis, & quod ita sequitur nequit excedere entitatem; in qua ut proprietas continetur, scibilitas verò sequitur ad entitatem sequela præcisè ordinis, & quatenus entitatem materialiter supponit, & ideo potest entitatem excedere. Instantia est in quantitate, quæ dicitur simpliciter quadrata quamvis sit ens præcisè secundum quid, quia licet quadratura entitatem supponat, non tamen ad illam tanquam ad principium sequitur, sed tantum ad æqualem positionem quatuor angulorum inter se consequitur, ut ad rationem formalem. Et similiter albedo dicitur simpliciter unita subiecto, & accidens dicitur simpliciter assimilare, quia hæc prædicata formaliter ab extrinseco desumuntur quamvis entitatem supponant.

Ad secundam probat. In

eadem replica contentam: dit. min. ex conceptu peculiari: conc. min. ex conceptu communi sup. pdaendi aliquid secundum quid: neg. min. & conseq. Quia licet voluntariam secundum quid sit etiam peccatum secundum quid, hoc tamen non idè est, quia ratio voluntarij præsupponitur ad peccatum, sed propter specialem rationem, quatenus videlicet non censetur, quis graviter offendere Deum, dum non adest ratio perfecta voluntarij, & plena deliberatio, quæ ratio particularis non militat in ente rationis, quin potius entitas secundum quid potest in esse scibilis superare se ipsam, eo quod entitas secundum quid, simpliciter connexa est cum proprietatibus suis.

§. Ultimus.

Breve corollarium ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur dialecticam præceptivam esse prius adquirendam, Logica scientia, quia regularum, & principiorum doctrina prior est, quam demonstratio, & regularum applicatio, vel earum executio; sed dialectica præceptiva tradit regulas, & præcepta, quæ saltem secundum quid præcognosci debent ad demonstrationem conficiendam. Ergo prædicta dialectica prior est.

Si tamen sermo fiat inter

partes dialecticæ, aut Logicæ scientiæ, eam videlicet, quæ disputat de materia, & alteram quæ agit de forma, ea pars, quæ de forma disputat debet esse altera prior; & quia sic exorsus est Aristoteles, & quia inter partes compositi artificialis forma ipsa artificialis principaliter intenditur ab agente, & ita prius debet artifex determinare quomodo forma introducenda sit, & postea decernere, quæ nam materia tali formæ conveniat; sicut ars domificatoria prius intendit formam, & modum quo forma introducenda est, & postea præparat materiam convenientem ad formam. Ergo prior debet esse doctrina de forma artificiali, quam de ipsa materia, in qua introducitur forma.

Sed in tabis, forma artificialis introducitur in materia, & in ea recipitur. Ergo prius debet existere materia, quam forma, sicut lignum debet existere prius, quam formam artificialem recipiat, consequenterque prius est adquirenda, & apponenda materia.

Confirmatur, ab imperfectioribus est incipiendum, ut fert commune proloquium, & probat ordo naturæ, quam ars debet imitari; sed materia imperfectior est forma. Ergo prius debemus agere de materia.

Resp. ad instantiam: dist. consequens, prius in exercitio demonstrandi: conc. conseq. In tradendo do-

doctrinam: nego conseq. Quia dum fit demonstratio, & totum artificiale, prius ponitur materia, & in ea introducitur forma, sed doctrina artis, prius terminatur ad formam, eo quod forma principaliter intenditur ab agente.

Ad confirm. resp. explicando maiorem, facta comparatione artificij, ad artificium: conc. mai. inter partes artificij: neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia facta comparatione artificij, ad artificium prius incipiendum est ab artificio imperfecto, sicut artifex in quacumque arte prius conficit artefacta minus perfecta, &

postea paulatim ad perfectiora transit imitando naturam, & ita est intelligendum proverbium; sed facta comparatione inter partes artificij prius est incipiendum a perfectiori parte, & in intentione operantis, & in tradendo doctrinam, eo quod prius traditur doctrina, & modus conficiendi illud, quod principaliter intenditur ab agente; cumque forma sola principaliter intendatur ab agente, prius illius natura docenda est.

& postea doctrina de materia consequitur.

(S)



ARTICVLVS III.

UTRVM TERTIA OPERATIO INTELLECTUS SIT PERFECTIOR INTER OMNES?

§. PRIMVS.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

AD intelligentiam articuli, quædam supponere oportet, & eorum primum est, triplicem dari intellectus operationem, quarum prima est simplex apprehensio, actus videlicet, quo intellectus res simplices apprehendit, aut rerum essentias, nihil de illis affirmando, vel negando.

Secunda operatio est, composito, vel divisiō; actus, scilicet, ille quo intellectus cognoscit rem aliquid enuntiando de illa per propositionem affirmativam, vel propositionem negativam.

Tertia operatio est, discursus, seu ratiocinatio, quando videlicet, intellectus ex vno cognito alterum per discursum deducit, quæ omnia satis clarè primo posteriorum lect. 1. & 1. p. q. 73. art. 1. habet Angel. Doctor.

Secundo præmittendum est, illam operationem esse perfectiorem inter alias, quæ magis attingit de veritate, de illa perfectè iudicando, & an ita sit, vel non sit clarissimè cognoscendo; nam verum est bonum intellectus, & perfectio intellectivæ virtutis consistit in attingentia veritatis; consequenterque operatio illa, quæ magis percipit de veritate, perfectissima erit.

Tertio præmittendum est, discursum intellectus nostri, aut tertiam operationem esse motum intellectualem discretum, in quo præmissæ habent rationem termini à quo, & conclusio habet rationem termini ad quem: quia Arist. 1. de anim. text. 39. tantum enumeravit inter species motus continui, motum localem, nutritionem, augmentationem, & diminutionem, & alterationem, in quibus non comprehenditur motus intellectus nostri. Ergo motus intellectus discurrentis, non con-

tinuus, sed discretus est.

Sed instabis: Quia si discursus noster, est motus intellectualis discretus, in Angelo ei it discursus, siquidem Angelus motu discreto, de vno movetur ad alterum, nam modo intelligit compluti, & modo Vallis Oleti, & ibi est, ut in loco; sed in Angelis discursus non est. Ergo discursus intellectus nostri non est motus intellectualis discretus.

Facilè tamen respondetur, quod quamvis Angeli modo intelligant vnum, modo alterum, non tamen in Angelis vna cognitio, est causa cognitionis alterius, quod ad verum discursum requiritur, & ita in Angelis discursus non est.

Quartò supponendum est, duplicem dari viam in attingentia veritatis, vnam quidem inventionis minus perfectam, & alteram perfectiorem, quæ via resolutionis appellatur; via inventionis, est primus modus procedendi, quando videlicet, intellectus à præmissis ad conclusionem procedit: Via verò resolutionis est, quando à conclusione regreditur ad præmissas, quæ resolutio per discursum fit inferendo pro conclusione, & termino ultimo discursus prima principia, ex quibus antea fuerat illata conclusio, in quibus principijs intellectus fert sententiam, & iudicat ultimè esse in illis conclusionem.

Verum quia pauci dialectici viam

viam resolutionis intelligunt, eandem in exercitio explicamus in sequenti syllogismo. Omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus. Ergo omnis homo est risibilis. Cuius maior ita resolvitur: cui potest accidere repentinum gaudium, est risibile; sed omni admirativo potest repentinum gaudium accidere. Ergo omne admirativum est risibile. Minor verò supradicti syllogismi resolvitur ita: qui potest cognoscere effectum, & ignorare causam, est admirativus; & ita quando homines vident effectus, & causas ignorant, in admirationem rapiuntur; sed omnis homo potest aliquando videre effectum, & ignorare causam. Ergo omnis homo est admirativus. In quo clarissimè apparet quomodo in via resolutionis infert intellectus pro conclusione ea principia, ex quibus antea intulerat conclusionem.

Tandem supponendum est primam operationem intellectus non esse ceteris perfectiorem, sed potius minus perfectam. Et hoc ratio ipsa suadet, quia prima operatio parum attingit de veritate, & non cognoscit rem, & ea, quæ in illa continentur, clarè, & distinctè, sed cum quadam confusione. Et insuper prima operatio iudicativa non est, alias in merito simplex apprehensio diceretur.

Rursus intellectus noster est agens naturale procedens de po-

tentia ad actum, & ita primus illius actus imperfectissimus est; sicut quia generans de potentia ad actum procedit, prius formam embrionis, quam formam perfectam producit; sed prima operatio est actus ad quem primo pervenit intellectus. Ergo prima operatio imperfectissima est.

Contra prædictam suppositionem, arguitur 1. Quia actus primus ab intellectu procedens debet, esse perfectior. Ergo prima operatio debet excedere alias. Prob. ant. Prima proprietas ab essentia dimanans debet esse perfectior, ut constat in intellectu, qui prius dimanat ab anima rationali, & propterea omnes alias superat proprietates. Ergo primus actus ab intellectu procedens debet esse etiam perfectior.

Confirm. aliæ operationes dependent ab operatione prima. Ergo illa perfectior est, nam dependentia imperfectionem importat. Prob. ant. Secunda operatio componitur ex prima, & tertia componitur ex secunda. Ergo aliæ operationes dependent essentialiter à prima. Et rursus, prima operatio antecedit secundam, & secunda prior est tertia, consequenterque omnes à prima dependent.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad prob. neg. conseq. Quia intellectus in agendo procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, & ita prima operatio

imperfectissima est; sed natura in radicando, non procedit de potentia ad actum simpliciter, nec de imperfecto ad perfectum, sed potius radicat prius proprietatem perfectiorem, eo quod mediante illa continet alias, & consequenter alias, mediante illa radicat.

Ad est insuper alia ratio, quod videlicet, conceptus communis non radicat speciales proprietates nisi mediante differentia specifica, tanquam ratione formali, & ideo in prima proprietate explicatur esse proprium, & specialis differentia naturæ, consequenterque prima proprietas non solum materialiter, sed etiam formaliter est magis propria naturæ, & perfectior inter alias.

Et si dicas, quod dum intellectus cognoscit hominem per simplicem apprehensionem, non procedit de potentia ad actum, siquidem prius cognovit ens, & alia prædicata communia.

Resp. non procedere de potentia ad actum in ordine ad ens. Sed in ordine ad hominem de potentia ad actum procedit, nam prius imperfectè, & postea perfectè cognoscit.

Et si dicas. Quod saltem dum per secundam apprehensionem cognoscit hominem, non procedit de potentia ad actum.

Resp. ita esse in ordine ad apprehensionem, sed in ordine ad componendum, & inferendum, de potentia ad actum procedere.

nam apprehensio quæcumque illa sit, tanquam via, & potentia ad compositionem, & discursum comparatur.

Ad confirmationem verò argumenti respondetur dist. ant. dependentia præsupposita: conc. ant. dependentia formali: neg. antec. & conseq. Quia licet alias operationes dependant à prima materialiter, & præsuppositivè, quatenus componuntur ex illa, non tamen dependent ab ea dependentia formali, & tanquam à causa finali, sed potius illa, ad alias ut ad finem ordinatur. Instantia est in forma naturali, quæ dependet à dispositionibus, & materia, non tamen imperfectior est, quia dispositiones ad formam, ut ad finem ordinantur.

Poterat etiam responderi, alias operationes dependere à prima, non ut formam imperfectam, à perfecta, sed tanquam totum à parte; cumque totum suas partes excedat, inde fit alias operationes esse perfectiores prima, & illam solum esse priorem, prioritate ordinis, non tamen prioritate dignitatis. Ex quibus ad secundum ibi contentum, manifesta est solutio.

Dices, quod partes causant totum; sed causa est potior effectu. Ergo si secunda, & tertia dependet à prima, ut à parte quatenus res apprehensæ componunt enuntiationem, & anuntiationem, & discursum, prima operatio

tio erit perfectior utraque.

Resp. dist. min. causa finalis, aut principaliter effectiva, conc. min. causa materialis, aut formalis, quæ ad totum, ut ad finem ordinatur, neg. min. & conseq. quia causa materialis, vel formalis, quæ ad totum, ut ad finem ordinatur, exceditur ab illo simpliciter, quamvis quoddam modo, & secundum quid superet totum, & exemplum est in partibus componentibus hominem.

Dices, primam operationem non ordinari ad alias, ut ad finem cuius gratia, siquidem est species, & totum in sua linea perfectum, quod non potest ad aliud totum, ut ad finem ordinari: Ergo ex hac parte non debent alias operationes excedere primam.

Facile tamen resp. Obiectum primæ operationis esse totum metaphysicum, & speciem distinctam à quocunque alio artefacto logicali, physicè tamen in linea dialectica esse partem, & non esse totum; sicut obiectum secundæ, & tertiæ, quæ ex partibus physicis pertinentibus ad dialecticam componuntur, & ideo prima operatio benè potest, & debet ad alias, ut ad finem, ordinari.

Arg. secund. ad primam operationem pertinet perfectissimus actus: ergo prima perfectior est. Prob. ant. Perfectissimus actus intellectus nostri, est visio beata; sed hæc non pertinet ad secun-

dam, vel tertiam operationem, cum sit vnus simplicissimus actus, & ita solum pertinet ad primam: ergo ad primam operationem pertinet perfectissimus actus.

Confirm. prim. ea operatio est perfectior, per quam intellectus noster maiorem similitudinem habet cum Angelico intellectu; sed per primam operationem maiorem similitudinem habet intellectus humanus, cum intellectu Angeli: Ergo prima perfectior est. Prob. min. Prima operatio simplici intuitu, & sine vilo discursu cognoscit obiectum; sed hic est modus proprius intellectus Angeli: ergo vera est minor.

Confirm. secund. prima operatio habet nobilius obiectum: ergo perfectior est, quia perfectio operationis à nobilitate obiecti desumitur. Prob. ant. Obiectum primæ operationis, est quidditas, & essentia rei; sed quidditas rei excedit imperfectione omnia alia prædicata: ergo prima operatio habet nobilius obiectum.

Resp. ad argum. visionem beatificam esse vnum simplicissimum actum, non tamen purè apprehensivum, quod erat necessarium, ut pertineret ad primam operationem, sed esse actum iudicativum, & sub hac formalitate pertinere ad secundam, & insuper esse discursivum ex parte obiecti, quatenus creaturas in Deo cognoscit, & Deum, tanquam causam illarum, sub qua formalitate

perfectissima inter omnes, pertinet visio ad tertiam operationem. Ex quo potius infertur, tertiam operationem esse perfectissimam inter omnes.

Ad primam confirm. resp. Quidam Sapientissimus Migister, negando maiorem, quia homo, & Angelus essentialiter distinguuntur, & propterea non explicatur maior perfectio, ubi explicatur maior similitudo, & convenientia, sed potius ubi explicatur distinctivum utriusque. Et instantiam adducit in homine, qui in operatione imperfecta convenit cum equo, in operatione vero perfecta, non convenit, sed potius ab equo distinguitur.

Sed haec solutio inefficax est, quia illa operatio est perfectior, quae magis accedit ad perfectionem Divini intellectus; sed operatio, quae magis accedit ad modum intellectus Angeli, magis etiam accedit ad perfectionem intellectus Divini, cum modus intellectus Angelici magis accedat ad Divinum intellectum: Ergo ea operatio in homine debet esse perfectior, per quam intellectus noster maiorem similitudinem habet cum Angelico intellectu.

Insuper etiam supremum infimi attingit infimum supremi: ergo illa operatio, quae magis assimilatur cum operatione Angelica, quae respectu hominis suprema est, erit operatio perfectior

in homine.

Exemplum autem propositum non est, quia species magis perfecta, sicut homo non convenit cum equo per id quod in ipso homine perfectius est, nec perficitur per maiorem convenientiam cum equo: sed res imperfecta ex maiori convenientia cum perfectiori perficitur, nam eo ipso magis accedit ad Divinam perfectionem, & ideo homo maiorem perfectionem explicat in operatione illa, in qua magis cum Angelo convenit: Unde hac solutione relicta.

Resp. ad prim. confirm. neg. min. & ad probationem, dist. mai. cognitione clara, & penetrativa obiecti, nego maiorem, cognitione confusa, conc. mai. & sub eadem distinctione minoris, neg. consequentiam, quia licet prima operatio simplici intuitu, & sine villo discursu cognoscat obiectum, non tamen illa cognitio est penetrativa rei, siquidem non attingit ea praedicata, quae possunt rei convenire, aut conveniunt de facto, & in illa continentur; sed solum est cognitio confusa, qua intellectus attingit quidditatem, ut postea procedat ad perfectam cognitionem quidditatis, attingendo quidditatem, ut radicem, & ea, quae radicantur in illa. Et propterea intellectus noster non per primam operationem, sed magis per alias assimilatur cum intellectu Angeli, qui rem penetrat.

trativè, clarè, & distinctè cognoscit.

Ad secundam confirm. neg. ant. & ad prob. concessa maiori, dist. min. omnia alia praecisive considerata, conc. minor ut aggregata cum quidditate ipsa neg. min. & consequ. licet namque facta comparatione inter quidditatem, & caetera praedicata, omnia alia a quidditate excedantur, quia ipsa est radix aliorum; non tamen excedit quidditas alia praedicata, ut cum ipsa quidditate coniuncta; sicut licet operans excedat operationem praecisive, non tamen excedit illam, ut cum ipso aggregatam, vel se ipsum ut operatione perfectum; cumque obiectum primae operationis sit sola quidditas, aut res simplex, & obiectum aliarum operationum sint alia praedicata, & simul ipsa quidditas, ut coniuncta cum illis, consequens sit, obiectum aliarum operationum esse perfectius obiecto, quod prima operatio cognoscit.

Sed instabis primo quod in obiecto secundae, & tertiae operationis quidditas de materiali se habet, & solum se habet de formali ratio subiecti, & praedicari, antecedentis, & consequentis, nam per hoc vna distinguitur ab alia, & consequenter hoc se habet de formali; sed perfectio sumitur ab eo, quod de formali se habet: ergo perfectio aliarum operationum non desumitur a

quidditate, sed potius ab accidenti, & a secundis intentionibus, quae sunt per operationes praedictas, consequenterque aliae operationes primam adaequare non possunt.

Secundo instabis, terminus resolutionis perfectior est omnibus alijs; sed obiectum primae operationis est terminus resolutionis, nam omnis quaestio resolvitur per quod quid est, tanquam per fundamentum, & radicem veritatis: ergo prima operatio habet nobilior obiectum.

Tertio instabis, Prima operatio attingit quidditatem, & simul alia praedicata, quae pertinent ad caeteras operationes: ergo ea perfectior est. Prob. ant. Prima operatio dum attingit quidditatem, attingit omnia, quae in quidditate implicite continentur, sine quibus quidditas non invenitur: ergo attingit quidditatem, & simul ea, quae pertinent ad alias operationes.

Resp. ad prim. instantiam dist. mai. Quidditas materialiter sumpta, conc. mai. formaliter, ut id, de quo, vel ut radix, neg. mai. Quia secunda formaliter attingit quidditatem ipsam, ut id quod de alio dicitur, vel de quo dicitur aliud, & tertia attingit formaliter quidditatem, ut radicem. Quapropter utraque operatio attingit formaliter quidditatem sub his accidentibus, aut connotatione praedicta; cumque quidditas

cum

cum his omnibus accidentibus perfectior sit se ipsa solitarie sumpta, inde fit obiectum aliarum operationum esse perfectius simpliciter.

Dices, quidditas sub his accidentibus, aut cum connotatione praedicta, non excedit simpliciter se ipsam absolute consideratam, sed solum secundum quid: ergo aliae operationes attingentes quidditatem sub praedictis accidentibus, non excedunt primam operationem simpliciter, sed tantum secundum quid.

Resp. dist. ant. Se ipsam in esse rei, conc. ant. in esse obiecti, neg. ant. & conseq. Quia quamvis quidditas sub his accidentibus non simpliciter, sed solum secundum quid se ipsam entitative, & in esse rei excedat, eo quod accidentia solum secundum quid possunt perficere quidditatem; in esse tamen obiecti simpliciter excedit se ipsam, quatenus cum maiori claritate, & immaterialitate cognoscitur, & perfectius penetratur; sicut finis, ut connotat media excedit simpliciter se ipsum absolute consideratum, & propterea intentio finis, simpliciter perfectior est simplici volitione, quae ad finem secundum se terminatur.

Ad secundam replicam principalem, neg. min. Quia terminus resolutionis est quidditas, ut radix, vel ut contentiva conclusionis; non vero quidditas secundum se, sub qua formalitate

pertinet ad primam operationem, & ita obiectum primae operationis non est terminus resolutionis formaliter.

Addimus: terminus resolutionis materialiter inspectum non debere esse magis perfectum, ut patet in materia, & forma, in quas resolvitur compositum substantiale, & tamen illas excedit.

Ad tertiam instantiam, dist. ant. & alia implicite, & in confuso, conc. ant. clare, & distincte neg. ant. & conseq. Quia prima operatio eo modo attingit alia praedicata, quo ipsa in essentia continentur, cumque alia praedicata solum implicite, & in confuso contineantur in essentia, inde fit solum hoc modo attingi per primam operationem, explicitè vero tantum cognosci per alias operationes.

Dices. Prima operatio attingit quidditatem ut radicem proprietatum: ergo explicitè proprietates attingit, & ea, quae pertinent ad alias operationes, quia radix non potest attingi, nisi explicitè attingatur radicum; sicut causa in quantum continet effectum, non potest expressè cognosci, nisi expressè cognoscatur effectus.

Resp. dist. ant. ut radicem materialiter, & in esse rei, conc. ant. formaliter, & in esse obiecti, neg. ant. quia licet prima operatio attingat quidditatem, quae est radix; non tamen quidditatem cognos-

cognoscit, ut radicem, nam ut radix formaliter est medium demonstrationis, quae per causam, & radicem procedit, & ita sub hac consideratione solum pertinet ad tertiam operationem.

Etsi dicas: non posse quidditatem cognosci sine extremo connexionis; sed passiones sunt extremum, cum quo quidditas ipsa connaturaliter saltem conneditur. Ergo cognosci non potest, nisi proprietates explicitè cognoscantur.

Resp. tamen maiorena esse veram si quidditas cognoscatur ut radix, & ut connexa cum proprietatibus suis, quomodo non per primam operationem, sed solum per tertiam operationem attingitur. His ergo praelibatis, in quibusmoda difficultas invenitur, ad graviora procedentes, ad secundam, & tertiam operationem transimus, satis probabiliter dubitantes an secunda sit perfectior, vel tertia excedat simpliciter caeteras operationes.

In quo puncto communior sententia defendit secundam operationem esse perfectiorem tertia, quia iudicat via resolutionis de continentia conclusionis in principio, eo quod tale iudicium, cum sit compositio quaedam, ad secundam operationem pertinere debet.

Alia vero sententia affirmat tertiam operationem excedere omnes alias, quam pauci metaphysici tuerentur. Verum quid inde quando quidem ipsam q. 15. de verit.

Mag. Proylan.

art. 1. & 1. p. q. 12. art. 8. & q. 83. art. 5. ad 4. & art. 6. & q. 59. art. 1. ad primum, & 1. 2. q. 66. art. 5. & alibi habet Angelicus Doctor. Et propterea haec sola sit,

§. II.

Nostra Conclusio.

Conclusionem istam Authores aliqui suadere conantur, ex eo, quod omne totum est maius, & perfectius sua parte; sicut homo materiam, & formam excedit, & utriusque simul perfectionem includit; sed tertia operatio est totum, & aliae operationes sunt illius partes, siquidem syllogismus mentalis componitur ex propositione mentali, & haec rursus ex termino mentali componitur. Ergo tertia operatio omnes alias excedere debet.

Hac tamen ratio nisi ad aliam infra dicenda reducatur, facile a contrariis dissolvitur, nam ipsi affirmant tertiam operationem, non componi ex secunda sumpta adequate, & quatenus iudicativa est de discursu in via resolutionis; contra quod iudicium de discursu est compositio quaedam, & pertinet ad secundam operationem, tertiamque supponit, & ita minor supradictae rationis facile a contrariis negatur, ea ergo ratione relicta.

Ratione fundamentali probatur conclusio nostra. Nam illa

D. ope-

operatio perfectior est, quæ magis attingit de veritate, siquidem in attingentia veritatis consistit perfectio intellectus, eo quod verum est bonum intellectus, & perfectio illius; sed tertia operatio magis attingit de veritate. Ergo tertia perfectior est. Min. prob. Secunda operatio solum attingit veritatem propositionis; sed tertia attingit veritatem præmissarum, & etiam conclusionis veritatem. Ergo tertia plus de veritate attingit. Prob. min. Tertia operatio essentialiter est discursus; sed discursus non salvatur sine attingentia præmissarum, & ipsius conclusionis, quia discursus essentialiter importat plures actus, quorum unus est causa alterius; sicut assensus præmissarum, causat conclusionis assensum. Ergo tertia operatio attingit veritatem præmissarum, & etiam veritatem conclusionis.

Confirmatur, & vrgetur, ea operatio perfectior est, quæ magis percipit, & penetrat de principio, vnde Angelicus Præcept. probat cognitionem esse perfectiorem quanto plures conclusiones in principio cognoscit, & quod si tandem cognitio attingat omnes conclusiones in principio contentas, cognitio prædicta erit comprehensiva principij; & propterea affirmat Beatum non posse cognoscere omnia possibilis in verbo, & omnipotentia Divina, quia alias comprehenderet Divinam omnipotentiam; sed tertia opera-

tio est magis penetrativa principij. Ergo ea perfectior est. Prob. min. Tertia operatio attingit præmissas, vt contentivas conclusionis, & ipsius illativas. Ergo est magis penetrativa principij, nam ea operatio, quæ attingit causam, vt contentivam effectus, magis penetrat causam, quam alia operatio, quæ attingit causam solum secundum se, & continentiam causæ non cognoscit.

Resp. aliqui contrariorum, etiam secundam operationem attingere præmissas, vt illativas conclusionis.

Sed hæc solutio principio nittitur falso, quia si secunda operatio ita attingeret præmissas, esset discursiva formaliter, & consequenter superflua esset tertia operatio intellectus. Ergo secunda non attingit præmissas, vt illativas. Prob. ant. Si secunda attingeret præmissas, vt illativas, etiam conclusionem attingeret quatenus ex præmissis inferitur; nam causa non potest cognosci formaliter, vt causativa effectus, quia effectus, vt producibilis, cognoscatur; sed discursus essentialiter consistit in attingentia præmissarum, & in actu attingente conclusionem. Ergo si secunda præmissas, vt illativas attingeret, esset discursus formaliter.

Et si dicas secundam operationem ipsam conclusionem attingere, vt ex præmissis inferatur,

In

In contra est. Quia erit discursus formaliter, vt vidimus; & insuper, quia veritas mediata formaliter, solum attingitur per tertiam operationem; sed conclusio, vt illata est veritas mediata formaliter; siquidem per præmissas tanquam per medium probatur. Ergo secunda operatio non potest conclusionem formaliter, vt illatam attingere.

Respondent vnanimitè contrarij, quod licet secunda operatio non possit attingere præmissas, & conclusionem via inventionis deducendo conclusionem ex præmissis; via tamen resolutionis, attingit præmissas, & conclusionem, non formaliter vt illatam, sed potius, vt contentam in principijs, & iudicat illam esse convenientem principio, & in illo contineri, quod quidem iudicium est vltimum terminus discursus, & perfectissima cognitio veritatis; & propterea cognitio perfectissima veritatis in secunda reperitur.

Sed hæc etiam solutio nittitur falso principio, quia secunda operatio etiam via resolutionis non potest attingere conclusionem in principijs. Ergo solutio data principio nittitur falso. Prob. ant. Secunda operatio non potest attingere principia, vt contentiva conclusionis. Ergo attingere non potest conclusionem, vt contentam principijs. Prob. ant. Non potest attingere principia vt contentiva conclusionis, nisi attingat

principia, vt illativa, vel causativa formaliter; sed illa vt illativa non attingit. Ergo non potest illa vt contentiva cognoscere.

Explicatur impugnatio, sola tertia operatio cognoscit præmissas, vt contentivas, & conclusionem vt contentam in præmissis. Ergo secunda non attingit conclusionem, vt in præmissis contentam. Prob. ant. Sola tertia operatio cognoscit præmissas, vt causativas, & illativas conclusionis. Ergo sola illa attingit præmissas, vt contentivas: quia cognoscere causam, vt productivam effectus, est cognoscere causam continere effectum in sua potestate, & virtute, & contra, cognoscere causam continere effectum, est cognoscere causam posse producere illum. Ergo si sola tertia operatio cognoscit præmissas, vt illativas, sola etiam illa præmissas, vt contentivas cognoscit; sicut dum cognoscimus voluntatem posse producere volitionem, cognoscimus etiam, volitionem continere, & idem de quacumque causa dicendum.

Secundo impugnatur data solutio attingere præmissas, vt causativas, & illativas conclusionis, perfectius est, quam præmissas, vt illativas non attingere; sicut attingere finem, vt rationem volendi media, perfectius est, quam illum, pro vt sic non attingere, & ideo simplex volitio non est ita

D. per

perfecta, sicut intentio finis, quia non attingit finem, ut rationem volendi media, qualiter per intentionem attingitur; sed attingere praemissas, ut illativas pertinet ad tertiam operationem. Ergo tertia perfectior est.

Addimus conclusionem, ut contentam in praemissis esse veritatem mediatam, & attingere veritatem mediatam, non pertinere ad secundam, & consequenter illam iudicare non posse de continentia conclusionis in principio.

Tertio impugnatur solutio data, quia iudicium de discursu, & de continentia conclusionis in principio, solum pertinet ad tertiam operationem. Ergo tale iudicium non in secunda, sed in tertia reperitur: antec. expressum est D. Thom. q. 15. de verit. art. 1. & prob. ideò iudicium de compositione enuntiativa per se pertinet ad secundam, quia sola secunda componit enuntiando vnum de alio; sed sola tertia discurret. Ergo iudicium de discursu, solum per se pertinet ad tertiam operationem; & ideò sicut iudicium signatum de compositione enuntiativa pertinet ad secundam, quae per se habet enuntiare, ita iudicium de discursu signatum, & non solum exercitum, pertinebit ad tertiam, quae per se discursiva est.

Quarto impugnatur solutio. Ad secundam operationem tantum pertinet actus, qui dicitur

ab habitu principiorum, sed iudicium supra dictum, non ab habitu principiorum, sed ab habitu scientiae procedit. Ergo non pertinet ad secundam operationem.

Respondent contrarij. Tale iudicium, pertinere ad habitum scientificum, & simul ad secundam operationem, quia in habitu scientifico reperitur esse discursivum, & simul esse iudicativum de discursu, & de continentia conclusionis in principio, & quamvis habitus scientiae secundum primam formalitatem ad tertiam operationem pertineat, secundum aliam tamen formalitatem, videlicet, iudicativi, non ad tertiam, sed ad secundam solum pertinet operationem.

Hac tamen solutio voluntaria est, & contra Doct. Sanctum, q. 15. art. 1. ad 4. Vbi respondet dicendum: *Quod iudicare non est proprium rationis per quod ab intellectu distingui possit, quia etiam intellectus iudicat hoc esse verum, illud falsum; sed pro tanto iudicium rationi attribuitur, quia iudicium in nobis communiter fit per resolutionem in principia.* Sentit ergo Divus Thom. iudicium quod fit per resolutionem in principia, pertinere tantum ad rationem, vel ad intellectum discurrentem, & consequenter solam tertiam operationem iudicare de discursu, & continentia conclusionis in principio in via resolutionis, Proindeque

haec

habitus scientificus quatenus iudicativus est in via resolutionis ad tertiam tantum. pertinebit operationem.

Secundo impugnatur solutio praedicta, quia dum intellectus per tertiam operationem praebet assensum conclusioni, ut illatae convincitur circa illam, ut illatam, alias actus ille erit opinativus, & non erit scientiae formaliter; sed convinci non potest, nisi cognoscat, & iudicet evidentè illam esse bene illatam, quia nullus absque evidèntia convincitur: Ergo tertia operatio erit iudicativa formaliter, & in ipsa prout tali erit habitus scientiae, quatenus iudicativus est.

Tertio impugnatur solutio, quia habitus scientiae non potest perficere, & actuare intellectum, quatenus intellectus est; nam intellectus, ut intellectus denominatur ab attingentia principiorum, non verò ab attingentia conclusionis, & principij ut illativi, qua ratione principium per se pertinet ad scientiam; sed ad secundam operationem pertinet intellectus, ut intellectus est: Ergo secundum nullam formalitatem potest habitus scientiae in secunda operatione collocari.

Tandem impugnatur solutio ex D. Thom. 1. 2. q. 66. per totam; quia si iudicium de discursu, & de continentia conclusionis in principio esset formaliter in secunda operatione, etiam habitus

Mag. Froylan.

scientificus esset tantum in secunda operatione, & secundum nullam formalitatem reperiretur in tertia; sed hoc adversarij affirmare non possunt: ergo nulla est eorum doctrina. Prob. mai. Ibi constitutus est habitus, ubi proprius, & principalis actus consummatur, & completur; qua ratione probat D. Thom. loco citato artic. 5. in sensibus non esse ponendam virtutem, quia cognitio veri, quae est opus virtutis cognoscitivae, non in sensibus, sed in intellectu consummatur, & completur, & ita quamvis professio externa fidei sit actus fidei; habitus tamen fidei solum ponitur in intellectu, quia reconditudo fidei in intellectu consummatur; & quamvis oratio, quae est actus religionis, sit in intellectu, virtus tamen religionis ponitur in voluntate, eo quod in voluntate consummatur, & completur reconditudo religionis, quae in subiectione, & reverentia consistit; sed cognitio scientifica ultimo consummatur, & completur in iudicio resolutive: Ergo si tale iudicium existit in secunda operatione, habitus scientificus tantum erit in secunda, & secundum nullam formalitatem collocabitur in tertia.

Secundo satis efficaciter probatur conclusio nostra. Quia illa operatio est perfectior, cuius perfectissimus actus excedit actus aliarum operationum; sicut intellectus perfectior est voluntate, quia actus perfectissimus intelle-

D 3. cius,

ctus, videlicet, visio beata omnem actum voluntatis excedit; sed actus perfectissimus tertiae operationis excedit actus aliarum operationum: ergo tertia perfectior est. Prob. min. Actus, & habitus sapientiae formaliter pertinent ad tertiam operationem, cum sint formaliter, & virtualiter discursivi; sed actus sapientiae excedit ceteros actus naturales: ergo actus perfectissimus tertiae operationis excedit actus aliarum operationum. Prob. min. Beatitudo naturalis superat in perfectione omnes actus naturales, eo quod est ultima foelicitas, ad quam omnes aliae operationes ordiuntur; sed beatitudo naturalis in actu sapientiae consistit; siquidem beatitudo naturalis habetur per cognitionem Dei Authoris naturalis habitam per discursum ex effectibus naturalibus, quae cognitio est actus sapientiae: Ergo actus sapientiae excedit ceteros actus naturales.

Confir. & vrgetur. Actus sapientiae superat omnem actum scientiae, & aliunde superat etiam omnem actum luminis principiorum: ergo actus sapientiae excedit omnem actum naturalem. Ant. quantum ad primam partem conceditur à contrarijs, quo ad secundam probatur ex D. Thoma 1. 2. q. 66. articul. 5. in quo quaerit utrum sapientia sit maxima inter virtutes intellectuales, & respondet conclusionem expresse affirmante sapientiam esse perfectio-

rem inter omnes, etiam comparatam cum habitu principiorum, qui attingit universalia principia creata, sed ipsum Deum, illius existentiam non attingit; nam licet Deum esse sit per se notum secundum se, non tamen est per se notum quo ad nos, sed potius per effectus creatos probatur Dei existentia à sapientia naturali: Ergo actus sapientiae superat omnem actum luminis principiorum.

Secundo prob. ant. Sapientia habet nobilissimum obiectum, quia attingit primam, & universalissimam causam, videlicet Deum, qui perfectior est in esse obiecti, quocumque obiecto creato: Ergo actus sapientiae superare debet actum luminis principiorum.

Dices: Physicam attingere Deum, ut primum motorem; & tamen perfectior non est habitu principiorum: Ergo idem de sapientia dicendum.

Sed contra, quia sapientia ex professo, & directe ipsum Deum, tanquam obiectum principalitatis attingit, & illius attributa declarat, Physica vero pro obiecto adaequato respicit ens mobile naturale, Deum autem, solum attingit indirecte, & in obliquo, ut terminum dependentiae, & ut causam efficientem: Ergo quamvis sapientia perfectior sit, non infertur inde Physicam perfectiorem esse.

Tertio prob. ant. Confirmatio adducta, quia sapientia iudicat de principijs, & probat con-

tra

tra negantes, & explicat terminos, & ad impossibile reducit, & à priori probat rationem entis, & non entis, per ipsum Deum, cuius proprius effectus est, ipsum esse commune, cuicumque effectui creato, quod tamen non habet habitus principiorum: Ergo idem quod prius.

Dices habitum Theologiae esse habitum sapientiae, & fidem esse habitum principiorum in linea supernaturali; & tamen fides perfectior est: Ergo nulla est data doctrina.

Sed contra, quia fides quamvis sit habitus principiorum, ratio tamen formalis illius, videlicet revelatio Divina, perfectior est, quam revelatio virtualis, & mediata, specificativa Theologiae, quod non invenitur in habitu luminis principiorum naturali, comparative ad sapientiam: Ergo de habitu luminis comparato cum sapientia, & de habitu fidei comparato cum Theologia, aliter discurrendum est.

Secundo impugnatur doctrina, quia Theologia essentialiter dependet ab habitu fidei in iudicando de obiecto, & ad fidem explicandam ordinatur: Unde probabilitas iudicij Theologici, per maiorem conformitatem cum iudicio fidei praesentatur; sed in sapientia comparata cum lumine oppositum contingit: Ergo idem quod prius.

Et si dicas donum sapientiae

explicare fidei principia, & tamen non subordinat sibi fidem, nec illam adaequat imperfectione: Ergo idem de sapientia dicendum, quamvis principia luminis per sapientiam explicentur.

Sed contra, quia donum sapientiae non explicat à priori principia fidei, & per alia superiora principia, sed potius per principia inferiora, & à posteriori ratione affectus, & saporis, vel suavitatis, à charitate dimanantis; sed sapientia explicat à priori principia luminis per ipsum Deum, qui est prima illorum causa: Ergo de sapientia aliter sentiendum est.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram poterat in primis argui ex Angelico Doct. q. 8. de veritate art. 8. asserente: Supremum intellectus nostri non esse rationem, sed intellectum, qui est rationis origo; sed intellectus, ut intellectus pertinet ad secundam operationem: Ergo secunda operatio suprema est.

Respondetur tamen facile D. Thom. non loqui de intellectu, quatenus intellectus simpliciter denominatur, de intellectu, ut attingente principia, ut illativa conclusionis, quae cognitio est

D. 4.

origo.

origo alterius cognitionis attingentis conclusionem, secundum quam intellectus dicitur ratio, quaeque non adaequat cognitionem principiorum, & propterea ista superior, aut suprema est, & ita esse intelligendum Sanctissimum Praeceptorem ex dicendis infra constabit, & adversarij argumentum solvere debent, quia fateri tenentur supremum nostri intellectus non esse rationem, sed intellectum, ut iudicantem ultimò de continentia conclusionis in principio, sed tale iudicium non est rationis origo, sed potius rationem, & discursum terminat: Ergò de illo non loquitur Divus Thomas, & iuxta hanc, aut similem doctrinam intelligendus est D. Thom. in alijs locis, in quibus praefatae conclusionis oppositum sentire videtur.

Arguitur secundò, quia secundum doctrinam D. Thom. 1. p. q. 79. art. 8. ratiocinare comparatur ad intelligere; sicut moveri ad quiescere, vel adquirere ad habere, quorum vnum est perfecti, aliud verò imperfecti; sed ratiocinare pertinet ad tertiam operationem, intelligere verò ad secundam: Ergò tertia operatio non adaequat secundam in perfectione.

Resp. explicando maiorem, ratiocinare in adaequatè sumptum conc. mai. adaequatè consideratum, neg. mai. & disting. min. Intelligere absolutè, conc. min. intelligere terminativum discursus,

neg. minor. & consequent. In tertia namque operatione duplex formalitas reperitur, vna discurrentis, & altera iudicantis, & ratiocinare importat duo formalitèr, discursum videlicèt, in adaequatè sumptum, quod est conclusionem inferre, & terminum ipsius discursus, quod est iudicare de bonitate discursus, & de continentia conclusionis in principio. Ex quibus illud primum, comparatur ad hoc secundum; sicut via ad terminum, & motus ad quietem, & utrumque pertinet ad intellectum, ut ratio est & de hoc intelligere asserit Div. Thomas, quod ratiocinare comparatur ad ipsum, sicut motus ad quietem: Vnde non loquitur de intelligere pertinente ad secundam operationem. Quod confirmat 1. p. q. 9. art. 1. dum in corpore asserit, intellectum per discursum pervenire ad cognoscendum illud, quod sine discursu cognoscit.

Sed instabis D. Thom. loco citato loquitur de intelligere pertinente ad intellectum, quatenus intellectus est: ergò loquitur de intelligere pertinente ad secundam operationem. Prob. ant. Loquitur de intelligere pertinente ad intellectum, de quo in articulo quaerit, an sit potentia distincta à ratione; sed in articulo quaerit de intellectu, quatenus intellectus est: Ergò de illo loquitur D. Thomas.

Resp. neg. antecedens, ad pro-

probationem dist. min. de intellectu, ut intellectus est tantum: neg. min. De illo, & insuper de intelligere terminante discursum, aut iudicante de bonitate illationis: conc. min. & neg. conseq. Quia D. Thom. in articulo quaerit de intellectu, quatenus intellectus simpliciter denominatur, & simul de illo quatenus iudicat de bonitate discursus, secundum quam rationem pertinet ad tertiam operationem, sed in ratione tantum loquitur de intellectu, & intelligere terminante discursum, & idem est, ac sic diceret, quod in tertia operatione deducere conclusionem ex praemissis, comparatur ad iudicium, sicut motus comparatur ad quietem.

Dices: Ergò in ratione non loquitur de intelligere pertinente ad intellectum, quatenus intellectus est, sed de eo, quod pertinet ad intellectum, ut ratio. Ergò non probat conclusionem; siquidem conclusionis quaesitum de utroque procedebat.

Resp. distinguendo secundum consequens, per consequentiam immediatam: conc. conseq. Quia ex vno alterum infertur, nam si semel intelligere, quod ad tertiam pertinet, non est distincta potentia à ratione; hoc idem infertur de intelligere pertinente ad secundam, eo quod utriusque eadem ratio est.

Dices: intelligere simpliciter, quod pertinet ad secundam, non

est terminus discursus, benè tamen intelligere, quod pertinet ad tertiam. Ergò vnius, & alterius eadem ratio non est.

Resp. dist. consequens, eadem materialiter: conc. conseq. eadem formalitèr: neg. conseq. Nam sicut intelligere, quod pertinet ad tertiam operationem, est terminus discursus, & discursus ordinatur ad illud, & propterea non pertinet ad distinctam potentiam, eo quod actus subordinati ad eandem potentiam pertinent, & eiusdem est moveri, & quiescere; ut lapis movetur ad centrum, & quiescit in illo, ita similiter intelligere, quod pertinet ad secundam, ordinatur ad discursum, & ad terminum discursus; & ita propter eandem rationem, non pertinet ad distinctam potentiam, sed eadem ratio formalitèr, probat utrumque primum quidem per consequentiam immediatam, & secundum per mediatam consequentiam.

Tertiò arguitur. In tertia operatione non reperitur iudicium. Ergò illa non est perfectior. Prob. ant. Ex D. Thom. q. 2. de veritat. art. 7. dicente: Intellectum iudicare apprehensa, quando dicit quod aliquid est, vel non est, quod est intellectus componentis, & hoc idem 1. p. q. 16. art. 2. & alijs in locis docet Angelicus Doctor; sed compositio non in tertia, sed in secunda reperitur. Ergò in tertia iudicium non est.

Respondetur neg. ant. & ad pro-

probat. disting. min. compositio enuntiativa: conc. min. compositio illativa, & iudicativa discursus: neg. min. & conseq. Nam licet in secunda sit compositio enuntiativa, in tertia tamen reperitur compositio illativa, eo quod syllogismus ex enuntiatione componitur: Unde ex hac parte, nihil contra conclusionem infertur; siquidem utraque operatio est compositiva, quamvis diversa compositione, & sicut secunda iudicat de compositione, quam facit, ita tertia iudicat, de compositione illativa, & bonitate discursus, & in utraque etiam operatione veritas formalis reperitur.

Sed instabis primo: Obiectum capax iudicij est conformitas, vel convenientia unius ad alterum; si a predicta convenientia non invenitur in tertia, que sola habet inferre unum ex alio, & hoc non est unum ad alterum comparare. Ergo in tertia non reperitur iudicium.

Secundo instabis. Secunda operatio potest iudicare de bonitate discursus. Ergo tale iudicium non est admittendum in tertia. Prob. antec. Non implicat unam operationem de his, que in alia sunt, iudicare. Ergo secunda iudicare potest de bonitate discursus. Patet ant. Nam secunda operatio de facto iudicat primam operationem bene, vel male apprehendisse. Ergo non implicat unam de his, que in alia sunt iudicare.

Tertio instabis tertia operatio, non potest via resolutionis cognoscere veritatem mediatam, aut conclusionem in principio. Ergo de continentia conclusionis in principio iudicare non potest. Probat. ant. Veritas mediata non potest in principio cognosci, nisi veritas ipsius principij cognoscatur; sed tertia cognoscere nequit veritatem principij, quia veritas principij est immediata, & ideo solum pertinet ad secundam operationem. Ergo tertia operatio non potest cognoscere veritatem mediatam, vel conclusionem in principio.

Resp. neg. min. Quia tertia operatio non solum unum ex altero deducit, sed etiam cognoscit proportionem, & conformitatem aut convenientiam conclusionis ad principium, & de tali convenientia iudicat; sicut secunda non solum componit unum cum alio, sed etiam iudicat de compositione predicta.

Dices: Iudicium de bonitate illationis, & de continentia conclusionis in principio, est una simplex propositio explicata per *ly ita est*; sed propositio simplex pertinet ad secundam. Ergo iudicium predictum ad secundam pertinere debet.

Resp. dist. min. Propositio simplex, que virtualiter discursus non est: conc. min. Si virtualiter est discursus: neg. min. & conseq. Nam iudicium de bonitate discursus

discursus, est virtualiter discursus, & terminat illationem, & ita pertinere debet ad tertiam, ad quam pertinet de propria materia iudicare.

Ad secundam replicam: neg. ant. & ad probat. dist. ant. iudicare in directe, si ex alia componatur: conc. ant. directe: neg. ant. & conseq. Quia secunda operatio componitur ex prima, & ita dum directe iudicat se bene componere, iudicat etiam mediate, & indirecte primam bene apprehendisse. Ex quo infertur tertiam operationem iudicantem de bonitate discursus indirecte, & mediate iudicare secundam bene composuisse, non tamen infertur secundam posse iudicare de tertia cum non componatur ex illa.

Ad tertiam replicam: neg. antec. & ad probat. neg. min. Quia licet veritas principij secundum se pertineat ad secundam operationem, veritas tamen ipsius, ut illativi pertinere debet ad tertiam sicut 2. 2. q. 51. art. 2. ad 1. docet Ang. Doct. dicens: Principium secundum diversam attingibilitatem pertinere ad scientiam, & habitum principiorum, nec novum est veritatem immediatam secundum diversam formalitatem ad diversas etiam pertinere operationes; sicut eadem quidditas, ut apprehensa pertinet ad primam, & ut subiectum, vel predicatum, pertinet ad secundam.

Adde plures affirmare prin-

cipium, ut illativum esse veritatem mediatam formaliter, & ostensive, quatenus veritatem mediatam, vel conclusionem ostendit, & ita sub formalitate predicta solum pertinere ad tertiam operationem, non vero ad secundam, ad quam solum pertinet veritas, que nec ut *quod*, nec ut *quo*, nec absolute, nec relative, veritas mediata est.

Sed instabis contra utramque solutionem. Cognitio principij ut illativi, est cognitio confusa, quia intellectus procedit de imperfecto ad perfectum, & a cognitione confusa, ad cognitionem distinctam, & a premissis procedit ad conclusionem explicitam, & distinctam cognoscendam; sed cognitio confusa pertinet ad secundam operationem. Ergo cognitio principij, ut illativi, ad secundam pertinere debet.

Resp. dist. min. cognitio confusa principij secundum se: conc. min. principij ut illativi: neg. min. & conseq. Sicut namque cognitio confusa subiecti, via compositionis, & tendentiæ ad predicatum, pertinet ad secundam, ita pertinet ad tertiam cognitio confusa principij, ut illativi, que cognitio solum in confuso, & in obliquo conclusionem attingit, & insuper ad tertiam pertinet cognitio distincta, que in recto, & explicitè terminatur ad conclusionem, & altera etiam cognitio iudicativa, per quam via resolutionis cognoscitur con-

conclusio in principio continente; sicut eadem quidditas confuse cognoscitur per primam operationem, & confuse etiam cognoscitur per secundam.

Quarto arguitur actus attingens præmissas secundum se excedit in perfectione actum attingentem illas, prout inferunt conclusionem: ergo secunda operatio debet excedere tertiam. Prob. ant. Principium secundum se excedit in perfectione se ipsum ut illativum, & causativum effectus: ergo actus, qui attingit præmissas secundum se superat in perfectione actum attingentem illas, prout inferunt conclusionem. Prob. ant. primo. Ratio principij secundum se pertinet ad conceptum essentiae; ratio verò principij, ut causativi pertinet ad conceptum naturæ, quæ constituitur per esse radicem formaliter; sed conceptus essentiae superat in perfectione conceptum naturæ, cum essentia constituitur per ordinem ad esse, & ad se, natura verò per ordinem ad aliud: Ergo principium secundum se, superat in perfectione se ipsum, ut causativum effectus.

Secundo prob. ant. Principium secundum se explicat propriam, & intrinsicam actualitatem, ut causativum verò explicat actualitatem effectus; sed prima actualitas superat in perfectione secundam: Ergo idem quod prius.

Confirmatur; tertia operatio non attingit in recto principia, sed

solam conclusionem: ergo non est perfectior secunda, quæ principia attingit in recto. Probatur antec. Tertia operatio tantum attingit in recto veritatem mediatam, cum tertia operatio sit cognitio mediata: Ergo non principia, sed solam conclusionem attingit in recto.

Respondetur ad argumentum, negando duo antecedentia prima, & ad probationem primam neg. min. Quia conceptus essentiae, & conceptus naturæ, se habent tanquam duo inadæquati conceptus eiusdem essentialis differentiae, ex quibus ultimus conceptus, qui est conceptus naturæ, debet esse perfectior; sicut universaliter contingit inter omnes conceptus inadæquatos, nam ultimus conceptus, ultimum etiam actuat, & constituit essentiam, & propterea in Deo ratio ultimi finis, & conceptus infinitæ sanctitatis completè, & formaliter habetur per conceptum radicis. Et quamvis verum sit naturam esse ad aliud connotativè, non tamen est ad aliud, ut ad finem *cuius gratia*, sed ut ad finem effectum; sicut operans est in ordine ad operationem, tanquam ad finem effectum, & tamen natura in ratione operativæ perfectior est natura secundum se.

Ad secundam prob. antecedentis, dist. mai. effectus, & propriam simul, conc. mai. cum exclusionem propriæ, nego mai. quia principium, ut causativum, non solum explicat actualitatem effectus,

Actus, sed etiam explicat propriam, ut alteram continentem, quod absque dubio perfectius est; sicut perfectior est Divina omnipotentia, ut contentiva possibilium, quam seclusa continentia prædicta, & ita beatus, qui attingit omnipotentiam Divinam, ut contentivam plurium possibilium, perfectius illam attingit in via D. Thomæ, quam alter, qui omnipotentiam secundum se, vel ut contentivam unius, vel alterius cognoscit.

Dices: Visio, quæ attingeret omnipotentiam, ut causam unius, vel alterius possibilis, non esset perfectior simpliciter visione beata attingente solum Divinam omnipotentiam secundum se, sed solum accidentaliter excederet illam, ut universi Thomistæ fatentur: Ergo quamvis tertia operatio, attingat principia ut illativa, non infertur inde esse perfectiorem simpliciter, sed solum secundum quid operatione secunda.

Resp. dist. ant. Comparativè ad lumen, conc. ant. quia lumen est principium specificum utriusque sub vna, & eadem ratione. Comparativè ad aliam, neg. ant. quia ille excessus accidentaliter obiecti, & operationis prædictæ, comparativè ad aliam operationem dicitur talis simpliciter; sicut duo actus Logicæ, aut Physicæ comparativè ad habitum sunt æquales simpliciter, & inter

se sunt simpliciter inæquales, quia excessus obiecti materialis refunditur in unum actum in ordine ad alterum.

Addo, quod etiam concessio, vnam ex prædictis operationibus solum secundum quid excedere alteram, solum infertur tertiam operationem, secundum quid superare secundam, & cum in alijs adæquentur, excessus, qui reperitur inter illas, stabit pro tertia operatione, quod asserimus.

Ad confirm. Argumenti principalis respondetur, in tertia operatione reperiri cognitionem terminatam in recto ad veritatem mediatam: videlicet conclusionem; & aliam etiam cognitionem antecedentem, terminatam in recto ad veritatem immediatam, aut principia, non quidem secundum se, sed ut illativa conclusionis.

Sed instabis: Cognitio immediata nequit pertinere ad tertiam operationem: ergo nulla est data solutio. Prob. ant. Cognitio immediata elicitur ab habitu principiorum, qui non pertinet ad tertiam operationem: Ergo cognitio prædicta ad tertiam pertinere non potest.

Resp. dist. secundum antecedens, immediata principij secundum se, conc. ant. principij ut illativi, neg. ant. & consequentiam, quia cognitio immediata principij ut illativi, nec pertinet ad secundam operationem, nec

ad habitum principiorum, sed pertinet ad tertiam operationem, & ab habitu scientiæ procedit.

Dices esse probabilem sententiam, Logicam non esse simpliciter necessariam, sed bonitatem consequentiæ, & præmissas ut illativas posse lumine naturali cognosci. Et insuper in primo actu Logicæ constat illum non procedere ab habitu scientiæ, sed potius generat illum; sed in hoc eventu cognitio præmissarum pro-ut inferunt conclusionem procedit ab habitu principiorum: Ergo quandoque cognitio principij ut illativi, ab habitu principiorum procedit.

Respond. neg. min. Quia illa cognitio non elicitur ab habitu principiorum, sed solum ab intellectu quatenus ratio est, nam in prædicta sententia, intellectus ut ratio, licet cum aliqua difficultate, potest cognoscere bonitatem consequentiæ saltem exercite, quod sufficit, ut scientificè assentiatur conclusioni. Et in prima demonstratione Logicæ, in quacumque sententia est verum, quamvis propter rationem specialem, eo quod prima Logicæ demonstratio est illa, in qua pro conclusione inferunt ipsa bonitas consequentiæ, nec necessarium est omnem actum procedere ab aliquo habitu, sed satis est, quod ab intellectu procedat.

Dices esse probabilem sententiam, habitum principiorum

non esse distinctum à lumine naturali, nisi tantum de connotato pro speciebus, videlicet, quas requirit, ut possit percipere objecta; sed actus supradictus à lumine naturali procedit: Ergo etiam procedit ab habitu principiorum.

Resp. dist. mai. à lumine naturali, ut attingente principia secundum se, conc. mai. principia ut illativa, neg. mai. & sub eadem distinctione minoris, negatur consequent. Quia illa sententia tantum asserit habitum principiorum, non esse distinctum à lumine naturali per ordinem ad principia secundum se; non verò à lumine naturali per ordinem ad principia, ut illativa, & cum actus prædictus non procedat à lumine naturali, ut attingente principia secundum se, sed ut attingente principia ut illativa, inde fit talem actum non procedere ab habitu principiorum formaliter, sed solum entitative, quatenus entitas luminis principiorum, & entitas intellectus ut ratio, est eadem realiter entitas. Et adversarij hoc concedere tenentur, nam in sententia admissa lumen naturale etiam conclusionem attingit; & tamen habitus principiorum non attingit; & tamen habitus principiorum non attingit conclusionem: ergo quamvis lumen naturale attingat præmissas ut illativas, non infer-
tur inde illas ut tales attingi per ha-

habitu principiorum.

Quintò arguitur. Conclusio formaliter non pertinet ad tertiam operationem, sed ad secundam: ergo secunda plus attingit de veritate. Prob. ant. Discursus non includit formaliter conclusionem; sed tertia operatio discursus est: ergo conclusio non pertinet ad tertiam operationem. Prob. mai. Syllogismus non includit formaliter conclusionem: ergo nec discursus. Prob. ant. Syllogismus est modus sciendi, & oratio manifestativa ignoti; sed conclusio manifestativa non est, sed potius manifestata: ergo Syllogismus non includit conclusionem.

Respondetur tamen facile, quod Syllogismus consideratus inadæquatè, & quatenus solas præmissas importat, est formaliter modus sciendi, & oratio manifestativa ignoti, & secundum hanc rationem conclusionem non includit; si tamen consideretur Syllogismus adæquatè non est modus sciendi, sed motus intellectualis discretus, & conclusionem importat tanquam terminum ad quem.

Dices primò. Motus discretus non includit terminum ad quem: Ergo Syllogismus, quatenus motus discretus, non includit conclusionem formaliter. Prob. ant. motus quo Angelus movetur de loco, ad locum, non transeundo per medium, est motus verè dif-

cretus; sed iste motus non includit terminum à quo, & ad quem, alias Angelus esset in duplici loco simul, dum de vno ad alterum moveretur: Ergo motus discretus non includit terminum ad quem.

Dices secundo. Terminum ad quem non est pars motus discreti: ergo motus iste non includit terminum ad quem. Prob. ant. Adveniente termino ad quem cessat motus: Ergo terminum ad quem non est pars motus discreti.

Respond. ad primam, motum Angeli discretum includere utrumque terminum ex quo tamen non inferitur esse in duplici loco simul, quia tales termini successive se habent, & quando adquirit terminum ad quem, iam non est in termino à quo, sicut qualibet pars temporis essentialiter est divisibilis, & consequenter plures partes essentialiter includit; & tamen partes prædictæ non sunt simul, sed successive se habent, alias tempus, ens successivum non esset.

Ad secundam instantiam respondetur, quod licet in entibus permanentibus non destruatut totum per adventum partis, oppositum tamen in motu discreto contingit, quia non habet alias partes, nisi terminum à quo, & ad quem, & ultra terminum ad quem, non invenitur motus, proindeque adveniente tali parte, motus destruitur, & finitur; sicut in motu continuo dum mobile pervenit ad ultimum terminum ad quem, cessat

cessat motus, & ultra non est.

§. VLTIMVS.

Difficile argumentum solvitur.

TANDEM Contra conclusionem arguitur. Quia attingere praemissas, vt illativas non pertinet ad tertiam operationem: ergo tertia non est perfectior. Prob. ant. Attingere praemissas vt illativas non pertinet ad habitum scientiae: ergo nec pertinet ad tertiam operationem. Prob. ant. Si ad scientiam pertineret, perfectior esset scientia, quam habitus principiorum; si quidem attingeret praemissas vt illativas, & in illis conclusionem, quod tamen non habet habitus principiorum, qui solum attingit principia, non tamen conclusionem attingit, nec principia vt illativa; sed scientia non potest esse perfectior, quam habitus principiorum: Ergo attingere praemissas, vt illativas ad scientiam pertinere non potest.

Confirm. argum. ab opposito, quia perfectius est attingere principia secundum se, quam attingere principia vt illativa; sed attingere principia secundum se pertinet ad secundam operationem: ergo illa perfectior est. Prob. mai. Perfectior est fides, quam Theologia; & tamen fides attingit principia Theologiae, videlicet mysteria fidei, secundum

se, Theologia vero ea attingit vt illativa: ergo perfectius est attingere principia secundum se, quam eadem, vt illativa cognoscere.

Secundo confirm. & vrgetur. Perfectissimus actus secundae operationis, actum perfectissimum tertiae operationis excedit: ergo secunda perfectior est; sicut intellectus perfectior est voluntate, quia actus perfectissimus illius videlicet visio beata, omnem actum voluntatis excedit, ant. vero prob. actus perfectissimus tertiae operationis, est actus sapientiae; sed actus luminis principiorum, qui pertinet ad secundam operationem, excedit actum sapientiae: ergo actus perfectissimus secundae operationis, perfectissimum tertiae operationis excedit. Pro. min. Actus luminis principiorum simplici intuitu, & modo Angelico attingit veritatem, & actus sapientiae discursivè veritatem attingit: Ergo actus luminis principiorum excedit actum sapientiae.

Ad argumentum respondent aliqui AA. ita esse in rei veritate, quod, videlicet, quilibet habitus scientiae perfectior est habitu luminis principiorum propter doctrinam, quidem in argumento contentam,

Sed solutio haec contra Div. Thom. est 1. 2. quaest. 56. artic. 2. in corpore, & ad 2. vbi asserit: *Quod scientia dependet ab intellectu, sicut à principali, & utrumque dependet à sapientia, sicut à principalissimo;*

lissimo: Ergo principalior est habitus principiorum, quam ipsa scientia; sicut sapientia utroque principalior est.

Respondebis D. Thomam esse intelligendum non de maiori perfectione habitus principiorum secundum se, sed praecise quo ad nos, quatenus habitus principiorum à natura est, & naturaliter tendit in obiectum absque discursu, & sine erroris periculo, quod tamen habitus scientiae non habet.

Sed haec etiam solutio sine fundamento est in littera D. Thomae, nam D. Thomas affirmat scientiam dependere ab intellectu sicut à principali, & utrumque à sapientia sicut à principalissimo; sed sapientia utrumque excedit simpliciter secundum se. Ergo habitus principiorum non solum quo ad nos, sed etiam secundum se, superat simpliciter scientiam.

Ratio insuper id ipsum suadet, quia scientia solum attingit principia particularia, ex quibus conclusiones determinatas deducit, habitus vero luminis principiorum attingit universalissima principia, generalia, & communia omni scientiae, quod absque dubio perfectius est, & secundum doctrinam istam.

Respondetur ad argumentum, negando duo antecedentia prima, & ad probationem negatur maior, quia licet habitus

Mag. Freylan.

scientiae attingat conclusiones, & principia cum maiori perfectione, quam habitus principiorum, eo quod magis penetrat principia, & ea, vt illativa cognoscit; non tamen attingit scientia nisi particularia principia, & in genere determinato, & ex illis conclusiones determinatas deducit, sed habitus principiorum non solum attingit principia particularia secundum se, sed etiam universalissima principia; cumque principium universalissimum sit veritas superior, & magis à materia abstracta, & consequenter perfectius sit principio particulari cum sua conclusione, inde fit habitum principiorum in perfectione superare habitum scientiae. Qua propter si fiat comparatio actus luminis attingentis principia determinata secundum se, actus ille superatur à scientia, quae eadem principia, vt illativa cognoscit. Si tamen comparatio fiat habitus luminis ad principia universalissima, actus quo praedicta principia attingit, omnem scientiae superat simpliciter actum.

Dices iuxta praedictam doctrinam habitus principiorum superat scientiam; sed habitus praedictus pertinet ad secundam operationem; si quidem pertinet ad intellectum, quatenus intellectus est. Ergo perfectior erit secunda operatio.

Sed negatur consequentia, **E** quia

quia quamvis habitus principiorum, & actus illius per ordinem ad principia universalissima superet in perfectione actum, & habitum scientiae, non tamen superat habitum, & actum sapientiae, qui est perfectissimus actus tertiae operationis. Proindeque tertia operatio semper est perfectior, eo quod actus perfectissimus illius, actum perfectissimum secundae operationis excedit.

Ad confirm. verò principalis argumenti negatur maior, & ad probationem disting. min. principia secundum se, & sub altiori motivo, conced. min. non ita, sed ut regulariter attinguntur per habitum principiorum: neg. min. & conseq. Quia habitus fidei attingit principia Theologiae propter Divinam revelationem, quae est motivum superius ad revelationem mediatam, in qua nititur Theologia, & ideo perfectior est fides, quia principia Theologiae sub altiori motivo considerat; sicut propter eandem rationem simpliciter excedit fides scientiam super naturalem infusam; ceterum habitus principiorum in ordine naturali, & sub motivo eiusdem ordinis attingit principia secundum se, quod quidem non est ita perfectum sicut attingere principia, prout inferunt conclusionem.

Ad secundam confirm. neg. ant. & ad prob. neg. min. Quia li-

cet habitus principiorum simplici intuitu, & sine discursu veritatem attingat non tamen propterea debet esse perfectior, eo quod non ita penetrat veritatem, & modus proprius intellectus Angelici non est simplici intuitu attingere veritatem praecise, sed illam simplici intuitu perfecte cognoscere, intelligendo ea, quae de veritate enuntiarum possunt, & ex illa inferri: Unde non illa operatio assimilatur magis Angelicae operationi, quae minus discurret, sed ea, quae magis penetrat veritatem, & haec est operatio sapientiae, quae attingit principia ut contentiva conclusionis. Et instantia in venit in prima operatione, quae simplicior est quam secunda, & tamen per primam non assimilatur homo magis cum Angelo, quia prima minus perfecte veritatem attingit.

Sed instabis. Habitus principiorum simpliciter excedit habitum naturalis sapientiae. Ergo secunda operatio ad quam pertinet, perfectior est tertia, ad quam pertinet sapientia. Prob. ant. Primo, principia, quae per habitum principiorum attinguntur perfectiora sunt veritatibus quae attinguntur per sapientiam. Ergo habitus principiorum simpliciter excedit habitum naturalis sapientiae. Prob. ant. Certitudo, veritas, & perfectio conclusionum, quas attingit sapientia, & per discursum deducit, derivantur, & participantur à certitudine, & perfectione prin-

prin-

principiorum. Ergo principia quae per habitum principiorum attinguntur, perfectiora sunt veritatibus, & conclusionibus, quas attingit sapientia; nam propter quod unum quodque tale, & illud magis, quo principio utuntur Logici, ad probandum praemissas esse certiores conclusionem, eo quod conclusionis certitudo, à certitudine principiorum derivatur.

Secundo probatur. antec. Principale, ille habitus simpliciter perfectior est, qui abstractionem magis perfectam, & illimitatam habet; sed habitus principiorum, habet abstractionem magis perfectam, & magis illimitatam, cum eius abstractio sit universalis, & abstractio sapientiae talis non sit. Ergo idem quod prius.

Tertio prob. antec. Habitus, qui per se, & immediate est verus simpliciter perfectior est habitu, qui solum per aliud, & mediate verus est; sed habitus principiorum per se, & immediate est verus, habitus verò sapientiae tantum mediate, & per aliud. Ergo.

Quarto prob. antec. Habitus principiorum causat efficienter principaliter, & per modum causae aequivocae habitum sapientiae naturalis. Ergo illum excedit simpliciter, nam causa aequivoca debet excedere effectum; sicut patet in causis aequivocis naturalibus. Ant. prob. principia demonstrationis, per quam habitus sapientiae producitur, causant prin-

cipaliter aequivocè assensum evidentem conclusionis, & habitum sapientiae; mediante illo productum; sed principia praedicta attinguntur per habitum principiorum. Ergo habitus principiorum causat efficienter principaliter aequivocè habitum naturalis sapientiae.

Quinto prob. antec. Quod in suo esse dependet ab alio, est imperfectius illo simpliciter; sed habitus sapientiae dependet in suo esse ab habitu principiorum sine quo esse non potest, ut per se manifestum est. Ergo habitus principiorum simpliciter excedit habitum naturalis sapientiae.

Haec omnia difficultia videntur, propter imperfectionem intellectus, sed verissimam solutionem habent, & ad ea ordine respondemus, negando duo antecedentia prima, & ad probationem distinguo antecedens, principiorum, ut pertinentium ad sapientiam formaliter: concedant, ut pertinentium ad habitum principiorum: neg. ant. & conseq. Quia certitudo, veritas, & perfectio conclusionem, quae per sapientiam attinguntur solum derivatur formaliter à certitudine, & perfectione principiorum, prout continent formaliter conclusionem sapientiae, sub qua ratione, non attinguntur per habitum principiorum; sed per habitum sapientiae, ad quam solum pertinet principia, ut illativa cognoscere. Quapropter ex argumento solum

infertur, actum quo ipsa sapientia attingit principia, ut illativa, esse perfectiorem altero actu sapientiae attingente conclusionem, non tamen actum principiorum secundum se perfectiorem esse, quia ex principiis acceptis secundum se non derivatur formaliter certitudo, & perfectio ad conclusionem illatam.

Dices: Certitudo, & perfectio principiorum, ut inferentium conclusionem non est tanta, quanta est perfectio principiorum secundum se. Ergo actus sapientiae, qui attingit principia, ut illativa, non aequat perfectionem actus luminis attingentis principia secundum se. Prob. ant. Certitudo, & perfectio principiorum, ut inferunt conclusionem, fundatur in certitudine, & perfectione, quam habent principia secundum se. Ergo tanta non est.

Sed neg. ant. & ad prob. dist. ant. In illa ut perfectius elevata: conc. ant. in illa secundum se formaliter: nego ant. Quia quamvis certitudo, & perfectio principiorum, pro ut inferunt, supponat certitudinem principiorum secundum se, & illam necessario praerequirat, non tamen supra illam absolute fundatur formaliter, sed tantum supra illam altiori modo elevatam, & illuminatam superiori modo; nam sicut principium in ratione contentivi perfectius est se ipso secundum se, ita illius certitudo obie-

ctiva crescit, & illuminatur magis, & perfectiori modo elevatur, nam quo magis obiectum, in esse obiecti perfectum est, eo maior est illius obiectiva certitudo; sicut quia Deus clarè visus excedit omnia alia, illius certitudo obiectiva omnem aliam certitudinem excedit.

Ad secundam probat. antec. principalis neg. min. quia habitus principiorum solum attingit principia, & veritatem sub ratione primae veritatis humanae, & primi principij per se noti, quae abstractio magis limitata, & minus determinabilis est, quam abstractio sapientiae, quae attingit veritates immediatas, & mediatas, & inter ipsas Deum ipsum, cuius abstractio magis determinabilis, & universalis est in causando, & ita perfectior est.

Ad tertiam probationem dist. min. Quantum ad secundam partem, mediatè, & per aliud materialiter, conc. min. formaliter, neg. min. & consequent. Quia licet actus sapientiae, qui ad conclusionem, ut illatam terminatur, sit verus mediatè formaliter per actum precedentem à quo efficienter causatur; actus tamen sapientiae, qui ad principia, ut illativa terminatur, per se, & immediate est verus, eo quod veritatem immediatam attingit, & ita habitus sapientiae consideratus in ordine ad actum principalem attingentem principia, per se, & immediate verus est, quamvis materialiter

fit

fit tantum mediatè verus, quia habitum principiorum supponit, à quo tamen non causatur efficienter.

Ad quartam probationem: neg. ant. & ad probationem: neg. min. Quia principia demonstrationis considerata secundum se, qua ratione pertinent ad habitum principiorum, non causant efficienter principaliter assensum conclusionis sapientiae, sed illud tantum causant, pro ut illativa sunt, sub qua consideratione pertinent ad sapientiam formaliter, & propterea habitus principiorum, non causat principaliter efficienter habitum naturalis sapientiae.

Ad quintam, & ultimam probationem respondetur habitum sapientiae naturalis non dependere formaliter, sed tantum materialiter ab habitu principiorum, & quod solum materialiter ab alio dependet, non oportet esse imperfectius; sicut secunda operatio pendet materialiter à prima, quam tamen superat in perfectione. Et rursus poterat negari maior, quia forma pendet à dispositionibus, & charitas dependet à fide, & tamen charitas excedit fidem, & forma dispositiones.

Secundò ad replicam principalem respondetur, negando duo antecedentia prima, & ad probationem, pro ea parte, qua de perfectione procedit: neg. ant. Sed

Mag. Frylan.

pro alia de veritate, & certitudine, distinguimus ipsam, certitudo subiectiva: conc. antec. Obiectiva: neg. antec. & consequ. Duplex namque certitudo distinguenda est, alia, quae consistit in adhaesione intellectus, & subiectiva appellatur, & haec in sapientia derivatur ex certitudine principiorum, & propterea maior est in ipsis principiis habitus principiorum, quam in conclusionibus per sapientiam illatis, eo quod principia praedicta sunt magis accommodata humanae capacitati, & intellectus noster melius percipit ea, & magis adhæret illis, ut magis proportionatis: Alia insuper est veritas, & certitudo obiectiva, quae non fundatur in proportionem obiecti cum potentia, sed in obiecti immaterialitate, quae obiectiva certitudo nominatur, & haec non derivatur à certitudine principiorum, sed potius in conclusione sapientiae maior est; siquidem principalis conclusio sapientiae est: Deum esse, quam conclusionem probat sapientia evidentè per effectus creatos, & veritas, & certitudo Divinae existentiae, aut propositionis praedictae simpliciter superat omnem certitudinem obiectivam cuiuscumque principij, ut pertinentis ad habitum principiorum.

Ad secundam probationem constat ex dictis abstractionem sapientiae esse perfectiorem, &

E. 3.

mi.

minus limitatam, cum obiectum sapientiae sit Deus, cuius immaterialitas superat quidquid attingitur per habitum principiorum.

Ad tertiam prob. dist. min. mediatè in genere causae efficientis: conced. minor. in genere causae finalis: nego minor. & conseq. Nam quamvis habitus sapientiae sit verus mediatè, & per aliud in genere causae efficientis quatenus pendet in tali genere ab habitu principiorum; in genere tamen causae finalis immediatè verus est, quia principia attacta per habitum principiorum ordinantur ad Deum, ut finem, & eodem proportionali modo habitus principiorum ordinatur ad sapientiam, cuius Deus principale obiectum est.

Ad quartam probat. dist. antec. principalitèr per modum

complementis, & intellectum determinantis: conced. antec. principalitèr adaequatè: neg. antec. Quia habitus principiorum causat efficientèr habitum sapientiae per modum formae complementis intellectum, & illum determinantis, non tamen per modum causae adaequatè; sed potius causa adaequata conflatur ex intellectu, & habitu principiorum, quod quidem conflatum superat in perfectione sapientiam.

Ad quintam prob. dist. maior. ab alio tanquam à causa adaequata, vel principalis inter partes causae adaequatè: conc. mai. tanquam à causa inadaequata, & complente: neg. mai. & in hoc tantum genere pendet habitus sapientiae ab habitu principiorum.



ARTI-

ARTICVLVS IV.

UTRVM DIALECTICA DIRIGAT TRIPLICEM intellectus operationem?

§. PRIMVS.

Statuitur affirmativa conclusio.

PRÆSENTEM Conclusio- nem habet Angel. Doct. in principio posteriorum dicens esse necessariam artem, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo faciliter, & ordinatè, & sine errore procedat. Vnde i. per Hierm. lect. i. affirmat. doctrinam traditam ab Arist. in lib. prædicam. ordinari quidem ad primam operationem.

Ratio insuper suadet intentum, nam intellectus, qui errare potest circa inventionem veritatis, indiget arte docente veritatem invenire, & per eandem artem dirigitur; sed intellectus in triplici operatione errare potest circa inventionem veritatis, & dialectica ipsa docet veritatem invenire. Ergò dialectica dirigit triplicem intellectus operationem: min. quantum ad secundam partem, constat ex eo, quod veritas invenitur mediate diffi-

nitio, divisione, & argumentatione, & dialectica docet diffinire, dividere, & argumentari, ac proinde docet invenire veritatem. Sed quantum ad primam partem: prob. min. quia intellectus per primam operationem potest apprehendere quidditatem unius rei, tanquam quidditatem alterius, & similiter apprehendere potest hominem sub intentione generis, quem tamen apprehendere debet sub intentione speciei. Per secundam etiam operationem potest intellectus falso enuntiare, & per tertiam inferre potest conclusionem non contentam in præmissis. Ergò potest intellectus errare in triplici operatione.

Confirm. & explicatur in prima operatione, in qua quidem invenitur specialis difficultas, quia prima operatio potest malè ordinare prædicamenta; sed prædictum errorem tollere, pertinet ad

dialecticam, aut Logicam, ad quam pertinet praedicamenta ordinare. Ergo dialectica primam operationem dirigere debet. Probat. mai. intellectus per primam operationem potest invertere ordinem inter praedicata, quae in praedicamento ponuntur. Ergo potest male ordinare praedicamenta. Probat. antec. Potest intellectus per primam operationem apprehendere hominem sub intentione generis, & animal sub intentione speciei, & ita animal sub homine collocare; sed hoc est invertere ordinem debitum inter praedicata, quae in praedicamento ponuntur. Ergo potest intellectus per primam operationem invertere ordinem inter ea praedicata, quae in praedicamento collocantur.

Dices: Quod si ita est, iam prima operatio poterit errare formaliter, quia attingere rem sub intentione indebita sibi, est formaliter errare; sed primam operationem posse formaliter errare negat saepe D. Thom. ergo ratio prius facta vera non est.

Sed contra, quia quamvis prima operatio non possit errare, errore compositionis, aut errore falsitatis, eo quod in prima operatione falsitas, & compositio non est, quod tantum D. Thom. intendit, potest tamen prima operatio errare formaliter errore in ordinationis, male formaliter ordinando praedicamenta, & ordinem

praedicatorum invertenda, quod tamen nunquam negat D. Thom. sed hoc, & non aliud ratione supra dicta concluditur. Ergo ratio supra dicta vera est.

Uterius data doctrina explicatur exemplis, quia prima operatio potest apprehendere vocem non significantem, ut verum terminum, & ipsum terminum complexum potest, ut non terminum apprehendere, & terminum supponentem simpliciter, potest apprehendere, ut supponentem personaliter, quo facto intellectus per secundam operationem poterit iudicare, quod in hac propositione: *homo est species*, ly *homo* supponit pro individuis, & ex consequenti iudicare, quod sicut homo est species, ita Petrus est species; sed errorem praedictum auferre ad dialecticam pertinet, ad quam spectat debitam intentionem terminis dare. Ergo dialectica dirigere debet primam intellectus operationem.

§. II.

*Argumentis in contrarium
occurritur.*

CONTRA conclusionem praedictam arguitur primo.

Quia potest intellectus habere potentiam errandi, & per se exigere carentiam dirigentis: ergo ex quo intellectus in triplici

ope

operatione possit errare, non infertur dialecticam per se dirigere triplicem intellectus operationem, nam dialecticam per se dirigere, & intellectum per se exigere carentiam dirigentis, implicationem involuit. Probat. ant. Potest voluntas habere potentiam errandi, & per se petere carentiam dirigentis, sicut contigit in Doemone, qui quotidie peccat, & simul exigit carentiam dirigentis, eo quod ex propria natura est inflexibilis in malo semel electo, & consequenter ex propria natura exigit sibi negari concursum ad recte operandum: Ergo poterit etiam intellectus habere potentiam errandi, & per se exigere carentiam dirigentis.

Confirmari poterat, quia in scripturis, & vocibus inveniuntur etiam artificia Logicalia; & tamen dialectica per se non dirigit scripturas, & voces: Ergo nec dirigere debet intellectus operationes.

Confirm. secundo, si dialectica subiective dirigeret intellectum, etiam obiectum dialectica, vel forma rationis, obiective intellectum dirigeret; sed forma rationis nequit obiective dirigere: ergo dialectica non debet dirigere subiective. Probat. min. Forma rationis producit per operationes intellectus directas, & ordinatas, & consequitur ad illas, tanquam earum effectus: Ergo nequit obiective intellectum dirige-

re, quia dirigens non potest directum supponere, sed ipsum praecedere debet.

Resp. ad argum. negando ant. & ad probat. dist. ant. voluntas immobilis in malo, conc. ant. mobilis de malo in bonum, nego ant. & conseq. Et hoc contigit in Angelo, qui in malo semel electo inflexibilis est, & ita ex propria natura petit sibi negari concursum dirigentem; intellectus vero potest errare, & etiam potest recte obiectum attingere, & quia hoc secundum est iuxta naturam intellectus, propterea non exigit carentiam dirigentis, sed potius formam dirigentem requirit.

Ad primam confirm. dist. mai. Vnicè tanquam in signo, conc. mai. ut in causa efficiente directione obiectivam, neg. mai. & dist. min. per se primo, conc. min. secundo, neg. minorem, & conseq. Quia conceptus intellectus sunt signa primaria directionis obiectivae, & operationes intellectus efficienter causant obiectivam directionem producendo formam rationis obiective dirigentem, & ideo operationes, & conceptus intellectus primario diriguntur à dialectica, ut recte directionem attingant: voces autem, & scripturae sunt signa rerum secundo; & ex consequenti tantum, primario autem sunt signa conceptuum, & ita solum secundo diriguntur, quatenus supposita intellectus dire-

ctio-

atione manent voces ex consequenti directæ.

Ad secundam confirm. negatur min. & ad eius prob. dist. ant. consequitur in genere causæ efficientis, conc. ant. in genere causæ formalis, & obiectivæ, neg. ant. Quia sicut artic. 7. in proem. Logica, §. 5. argumento 5. ad prim. confirm. dictum est, forma rationis in genere causæ efficientis per operationes intellectus directas, & ordinatas producitur; sed in genere causæ formalis eadem operationes præcedit, & pro ut sic intelligitur, eas obiectivè dirigere, sicut quilibet terminus primarius specificans actionem, in genere causæ formalis terminativæ, illam actionem præcedit.

Dices, intellectum proprias operationes directas, & ordinatas tanquam proprium finem respicere, & ad eas ordinari: ergo non indiget forma obiectivè dirigente, nec habitu aliquo dirigente subiectivè, ut intellectus tales operationes eliciat, quia quæcumque res naturaliter tendit in proprium finem, & ad hoc non indiget forma, vel habitu dirigente; sicut lapis ut tendat in centrum non indiget aliquo dirigente, sed naturaliter tendit in ipsum.

Respond. neg. conseq. Quia quamvis intellectus naturaliter respiciat, ut finem, proprias operationes directas, & ordinatas, non tamen inclinatur ad illas in-

clinatione perfecta, & expedita; sed potius imperfecta, & incompleta inclinatione, sicut voluntas ad operationes virtutum, & ita sicut ipsa voluntas indiget habitu, ut operationes virtuosas faciliter eliciat, & connaturaliter, ita intellectus indiget habitu dirigente, ut faciliter eliciat operationes directas, & ordinatas. Nec exemplum lapidis oppositum persuadet, eo quod inclinatio lapidis ad centrum completa, & perfecta est.

Secundò arguitur, dirigi per dialecticam est contra naturam intellectus: ergo dialectica non debet dirigere intellectus operationes. Prob. ant. Ad hoc dirigetur intellectus ut attingeret rem sub intentione rationis debita sibi; v.g. hominem sub intentione speciei, & prædicati, vel subiecti; sed ita rem attingere, est contra naturam intellectus: ergo contra naturam intellectus est per dialecticam dirigi. Prob. min. Attingere rem aliter, ac est in re, est contra naturam intellectus, qui ex propria natura petit cognoscere rem sicut est; sed modo supradicto attingere rem, est illam attingere aliter ac est in re, cum in re homo non sit species subiectum, vel prædicatum: Ergo supradicto modo rem attingere, est contra naturam intellectus.

Confirm. dialectica per se primò solum potest dirigere per do-

doctrinam modi sciendi; sed in prima operatione intellectus non invenitur modus sciendi: ergo nequit dialectica dirigere primam operationem intellectus. Prob. min. Modus sciendi est oratio manifestativa ignoti; sed oratio non manifestat ignotum, nisi subiecto per prædicationem applicetur, quod tantum invenitur in secunda operatione: Ergo in prima modus sciendi non datur.

Resp. ad argum. neg. antec. & ad probat. negatur min. & ad eius probationem dist. mai. aliter ac est iudicativè, conc. mai. apprehensivè, neg. mai. & dist. min. aliter ac est apprehensivè, conc. min. iudicativè nego minorem, & conseq. Quia dum dialectica dirigit intellectum sub intentione rationis debita sibi, non dirigit intellectum, ut iudicet intentionem prædictam rebus in re convenire, nam hoc esset intellectum ad falsitatem perducere, quod est contra naturam ipsius; sed solum dialectica dirigit intellectum, ut apprehendat rem cum intentione sibi debita per rationem, quod quidem non est contra, sed iuxta naturam intellectus ita exigentis attingere rem, ut conficiat instrumenta dialectica, quibus rectè veritatem attingat.

Secundò alijs terminis respond. dist. eandem maiorem, attingere rem aliter ac est in re, tam formaliter, quam fundamentaliter, conc. mai. aliter ac est in

re formaliter, non tamen fundamentaliter, nego mai. quia dum res præbet fundamentum, ut aliter ac est in re, per intellectum attingatur, sic eam per intellectum attingere potius est iuxta intellectus naturam, qui sic attingendo rem ad cognitionem pervenit veritatis.

Ad confirm. argumenti dist. mai. per se primò intentivè, conced. executivè, neg. mai. & ommissa minori, dist. consequens. Per se primò intentivè, conc. conseq. executivè, neg. conseq. quia licet doctrina per se primò intenta à Logica, sit doctrina modi sciendi, non tamen illa est in executione prima, sed prius in executione traditur doctrina termini, & subiecti, vel prædicati, quæ quidem ad doctrinam modi sciendi ordinatur, & ad eandem scientiam, & quia intentio termini in prima operatione invenitur, inde fit primam operationem esse per se primò in executione dirigibilem per dialecticam, quamvis non sit dirigibilis per se primò in intentione artis, admissio quod in prima operatione modus sciendi non est. Instantia est in secunda operatione intellectus, in qua non invenitur modus sciendi; & tamen quia reperitur in illa intentio propositionis formalis, particularis, & universalis, & huiusmodi alia, propterea secunda operatio per se primò in executione dirigitur, quia ea, quæ pertinent ad

ad ipsam prius sciri debent, ut ad modum sciendi perveniamus.

Cæterum quia falsum est in prima operatione non inveniri modum sciendi, eo quod ad ipsam verè pertinet diffinitio, propterea negatur min. prædictæ confirmationis, quia ut ratio manifestet ignotum necessarium non est, quod subiecto per prædicationem applicetur, sed satis est illi applicari per simplicem apprehensionem, quod ex dicendis infra constabit. Undè cum apprehendimus corpus disgregativum visus, diffinitionem corporis descriptivam attingimus, & cum apprehendimus album disgregativum visus, diffinitionem essentialem per simplicem apprehensionem applicamus.

Dices, si doctrina tradita verà est, dialectica ipsa docet modum apprehendendi; siquidem dirigit apprehensionem intellectus; sed modum apprehendendi non addiscimus per dialecticam; sed ille est intellectui naturalis, & congenitus ipsi: Ergò solutio tradita nulla est.

Facile tamen respond. modum apprehendendi esse proculdubio intellectui naturalem sumptum quantum ad substantiam, & ita per dialecticam non doceris; sed modum apprehendendi quoad modum, id est sub intentione generis, vel speciei, diffinitionis, vel diffiniti per dialecticam tradi, & ita quantum ad hoc dialectica

apprehendere docet.

Tertiò arguitur. Propositiones per se notæ pertinent ad secundam intellectus operationem; & tamen intellectus non indiget directione ad eas attingendas, sed explicatis terminis eas attingit, & earum veritatem cognoscit, nec illas negare valet, aut errare circa illas: Ergò dialectica non dirigit secundam operationem.

Confirm. & vrgetur, quia syllogismi constituti in quatuor modis perfectis primæ figuræ, cognoscuntur lumine naturali, & intellectus benè dispositus necessariò convincitur illis; & veritati conclusionis adhæret; sed ipsi pertinent ad tertiam operationem: Ergò tertia operatio directione non indiget.

Respond. ad argument. dist. min. ad eas primò intentionaliter quo ad substantiam, & pro materiali attingendas, conc. minor. ad eas pro formali; & secundo intentionaliter sumptas, neg. min. & conseq. Nam quamvis intellectus non indigeat directione ad propositiones prædictas pro materiali, & secundum intrinsecam connexionem prædicati cum subiecto percipiendas; indiget tamen directione ad eas secundo intentionaliter sumptas, eo quod potest intellectus tribuere intentionem prædicati illi extremo, cui debebat applicare intentionem subiecti, & propositioni univ. sali, tribuere intentionem particula-

cularis, & ne ita erret, dialectica dirigit ipsum.

Ad confirm. argum. Resp. supradictos syllogismos non esse notos lumine naturali, vel non esse facile notos saltem, quo ad formam syllogisticam, per quam constituuntur in ratione arte facti logicalis, & ad prædictam formam rectè introducendam, & attingendam, dialectica dirigit intellectum.

Sed instabis esse sententiam probabilem Logicam non esse simpliciter necessariam ad alias scientias consequendas, sed bonitatem consequentiæ esse de essentia consequentiæ, & posse lumine naturali cognosci, in qua opinione ad attingendam formam syllogisticam in prædictis syllogismis, sufficit lumen naturale independentè à dialectica artificiali: Ergò supposita prædicta sententia ad prædictos syllogismos, quo ad formam artificialem non indiget intellectus habitu dialecticè dirigente.

Respondet quidam Thomista, syllogismos prædictos esse lumine naturali notos quantum ad illationem, supposita recta dispositione præmissarum, quia semel dispositis præmissis, per se notum est illas bene inferre conclusionem; sed quo modo præmissæ sint, ut bene inferant, non esse per se notum, sed per habitum dialecticæ tradi, & idè ad præmissas disponendas indigere in-

tellectum dialecticæ directione.

Sed contra est, quia sententia prædicta affirmat bonitatem consequentiæ, & ipsam dispositionem præmissarum posse cognosci solo lumine naturali, ita ut intellectus absque habitu superaddito, & solo lumine naturali possit verè demonstrare veritatem, & scientiam acquirere; sed solutio prædicti magistri negat intellectum solo lumine naturali cognoscere posse præmissas esse rectè dispositas: Ergò prædicta solutio sententiam probabilem negat, & illam non admittit, ut argumento respondeat. Quapropter omissa solutio prædicta.

Replicæ prius factæ respondemus, dist. conseq. Non indiget simpliciter, conc. conseq. Secundum quid; & ad melius, vel facilius, neg. conseq. Quia prædicta sententia admittit quamvis non indigeat intellectus habitu dialecticæ dirigente tanquam medio simpliciter necessario, sed potius sine habitu dirigente, solo lumine naturali possit percipere quid quid ad demonstrationem veritatis, & ad scientiam habendam requiritur; indiget tamen intellectus habitu dialecticæ dirigente, ut facilius præmissas disponat, & rectam dispositionem attingat, quod satis est, ut dicamus dialecticam per se dirigere omnem intellectus operationem, sicut prædicta sententia admittit, adhuc tamen verum est dialecticam per se esse

esse prius acquirendam, quamvis in opinione praedicta non sit necessaria simpliciter ad alias scientias habendas.

§. III.

Alicum argumentum diluitur.

TANDEM contra conclusionem arguitur. Prima operatio intellectus nequit errorem admittere: ergo dialectica dirigere non potest primam intellectus operationem. Prob. ant. Primò, sicut sensus decipi, & errare non potest, circa sensibile proprium, ita intellectus errare non valet, circa simplicem quidditatem, quae est proprium etiam primae operationis obiectum: Ergo prima operatio nequit errorem admittere.

Secundò prob. ant. Specis representativa, quae primae operationi deservit, est conformis necessario cum obiecto: ergo prima operatio errare non potest, nam illa non potest errare, nisi species representativa ab obiecto deficiat, & illi non conformetur, ant. verò prob. species est naturalis similitudo obiecti; sed naturalis obiecti similitudo, necessario conformatur cum obiecto, quia ipsum naturaliter representat: ergo species representativa, quae primae operationi deservit, necessario conformatur obiecto.

Tertiò prob. ant. prima ope-

ratio voluntatis nequit esse defectuosa, alias ipsi Deo attribueretur defectus, quia ipse solus, & specialiter voluntatem ad primum actum determinat: Ergo etiam prima intellectus operatio erronea, & defectuosa esse non potest.

Quartò prob. actus primae operationis non est capax, ut emendetur: ergo prima operatio nequit errare, alias emendari posset. Prob. antec. apprehensio, quae semel est prava, ulterius emendari non potest, quia si idem attingit, semper est prava, & si idem non attingit, erit altera apprehensio diversa: Ergo actus primae operationis non est capax, ut emendetur.

Quint. prob. Obiectum specificativum primae operationis est quidditas, sed circa obiectum specificativum non potest dari error, alias non attingeretur obiectum specificativum, sed aliud diversum obiectum: Ergo prima operatio nequit errare.

Sextò prob. Obiectum primae operationis est quidditas; sed circa quidditatem, nequit esse error: ergo idem. Prob. min. quidditas, cum consistat in indivisibili, vel tota attingitur, vel non attingitur, si non attingitur, non est error circa quidditatem, si tota attingitur, recte attingitur, cum nihil quidditatis deficiat: Ergo circa quidditatem error esse non potest.

Resp.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad primam prob. dist. ant. circa simplicem quidditatem primo intentionaliter sumptam, vel acceptam secundum se, conc. ant. Secundò intentionaliter consideratam neg. ant. & conseq. Quia intellectus potest errare circa simplicem quidditatem secundò intentionaliter sumptam, vel ut vestitam secunda intentione rationis, ut si intellectus apprehendat hominem sub intentione generis, & Petrum sub intentione speciei, in quo quidem errat intellectus circa quidditatem, ut ad praedicamenta pertinentem, & idè talem errorem auferre pertinet ad dialecticam, ad quam pertinet praedicamenta ordinare; sed hoc eodem modo nequit sensus circa sensibile proprium errare, quia solum attingit sensibile secundum se, non tamen ut vestitum secunda intentione rationis: Si tamen sermo sit de quidditate secundum se, non potest intellectus circa illam errare, sicut nec sensus circa sensibile proprium errare potest.

Ad secund. prob. principalis ant. resp. aliqui speciem esse naturalem similitudinem obiecti, quantum ad ea praedicata, quae attinguntur primario, sed non quantum ad alia, quae secundario attinguntur, videlicet quoad secundas intentiones, quae consequuntur modum intelligendi, & idè in representando praedictas

intentiones potest species deficere, & intellectus errare.

Sed hæc solutio maxima equivocatione laborat, quia species est naturalis similitudo omnium obiectorum, quae per illam representatur, cum omnia illa non libere, sed necessario, & naturaliter representativè contineat per modum signi formalis, de quo dubitari non potest naturaliter representare omnia, quorum est formale signum; sed ea, quae attinguntur secundario, per speciem representantur, cum intellectus cognoscere non possit, quod in specie representatum non est: Ergo species est similitudo naturalis, etiam illorum, quae secundario attinguntur, & ita hac solutione relicta.

Resp. ad secund. prob. dist. ant. cum obiecto, ut per eam representato, conc. ant. cum obiecto in se ipso neg. ant. & conseq. Quia species est naturalis similitudo obiecti, ut per eam representatur, & ita ab obiecto pro ut sic nequit species deficere; potest tamen deficere ab obiecto pro ut est, quia cum intellectus habeat speciem representantem hominem, & representantem intentionem generis, potest uti specie generis, & hominis, & hominem per modum generis apprehendere, in quo eventu species hominis, & species generis, ut ab intellectu assumuntur, representant obiectum aliter, ac est in se, quia

ipse

species generis representat illam in homine, & species hominis representat hominem sub intentione generis.

Ad tert. prob. dist. conseq. Prima subiectivè, conc. conseq. Prima obiectivè, neg. conseq. Quia sicut primus actus voluntatis non potest esse defectuosus, ne defectus Authori applicanti tribuatur, ita prima intellectus operatio, quæ est prima subiectivè, & alteram non supponit, non potest esse defectuosa, eo quod est etiam à Deo intellectum dirigente, & attingit quidditatem secundum ea, quæ habet in re: Ceterum prima operatio, quæ solum est prima obiectivè, quatenus attingit obiectum, quod pertinet ad primam operationem, potest bene deficere, si non sit prima inter omnes, quia ad illam non movetur intellectus à Deo, sed libere ad eam per voluntatem applicatur, sicut voluntas potest circa finem errare, dummodò operatio, qua finem attingit prima non sit, sed supponat voluntatem constitutam in actu per aliam operationem.

Ad quart. prob. dist. ant. vt emendetur dum est, conc. ant. vt sit, neg. ant. & conseq. Quia licet prima operatio non sit capax emendationis dum est, eo quod si recta est, non indiget emendatione, & si prava est, semper est prava; est tamen prima operatio capax emendationis, vt sit, qua-

tenus poterat non fieri, sed loco illius poterat, elici recta operatio, & vt eliciatur operatio non defectuosa, sed recta; indiget intellectus dialecticæ directione, sicut virtus corrigit peccata non quidem faciendo quod peccatum malum non sit, sed determinando intellectum, vt loco peccati, bonum opus efficiat.

Ad quint. prob. dist. min. circa obiectum specificativum secundum se, conc. min. circa ipsum, vt affectum accidenti, neg. min. & conseq. Quia licet circa obiectum specificativum secundum se sumptum, non possit intellectus errare, potest tamen errare circa ipsum, vt vestitum intentione accidentali rationis indebita sibi, & eodem modo circa ipsam quidditatem totam, vt vestitum intentione accidentali rationis, potest intellectus errare, intentionem indebitam applicando. Sicut quamvis voluntas non possit deficere circa bonum secundum se, potest tamen deficere circa bonum, vt vestitum aliqua circumstantia, & bonitate aparenti, quæ revera illi non convenit. Ex quibus ad sextam probationem relinquatur manifesta solutio.

Dices, iuxta doctrinam supradictam non solum potest prima operatio præbere occasionem erroris, sed etiam errare formaliter, siquidem ipsa, ratione sui attingere potest quidditatem cum

intentione rationis indebita sibi, quod est ratione sui, & formaliter errare; sed in prima operatione per se, & ratione sui non esse errorem formaliter, docent universi Thomistæ. Ergo doctrina tradita nulla est.

Respond. dist. min. errorem compositionis, aut falsitatis: conc. min. errorem in ordinationis: neg. min. & conseq. Quia, vt supra, conclusionem probantes diximus, in prima operatione, quæ compositiva non est, non datur formaliter error compositionis, aut falsitatis; datur tamen in illa per se, & ratione sui, & formaliter error compositionis, eo quod per se formaliter, & ratione sui potest errare indebitam intentionem applicando, & apprehendendo hominem sub intentione generis, & Petrum sub intentione speciei, quod quidem est invertere prædicata superiora, & inferiora, & prædicamenta de ordinare formaliter, & formaliter errare errore inordinationis, in quo non opponimur Thomistis, & si alicui contrarium dicimus, adhuc tamen solutio tradita vera est.

Secundò ad argumentum principale possumus aliter cum communi solutione respondere, primam intellectus operationem non posse errare formaliter, & per se, eo quod error formaliter est, ubi non est compositio; posse tamen primam operationem errare, causaliter, & per accidens,

Mag. Froylan,

quatenus diffinitionem unius rei apprehendere potest tanquam diffinitionem alterius, per quod secundæ operationi præbet occasionem errandi formaliter, quatenus prædicta apprehensione supposita, secunda operatio enuntiet diffinitionem, de eo; cui non convenit, & hæc enuntiatio erronea, & falsa est. Et ex his.

Ad primam probat. constat, quod sicut sensus non potest per se, & formaliter errare circa sensibile proprium, ita prima operatio non potest per se, & formaliter errare, & in hoc assimilantur.

Ad secundam probat. resp. quod cum intellectus habeat speciem equi, & simul speciem animalis rationalis, potest utriusque specie, & apprehendere per unicum actum equum animal rationale, quo facto præbet occasionem, vt secunda operatio enuntiet animal rationale de equo, & formaliter erret in prædicta enuntiatione, & in hoc eventu utraque species, quæ primæ operationi deservit, vt simul coniuncta, est naturalis similitudo obiecti, vt representati formaliter, sed non illius in se.

Ad tertiam, & quartam probat. sicut antea respondemus, & ad quintam, & sextam dicimus, primam operationem errare non posse circa quidditatem secundum se, & materialiter sumptam, posse tamen errare circa quid-

quidditatem, ut applicatam subiecto eam indebite applicando subiecto, cui revera non convenit.

Et si dicas, quod si doctrina vera est prima operatio non attingit quidditatem, quia quidditas unita per apprehensionem cum subiecto, cui repugnat, quidditas subiecti non est. Ergo non est admittenda doctrina.

Resp. facile, quidditatem in illo eventu, non esse quidditatem relativè, & in ordine ad subiectum, cui revera per modum quidditatis non convenit, esse tamen quidditatem materialitè sumptam, & necessarium non esse primam operationem attingere quidditatem relativè, sed satis est quod eam attingat absolutè.

Secundò resp. in illo eventu non esse quidditatem in re, & absolutè, esse tamen quidditatem ex parte modi, & exercitè, quatenus prima operatio ea prædicata per modum quidditatis attingit, & ut propria huius subiecti, sicut etiam dum prima operatio attingit hæc prædicata: *In sensibile rationale*, non attingit quidditatem, quæ sit quidditas in re, sed solum ex parte modi, quatenus ea per modum unius essentia, & eiusdem quidditatis attingit.

Sed contra doctrinam traditam instabis primò, applicare alicui rei diffinitionem alterius, non pertinet ad primam, sed ad secundam operationem, nam unum alteri applicare, est com-

ponere. Ergo si prima operatio solum poterat errare unum alteri applicando, nequaquam errare potest.

Secundò instabis, si doctrina solutionis tradita vera est, prima operatio per se non indiget directione. Ergo dialectica per se, non dirigit primam operationem. Prob. ant. Benè valet: Prima operatio solum per accidens potest errare. Ergo solum indiget directione per accidens; sed iuxta doctrinam traditam, prima operatio solum per accidens potest errare. Ergo non per se, sed per accidens indiget directione. Prob. mai. Benè valet: operatio potest errare. Ergo indiget directione. Ergo quæ solum per accidens potest errare, solum indiget directione per accidens. Quia in consequentia prædicta arguitur ab antecedenti ad consequens cum eodem addito.

Tertiò instabis, apprehendere diffinitionem unius rei, tanquam diffinitionem alterius, non est contra Logicam, sed solum procedit contra lumen naturale, quia intellectus suo lumine naturali cognoscit diffinitionem esse idem cum diffinito, & consequenter animal rationale esse idem cum homine, & non convenire equo. Ergo ad tollendum errorem repertum in applicatione mala alicuius diffinitionis, non indiget intellectus directione Logicali, sed solo lumine naturali.

Resp.

Resp. ad primam replicam, dist. ant. applicare enuntiativè: conc. ant. apprehensivè: neg. ant. & conseq. Quia prima operatio non applicat enuntiando, sicut secunda, sed solum simpliciter apprehendendo diffinitionem unius, tanquam diffinitionem alterius, & simul unico actu apprehendendo hoc complexum: *Equus animal rationale*.

Ad secundam replicam respondetur primam operationem posse per accidens errare, non contrapositivè ad per se comparative, aut relativè, sed solum contrapositivè ad per se absolute, eo quod non potest intra se ipsam errare, sed tantum occasionalitè, & comparative ad secundam operationem, cui præbet occasionem erroris, hoc tamen per se competit primæ operationi, & ita per se indiget directione ad tollendum errorem occasionalem per se illi convenientem.

Secundò, negatur ant. & ad prob. neg. mai. & ad eius probat. neg. conseq. Quæ non valet, eo quod in ipsa non arguitur ab antecedenti ad consequens cum eodem addito. Logico, sed tantum cum addito grammaticali, quia

supra posse errare, nihil superaddit Logicè posse errare per accidens, sed præcisè grammaticalitè addit; qua sive per accidens, sive per se errare possit, semper est verum posse errare, ex quo conceptu communi habet prima operatio per se indigere aliquo habitu dirigente.

Ad tertiam replicam dist. ant. diffinitionem primo intentionalitè, & materialitè sumptam: conc. ant. Secundò intentionalitè acceptam: neg. antec. & conseq. Quia licet attingere diffinitionem, & diffinitum primò intentionalitè, & secundum se, & utrumque malè coniungere, sit error qui pertinet ad lumen naturale intellectus, ad quod utique pertinet cognoscere identitatem diffinitionis cum diffinito; attingere tamen diffinitionem sub intentione diffinitionis, & rem diversam, & oppositam sub intentione diffiniti, pertinet ad Logicam formalitè, ad quam etiam pertinet prædictas intentiones formare, & debitis applicare subiectis, & propterea ad eandem formalitè pertinet supra dictum errorem dirimere.

CS D

CS D

CS D

CS D

CS D

CS D

F 2

ARTI-

ARTICVLVS V.

UTRUM IN DIALECTICA SIT INCIPIEN-
dum à termino?

§. PRIMVS.

*Quibusdam suppositis, statuitur affirmatiua
conclusio.*

SICVT in ordine naturali forma embrionis præcedit animam rationalem, & inter gradus, quos materia forma communicat, gradus corporis prior est: ita in quacunque arte, quæ naturam imitatur, debet dari aliqua pars, à qua prius oportet incipere, non quidem proliibitò operantis, & agentis, sed propter exigentiam artis, quæ aliquam partem determinat iuxta ordinem doctrinæ, à qua incipere debemus: & quænam sit in dialectica prædicta pars, inquirimus in præsentibus.

Præmittendum tamen est; in dialectica, aut Logica duplicem dari processum, vnum quidem doctrinalem præparantem instrumenta Logicalia, & essentias illorum definientem, & per partes explicantem; secundam verò demonstrantem proprietates eorum instrumentorum, ex quibus

processus doctrinalis prior est, eo quod semper est prius regulas, & præcepta tradere, & eorum essentias cognoscere, quàm demonstratiuè procedere. Proptereaque prima dialecticæ cognitio non debet esse demonstratiua, aut scientifica, sed tantum clara, & distincta, in qua ordinem scientiæ inchoamus, quatenus cognitio prædicta ordinatur ad ipsam demonstrationem.

Secundò præmittendum est, quod si sermo sit de cognitione confussa, prius cognoscitur totum, quàm partes cognoscantur illius; sed ab opposito, cognitio distincta prius debet partes attingere, & inter eas discernere, vt totum clarè, & distinctè cognoscat, quia dum cognitio non discernit inter partes, non est cognitio distincta, vt ex terminis est manifestum.

Dices, totum essenziale non posse

§. II.

*Conclusio nostra, affirmatiuè
respondet.*

SENTENTIAM nostram i. Ethic. & in i. Physic. cap. i. Arit. habet, & eadem ibidem, & in i. per Hierem. lect. i. D. Thom. expressit, quos discipuli Thomistæ sequuntur.

Probari poterat primò, quia in quacunque arte à facilioribus incipiendum est, sicut etiam natura à facilioribus incipit; sed inter omnia ad dialecticam pertinentia, terminus facilior est: ergò ab illo est incipiendum. Prob. min. Simpliciora sunt faciliora, eo quod minus habent de entitate, & consequenter minus de cognoscibilitate habent, nam in simplicibus non tot prædicata cognoscenda, quot in compositis importantur, alias simpliciora non essent; sed inter omnia ad dialecticam pertinentia, terminus simplicior est, siquidem omnia alia terminum supponunt, & supra illum addunt intentiones particulares, quod in nomine, & verbo & in terminis particularibus ceruere licet: Ergò terminus facilior est.

Secundò prob. conclusio, ab imperfectioribus est incipiendum. In qualibet arte, sicut natura ab imperfectioribus incipit; sed inter omnia ad dialecticam perti-

posse distinctè cognosci, quin per partes essentielles cognoscatur, verum totum integrale prius cognosci distinctè, quàm per partes cognoscatur, nam homo prius distinctè cognoscitur, quàm manus hominis, vel pes eius cognoscatur: Ergo doctrina, quam prætermitimus, vniuersaliter vera non est.

Sed contra, nam eo totum essenziale nequit distinctè cognosci, quin partes illius attingantur prius, quia cognitio non est distincta totius, nisi discernat inter ea, ex quibus totum componitur; sed cognitio totius integralis, si non fiat per partes non discernit inter ea, ex quibus totum integrale componitur: ergò distincta non est. Qua propter non assentimur in hoc eisdem Thomistæ oppositum asserenti, sed potius affirmamus hominem in ratione totius integralis non posse distinctè cognosci, nisi partes integrales, manus videlicet, & pes cognoscantur prius, propterea quia longè videt hominem claudum, & alium hominem sanum, confusè vtrumque cognoscit, & inter vnum, & alterum non distinguit, quia inter motum vnius, & alterius non discernit, & quis nam eorum in movendo deficiat, non cognoscit, quibus prælibatis, & sententijs omisis.

nentia, terminus imperfectior est: Ergo ab illo est incipiendum. Prob. min. Omnia alia ex terminis, ut ex partibus componuntur; sed pars imperfectior est toto: Ergo terminus imperfectior est.

Respondebis primò, secundum istam doctrinam incipiendum esse à suppositione, ampliatione, & restrictione, quæ sunt termini proprietates, & proprietates est imperfectior essentia.

Respondebis secundò esse incipiendum à notioribus, & imperfectiora non esse notiora, quia unumquodque est cognoscibile secundum quod est in actu, & imperfectiora sunt minus in actu, eo quod sunt minus entia, proindeque non possunt esse notiora, nec ab illis incipiendum.

Utraque tamen solutio inefficax est, prima quidem, quia ab imperfectioribus est incipiendum, quando imperfectiora à perfectioribus non dependent; sed suppositio, restrictio, & ampliatio, quamvis sint imperfectiores, à termini cognitione dependent: ergo ab illis incipiendum non est. Prob. min. Cognitio distincta proprietatis dependet à cognitione distincta naturæ, & essentiæ, cuius est proprietates; sed suppositio, ampliatio, & restrictio sunt termini proprietates: Ergo quamvis sint imperfectiores, dependent tamen à termini cognitione.

Secundò impugnatur, quia suppositio, ampliatio, & restri-

ctio, conveniunt termino intra propositionem tantum; sed terminus intra propositionem existens, supponit cognitionem termini absolute, & extra propositionem, quia terminus extra propositionem simplicior est, & adhuc non habet intentionem subiecti, vel prædicati: Ergo proprietates enumerata terminum cognitum absolute supponere debent.

Solutio verò secunda ad rationem supra factam, efficaciter impugnatur; quia quamvis minus perfecta non sint notiora naturæ, aut non sint notiora secundum se, sunt tamen nobis notiora: ergo ab illis debemus incipere. Prob. ant. Nam obiectum esse magis secundum se cognoscibile fundatur in maiori perfectione, & actualitate entis, ipsum verò esse magis notum quoad nos, fundatur in maiori proportionem cum intellectu nostro; sed imperfectiora sunt magis proportionata cum intellectu nostro, & propterea prius cognoscimus creaturas, & per eas creatorem cognoscimus: Ergo imperfectiora sunt notiora quoad nos.

Tertiò prob. conclusio, quia cum cognitio distincta totius incipiat à cognitione partium, ab eo prius est incipiendum in dialectica, quod est prima pars, ex qua instrumenta dialectica componuntur; sed terminus est prima pars: ergo ab illo est incipiendum.

dum. Prob. min. Primò, quia syllogismus ex propositionibus fit, propositiones verò ex terminis componuntur, & ante terminum non est alia pars de consideratione dialectica: Ergo terminus est prima pars, ex qua instrumenta dialectica componuntur.

Secundò prob. min. Ea pars prima est in componendo instrumenta dialectica, in quam ultimò resolvuntur instrumenta prædicta, nam ultimum in resolutione, est primum in compositione totius; sed omnia instrumenta dialectica ultimò resolvuntur in terminos, & ultra non transit dialectica resolutio: Ergo terminus est prima pars.

Respondebis: Regulariter, & per se esse incipiendum à notitia primæ partis, non tamen hoc esse exequendum in dialectica, eo quod notitia termini, & aliorum ad dialecticam pertinentium dependet à cognitione modi sciendi, quem si quis ignoret non potest terminum, & alia clarè, & distinctè cognoscere, & ita in dialectica à modo sciendi debemus incipere.

Sed contra est, quia potius cognitio distincta modi sciendi, dependet à termini cognitione: ergo à termino potius in dialectica incipiendum est. Prob. antec. Cognitio distincta modi sciendi incipit à cognitione partium, nam totum distinctè percipimus, quando ipsum per partes cognos-

cimus; sed terminus est prima pars modi sciendi: Ergo cognitio distincta modi sciendi dependet à termini cognitione.

Secundò impugnatur solutio. Quavis non possimus terminum cognoscere demonstrative, aut scientificè non præhabita notitia modi sciendi, possimus tamen terminum distinctè cognoscere sine notitia modi sciendi distincta; sed dum incipimus in dialectica, non modo demonstrativo; sed tantum modo distincto, & doctrinali procedimus: ergo non à modo sciendi, sed à termino debemus incipere. Prob. mai. Quia ut terminum cognoscamus distinctè sufficit cognoscere genus termini, & illius differentiam, quia terminus solum est totum metaphysicum ex genere, & differentia compositum, non tamen est totum physicum, sed potius physicè in linea dialectica est prima, & simplicissima pars; sed genus, & differentiam termini cognoscere possimus sine notitia distincta modi sciendi: Ergo maior vera est.

Respondebis: Sine cognitione distincta termini posse quam optimè haberi cognitionem distinctam modi sciendi, per hoc præcisè quod genus, & differentiam modi sciendi cognoscamus; proindeque cognitio distincta modi sciendi non pendet à termini cognitione.

Sed contra, quia etiam genus modi sciendi nequit distinctè

te cognosci, quin terminus cognoscatur: ergo genus modi sciendi in cognitione distincta, dependet etiam à termini cognitione. Prob. ant. Oratio, quæ est genus modi sciendi, componitur ex terminis ut ex partibus: Ergo nequit distinctè cognosci, quin terminus cognoscatur, quia cognitio distincta totius, à cognitione partium incipere debet.

§. III.

*Argumentis in contrarium
occurritur.*

CONTRA conclusionem prædictâ arguitur primò. Quia in dialectica incipiendum est ab illis, quæ pertinent ad primam operationem; sed terminus ad primam operationem non pertinet: ergo à termino incipiendum non est. Prob. min. Primò, prima operatio est actio quædam intellectus; sed terminus non est actio: Ergo non pertinet ad primam operationem.

Secundò prob. min. Ad eandem operationem, ad quam pertinet totum, pertinent partes illius; sed propositio, cuius terminus est pars, non ad primam, sed potius ad secundam pertinet operationem: Ergo idem dicendum de termino.

Confirm. ab opposito privativè; quia à propositione incipiendum est: ergo non à termino.

Prob. ant. Primò, Arist. 1. priorum, cap. 1. prius diffinit propositionem, quàm terminum: ergo à propositione incipiendum est, quia viam Arist. observare debemus.

Secundò prob. ant. Propositio perfectior est termino: ergo ab illa incipiendum est, nam propterea in ordine naturæ prior est forma, quàm proprietates quia forma perfectior est, & in ordine demonstrandi prius incipimus à principijs, quia principia sunt perfectiora conclusionem.

Tertiò prob. ant. Propositio est causa termini finalis, siquidem terminus ad propositionem, ut ad finem ordinatur: ergo ab illa incipiendum est, nam ut effectus cognoscatur distinctè, prius illius causa debet distinctè cognosci.

Quart. prob. ant. Propositio est notior termino: ergo ab illa incipiendum est. Prob. ant. Terminus diffinitur per ipsam propositionem: ergo propositio notior est termino, nam ea, per quæ res aliqua diffinitur, debent esse notiora, eo quod diffinitio notior est termino.

Resp. ad arg. neg. min. Et ad primam prob. concessis præmissis, dist. consequens, non pertinet ut actio, conc. conseq. ut terminus, & obiectum actionis, neg. conseq. Quia licet terminus non sit actio, est tamen primæ operationis obiectum, & incipiendum

dum est ab aliquo pertinente ad primam operationem, tanquam obiectum illius. Et quidem si argumentum probaret, convinceret etiam non esse incipiendum ab ipsa propositione, cum illa formalitè non sit aliqua operatio intellectus, sed tantum terminus, & obiectum illius.

Ad secundam prob. min. dist. mai. partes, ut exercitè componentes: conc. mai. ut potentes componere: neg. mai. Nam ad eandem operationem pertinet totum, & partes, ut actu, & exercitè componentes, sed non ut potentes componere; ex quo solum habetur, quod terminus, ut subiectum, vel prædicatum, qua ratione actu, & exercitè componit, ad secundam operationem pertineat, non tamen quod ut potens componere non pertineat ad primam, nam pro ut sic non constituit actu, & exercitè totum. Et quamvis in diffinitione termini dicatur esse id, ex quo simplex conficitur propositio, ea tamen verba non dicunt actum, sed aptitudinem, & idem est, ac si diceremus, terminum esse partem potentem propositionem componere.

Ad confirmationem verò argumenti negatur antecedens, & ad primam probat. respondemus Aristotelem ibi tractare de termino non via compositionis, sed via resolutionis, & cum in ordine resolutionis sit ultimum in quod re-

solvitur propositio, prius egit de ipsa propositione; nos tamen in præsentide termino via inventionis, & compositionis disputamus, & cum terminus in componendo sit prior ab illo incipiendum asserimus; sicut ipse Philosophus prius etiam egit de termino enuntiativo, & compositivo quamvis non sub nomine termini, ut primo per Hierem. lect. 8. explicat D. Thom.

Ad secundam probat. antec. resp. Quod non propterea agens prius introducit formam, quàm illius proprietates, quia forma perfectior est, nec demonstratio prius incipit à principijs, quia ipsa perfectiora sunt; sed quia in ordine naturæ proprietates pendent à forma, & conclusio dependet à principijs in ordine demonstrandi, quam dependentiam terminus à propositione non habet, sed res e contra comingit, eo quod notitia distincta totius à partium cognitione dependet.

Ad tertiam prob. antec. Respondetur propositionem esse causam finalem, ut probatio inbibita persuadet, sed propterea esse causam extrinsecam respectu termini, & causam extrinsecam non debere distinctè cognosci ad cognitionem distinctam effectus, sed satis esse quod prius quantum ad an est, & confusè cognoscatur.

Ad quart. probat. neg. ant. & ad probat. dicimus: ea per quæ res aliqua diffinitur tanquam per intrinsecas partes, debere esse notio-

tiora, quia diffinitio quantum ad partes intrinsecas notior, & clarior est diffinitio; sed terminus tantum diffinitur per propositionem, tanquam per extrinsecum terminum, qui satis est, quod sit notior quantum ad an est, & cognitione confusa. Sicut creatura diffinitur per ordinem ad creatorem, qui tamen cognitione distincta notior non est creatura, sed potius per creaturas distincte creatorem cognoscimus. Unde, ut quandam replicam evitemus, cum dicitur relativa esse simul cognitione, intelligitur de cognitione distincta unius, & confusa alterius, quaeque alterum attingat in obliquo, non vero de cognitione distincta utriusque, & quae utrumque attingat in recto.

Sed instabis, quod incipiendum est à cognitione imperfectissima inter omnes, eo quod intellectus procedit de potentia ad actum, & ita prius debet ad cognitionem imperfectam, quam ad perfectam pervenire; sed cognitio propositionis imperfectissima est, cum sit cognitio totius. Ergo ab illa est incipiendum.

Resp. dist. mai. imperfectissima intra lineam cognitionis distinctae: conc. mai. imperfectissima absolute: neg. mai. & dist. min. absolute: conc. min. in linea cognitionis distinctae: nego min. & conseq. Quia intellectus in dialectica incipit cognoscere cognitione distincta, & ita incipere de-

bet à cognitione imperfectissima inter cognitiones distinctas, qualis est termini cognitio, nam cognitio distincta artefacti, quod ex terminis componitur, superat cognitionem termini distinctam.

Dices, incipiendum esse à cognitione imperfectissima absolute, nam illa absolute est magis proportionata; sed cognitio confusa propositionis imperfectior est cognitione termini distincta. Ergo à cognitione confusa propositionis incipiendum est.

Respond. quod dum intellectus incipit absolute, & confuse cognoscendo, prius cognoscit magis confusum, & incipit à cognitione confusa totius, quae absolute imperfectior est cognitione tam confusa, quam distincta suae partis; ex quo tantum habetur, prius cognoscere propositionem confuse, quam terminum tam confuse, quam distincte cognoscatur, non tamen prius cognoscere distincte propositionem quam terminum distincte cognoscatur, quia in linea determinata cognitionis distinctae, cognitio termini imperfectior est. Sicut dialecticus non incipit declinando, quia licet declinatio sit operatio imperfectissima absolute, intra lineam tamen dialecticam non existit, & dialecticus non incipit absolute, sed solum incipit in linea determinata dialecticae.

Secundo arguitur. Terminus non est simplicior. Ergo non est in-

incipiendum à termino. Probat. Vox, & significatio sunt simpliciores termino. Ergo ille non est simplicior. Prob. ant. Vox, & significatio sunt partes, ex quibus componitur terminus; sed partes sunt simpliciores toto. Ergo vox, & significatio sunt termino simpliciores.

Respond. neg. ant. & ad probat. disting. antec. simpliciores absolute: conced. antec. in linea dialectica: nego antec. & conseq. Quia non est incipiendum à simplicioribus absolute, sed à simplicioribus in linea tantum dialectica, & quamvis vox, & significatio absolute sint simpliciores, non tamen tales sunt intra lineam dialecticam, eo quod ad lineam dialecticam non spectant; sed de voce agit Physicus, de significatione Grammaticus, & de signo agit Politicus.

Sed instabis primo, partes pertinent ad eandem considerationem, ad quam pertinet totum; sed vox, & significatio sunt partes termini, & terminus per se spectat ad considerationem dialecticam. Ergo etiam vox, & significatio debent ad dialecticam pertinere.

Secundo instabis, terminus in linea dialectica est totum formaliter. Ergo simplicior non est. Probat. antec. Haber partes ad dialecticam formaliter pertinentes. Ergo in linea dialectica est totum formaliter. Prob. ant. Terminus componitur ex intentione diale-

ctica communi ad omnem intentionem dialecticam, & contrahibili per intentionem dialecticam partis, & intentionem totius; & rursus componitur ex intentione peculiari partis termini constitutiva; sed haec intentio particularis pertinet formaliter ad dialecticam, & intentio dialectica ad terminum, & ad alia communis, ad dialecticam etiam pertinet, alias dialectica non esset formaliter. Ergo terminus habet partes formaliter ad dialecticam pertinentes.

Tertio instabis, signum debet necessario ad dialecticam pertinere; sed signum simplicius est termino, cum terminus supra signum addat intentionem partis. Ergo terminus in linea dialectica simplicior non est. Prob. mai. Genus termini pertinet formaliter ad dialecticam, cum genus pertineat ad eandem scientiam, ad quam pertinet species genere constituta; sed signum est genus ad terminum. Ergo debet signum ad dialecticam pertinere.

Resp. ad primam replicam, dist. mai. partes ut unitae in toto: conc. mai. divisivè acceptae: neg. mai. & concessa min. negatur conseq. Sub distinctione maioris, quia partes divisivè, & secundum proprias naturas possunt ad artes diversas formaliter pertinere, quamvis ut unitae, & coniunctae pertineant ad facultatem totius. Ex quo tantum sequitur quod

vox, & significatio quatenus induunt secundam intentionem partis ad dialecticam pertineant, sicut omnia entia realia, ut vestita intentione Logicali, formaliter ad Logicam pertinent.

Dices: Ergo vox, & significatio ut induunt secundam intentionem pertinent formaliter ad dialecticam; sed pro ut sic sunt termino simpliciores. Ergo terminus in linea dialectica non est simplicior. Prob. minor. Quatenus vox, & significatio sub induunt intentionem, illam important in obliquo; sed terminus tam vocem significativam, quam secundam intentionem importat in recto. Ergo vox, & significatio sunt termino simpliciores.

Respond. dist. primum consequens, pertinent ex consequenti, & ratione secundae intentionis: conced. conseq. Per se primo, & ratione sui: neg. conseq. Quia vox, & significatio quatenus induunt intentionem partis solum ex consequenti, & ratione intentionis praedictae ad dialecticam pertinent, & ita quamvis sint termino simpliciores, non est incipiendum ab illis. Nam incipiendum tantum est a simplicioribus inter ea, quae per se primo, & ratione sui a dialectica considerantur, quod non convenit voci, & significationi sed termino ex illis compositis: qui quidem ratione intentionis propriae, & formae constituentis, per se primo ad dialecticam per-

tinet, si non intentivè saltem executive, eo quod secunda intentio partis est prima forma, quae ad modum sciendi ordinatur, sicut ostendimus articulo praecedenti.

Ad secundam instantiam dist. ant. Totum metaphysicum: conc. ant. physicum: neg. antec. & dist. consequens, simplicior metaphysicè: concedo conseq. physicè: nego. conseq. Nam quamvis terminus sit compositus metaphysicè, compositione rationis ex intentione dialectica communi, & ex intentione dialectica partis, physicè tamen compositus non est, sed quid simplex in linea physica, & ideo incipiendum est ab illo; nam dialectica incipit a parte physicè simpliciori, quae solum est terminus, nam omnia instrumenta dialectica componuntur ex partibus physicis, aut physicè separabilibus, quarum qualibet ratione sui pertinet formaliter ad dialecticam.

Etsi dicas, nomen, & verbum non componi ex partibus physicè separabilibus, alias componerentur ex terminis diversis, & haberent partes per se significativas separatas, cuius oppositum in eorum diffinitione profertur, consequenterque nomen, & verbum eandem habent simplicitatem physicam, quam terminus habet. Ergo non est assignabilis ratio cur potius sit a termino, quam ab illis incipiendum.

Respond. facile ita esse quod,

nomen, & verbum non componuntur ex terminis, sed solum ad intentionem generalem termini superaddunt intentionem metaphysicam specialem, & ita esse aequaliter physicè simpliciores; sed quia inter aequè simplicia ab universalioribus est incipiendum, propterea incipiendum est a termino, qui universalior est, & sub se nomen, & verbum amplectitur.

Ad tertiam instantiam principalem neg. maior. & ad prob. disting. maior. genus metaphysicum, & proprium, conced. maior. genus physicum, & extraneum, nego maior. & sub eadem distin. minoris, nego conseq. Quia signum non est genus metaphysicum, & proprium, sed physicum, & extraneum est, nam genus metaphysicum termini est secundum intentionatum dialecticum, quia generaliter in omni concreto accidentali, subiectum, solum est physicum, & extraneum genus, sicut in diffinitione albi coloratum est genus metaphysicum, sed corpus solum genus physicum est.

Sed instabis primo, quod ex praedicta solutione sequitur incipiendum esse a secunda intentione ut sic, nam haec est metaphysicum genus ad omnem secundam intentionem, & etiam ad ipsam intentionem termini constitutivam: Ergo non a termino, sed ab intentione ut sic

incipiendum erit.

Secundo instabis, esse sententiam probabilem inter Thomistas, signum ad placitum esse genus metaphysicum ad terminum; sed haec sententia in praesenti neganda non est: Ergo a signo ad placitum incipiendum est in dialectica.

Tertio instabis, genus metaphysicum illud est, quod praedicatur essentialiter de pluribus differentibus specie; sed ratio signi essentialiter praedicatur de termino, & oratione, inter quae datur specifica differentia: ergo signum, genus metaphysicum est ad terminum, & ad alia ad dialecticam pertinentia. Prob. min. Nam haec propositio: *terminus est signum*, essentialis, & vera est; & haec propositio: *Oratio est signum*, essentialiter etiam est vera: Ergo ratio signi praedicatur essentialiter de termino, & oratione, inter quae differentia specifica reperitur.

Resp. ad primam replicam dist. antec. a secunda intentione physicè, & concretivè sumpta, conc. ant. praesive, & in abstracto, neg. ant. & suppositum consequentis, quia ex solutione praedicta non sequitur incipiendum esse a secunda intentione praesive, & in abstracto, ut potente denominare, & descendere ad inferiora dialectica, sed solum esse incipiendum ab illa physicè, & ut contracta per aliquam differentiam, quod nos etiam affirmamus;

mus; esse videlicet incipiendum ab intentione prædicta, vt contracta, & determinata per differentiam termini, quæ inter omnes intētionēs dialecticas imperfectissima est, & propterea negavimus suppositum consequentis, quod videlicet incipere à prædicta intentione, provt sic, non sit à termino incipere.

Ad secundam instantiam respond. Doctrinam nostram procedere in via securiori Thomistarum. Admissio tamen signum esse genus metaphysicum; respondemus etiam, non esse incipiendum à signo, eo quod non incipimus à termino metaphysicè sumpto, ipsum distinctè metaphysicè cognoscendo, aliàs à cognitione generis metaphysici debere incipere, sed duntaxat incipimus in præsentia à termino physicè sumpto, & quatenus est prima pars physica simplicior, & imperfectior, ex qua instrumenta dialectica physicè componuntur. Quæ solutio eadem formaliter est cum altera asserente esse incipiendum à signo non præcisivè, sed physicè, & vt contracto per differentiam termini constitutivam, quæ inter omnes differentias dialecticas imperfectissima est, sicut nuper de secunda intentione in communi, dicebamus.

Ad tertiam instantiam, quatenus directè procedit contra doctrinam superius à nobis datam,

respond. dist. min. de termino, & oratione pro materiali, conc. minor, pro formali, neg. min. & dist. consequens, ad ea pro subtracto, & materiali, conc. consequ. pro formali, neg. consequ. Quia signum non prædicatur essentialiter de termino, & oratione pro formali. Vndè istæ propositiones: *Terminus pro formali est signum, & oratio pro formali est signum*, sunt propositiones falsæ; quapropter solum prædicatur essentialiter signum de termino, & oratione pro materiali subtracto, eo quod subtractum omne, tam terminis, quam orationis est essentialiter signum; ex quo tantum sequitur esse genus metaphysicum ad ea pro materiali, sed ad ea pro formali semper est physicum, & extraneum genus, sicut hæc propositio est essentialis: *Album est corpus*, quia tamen corpus non prædicatur de albo pro formali, sed solum pro materiali, propterea corpus non est genus metaphysicum, sed genus physicum, & extraneum est.

Tertiò arguitur, à modo sciendi incipiendum est: ergò non à termino. Prob. ant. Primò, modus sciendi est facilior; cum ipse sit instrumentum sciendi; & consequenter faciliet intellectum: Ergò ab illo incipiendum est.

Secundò prob. ant. Modus sciendi ante scientiam acquirendus est, nam secundum philosophum absurdum est simul quære-

re scientiam, & modum sciendi, quod idem est, ac si diceret; modum sciendi esse querendum, & acquirendum prius: Ergò idem quod antea.

Tertiò probatur ant. Modus sciendi omnibus notior est, quia ipse cetera manifestat, & propterea, modus sciendi nominatur: Ergò ab illo est incipiendum.

Quartò prob. Ideò Logica in scientias prius acquirenda est, quia præbet modum acquirendi alias scientias; sed etiam modus sciendi præbet modum cognoscendi omnia alia: Ergò prius acquirendus est.

Quintò prob. Diffinitio est modus sciendi; sed à diffinitione debemus incipere: ergò à modo sciendi incipiendum est. Prob. min. Diffinitio notior est termino, siquidem illum manifestat, & explicat: Ergò à diffinitione debemus incipere.

Resp. ad argum. neg. antec. & ad primam probat. negatur etiam ant. loquendo de modo sciendi, vt *quod*, & signate accepto, secundum quam rationem non facilior, sed difficilior est, eo quod componitur ex terminis, & totum pendet à parte in cognitione distincta: Si tamen modus sciendi consideretur vt *quo*, est vtrique ratio manifestandi, sed provt sic ab eo incipimus, quatenus incipiendo ab ipsa diffinitione vt *quo*, & vt terminum manifestante, ab ipso modo sciendi in-

choamus. Sed doctrina ex dicendis clarior erit.

Ad secundam probat. ant. Respond. D. Thom. ibidem tantum intendere absurdum esse simul querere scientiam, quæ non agit de modo sciendi, & eam quæ de modo sciendi agit, & propterea docet ibi Logicam esse ante alias scientias acquirendam, quia ipsa tradit modum sciendi, & habendi alias scientias; verum pro ea parte, qua verba ad intentum adducuntur, aliter poteramus respondere explicando antecedens, ante scientiam vt demonstrativè procedentem, conc. ant. Quia modus sciendi in adæquatè acceptus pro diffinitione, & diffinitione, ante demonstrationem habetur. Ante scientiam vt procedentem doctrinaliter, neg. ant. & consequ. Quia Logica, vt doctrinaliter procedit, à simplicioribus incipit, & à partibus ad totum, & ita non prius debet agere de modo sciendi, sed prius de termino debet agere, ex quo modus sciendi componitur. Nec in Autoritate prædicta ex 2. metaph. text. 15. de sumpta aliquid in oppositum habetur.

Ad tertiam prob. dist. antec. Modus sciendi in adæquatè, & vt *quo*, conc. ant. vt *quod*, neg. antec. & consequ. Modus namque sciendi in adæquate sumptus pro ipsa diffinitione exercite, & vt *quo* notior est, quia diffinitio termini est oratio explicans termini-

naturam, & ita in exercitio, & ut *quo*, vel ut ratio manifestandi, prius attingitur, quam terminus explicatus: Si tamē modus sciendi consideretur signate, & ut *quod* secundum propriā differentiam, & ut obiectum ab omni alio distinctum, sic non est notior quam terminus, sed res è contra se habet, quia notitia distincta modi sciendi dependet à cognitione termini distincta.

Ad quartam prob. dist. min. cognoscendi scientificè, conced. min. distinctè tantum, neg. min. & conseq. Quia Logica præbet modum cognoscendi alia scientificè, & ideò sine Logica non potest saltem facile cognosci bonitas consequentiæ, nec aliquod obiectum scientificè, & ita prius adquirenda est, ex quo tantum sequitur nullum obiectum posse sine modo sciendi demonstrativè cognosci; non tamen modus ipse sciendi præbet modum cognoscendi omnia distinctè, sed potius cognitio illius distincta, à termini cognitione dependet.

Ad quintam prob. principalis antecedentis, dist. mai. Diffinitio est modus sciendi secundò intentionaliter sumpta, conced. mai. Primò intentionaliter accepta, neg. mai. & dist. min. à diffinitione primò intentionaliter sumpta, conc. min. secundò intentionaliter accepta, neg. min. & conseq. Diffinitio namque primò intentionaliter sumpta, sunt

ipsa prædicata essentia sua, & constitutiva termini, & ita incipimus ab illa, dum à termino incipimus, eo quod incipere ab illa pro ut sic, est incipere ab ipso termino, cæterum ut sic sumpta diffinitio, non est modus sciendi, sed solum habet rationem modi sciendi secundò intentionaliter accepta, & quatenus prædicata, ex quibus componitur sub induunt intentionem generis, & etiam intentionem differentia, quibus intentionibus disponuntur artificiosè: & secundum rationem istam diffinitio, non est termino notior sumpta signate, & ut *quod*, sed tantum considerata ut *quo*, & quatenus in exercitio terminum manifestat, & ab ea sic sumpta exercitè, & ut *quo*, incipit de facto Dialecticus. Quod idem est, ac dicere dialecticum incipere diffiniendo, sed non incipere docendo quid sit diffinitio, & illius naturam ex proprio intento explicando.

Sed instabis: Dialecticus incipit docendo, quæ nam sit natura diffinitionis: ergò incipit à modo sciendi signatè, inadaquatè saltem accepto pro ipsa diffinitione. Prob. ant. Dialecticus incipit à diffinitione termini; sed termini diffinitio cognosci non potest, non præhabita notitia diffinitionis ut sic: ergò incipit dialecticus docendo naturam diffinitionis. Prob. min. Notitia diffiniti non potest haberi, sine notitia

etia diffinitionis; sed diffinitio termini diffinitur per diffinitionem ut sic, per quam diffinitur omnis vera diffinitio: Ergò diffinitio termini cognosci non potest non præhabita notitia diffinitionis ut sic.

Ad replicam istam neg. ant. & ad probat. dist. min. Diffinitio termini ut *quod* secundò intentionaliter sumpta, conc. min. Diffinitio termini primò intentionaliter accepta, vel ut *quo* secundò intentionaliter sumpta, neg. min. & conseq. Quia diffinitio termini primò intentionaliter accepta pro prædicatis constituentibus terminum, non est diffinitum per diffinitionem ut sic; & ita potest cognosci ut *quod*, sicut ipsa prædicata, non præhabita notitia diffinitionis ut sic, & ita cognoscitur diffinitio termini ut *quod* dum incipimus à termino: Si tamen diffinitio termini consideretur secundò intentionaliter, diffinitur utique per diffinitionem ut sic, sed sic considerata termini diffinitio non cognoscitur ut *quod*, quando incipimus à termino, sed tantum ut *quo*, & exercitè cognoscitur, ad quam cognitionem notitia diffinitionis ut sic, necessaria non est.

Sed instabis adhuc: Diffinitio termini secundò intentionaliter sumpta est inferior ad diffinitionem ut sic, & per eam diffinitur; sed notitia termini non habetur, nisi cognoscatur eius

diffinitio secundò intentionaliter sumpta: ergò non possumus terminum cognoscere, nisi prius cognoscamus diffinitionem ut sic. Prob. min. Notitia termini non habetur, nisi cognoscamus eius diffinitionem, ut manifestantem ipsum; sed in ratione manifestantis constituitur per secundam intentionem: Ergò notitia termini non habetur, nisi cognoscatur illius diffinitio secundò intentionaliter sumpta.

Respond. negando utramque minorem, quia quamvis diffinitio in ratione instrumēti Logicalis constituitur formaliter per secundam intentionem rationis, sicut etiam demonstratio; in ratione tamen manifestativa, constituitur diffinitio per prædicata metaphysica termini, & forma rationis solum, ut conditio se habet, & ideò diffinitio secundò intentionaliter sumpta, non debet ut *quod* ante terminum cognosci, sicut cognoscitur Sacramentū, ut contentivum, & causativū gratia, antequam relatio rationis Sacramenti constitutiva in ratione signi cognoscatur ut *quod*.

Dices: Etiam forma rationis in demonstratione reperta, est conditio; non tamen ratio formalis constituens demonstrationem in ratione manifestantis conclusionem, & causantis scientiam, aliàs demonstratio non esset causa realis; & tamen forma prædicta præcognosci debet ad

scientiam habendam: ergo idem in presenti dicendum.

Respond. primò disparem esse rationem, quia ad scientiam acquirendam necessariū est cognoscere expressè, & signatè bonitatem consequentiæ, quod quidem fieri non potest, nisi forma rationis, & recta dispositio præmissarum ut *quod*, & signatè cognoscatur, quæ doctrina non militat ad terminum cognoscendum distinctè.

Secundò respond. dist. min. exercitè, conc. min. signatè, & ut *quod*, nego min. & conseq. Quia in sententia satis probabili, forma rationis constituens demonstrationem, & recta dispositio præmissarum non debet cognosci signatè, expressè, & ut *quod* ad scientiam habendam, sed satis est quod ut *quo*, & exercitè cognoscatur, ut fatentur communiter asserentes Logicam non esse simpliciter necessariam, sed solo lumine naturali posse cognosci bonitatem consequentiæ, & præmissas esse rectè dispositas exercitè, & ut *quo*, & hoc sufficere ad scientiam habendam.

Quartò arguitur. Probabilis est inter Thomistas sententia, Logicam esse simpliciter ad alias scientias necessariam, eo quod sine Logica cognosci non potest bonitas consequentiæ, & huius sententiæ Patroni regulariter affirmant esse incipiendū in Logica ab ea demonstratione, in qua

probatur bonitas consequentiæ, & pro conclusione infertur; sed hæc sententia in presenti neganda non est: Ergo in Logica non à termino, sed à demonstratione prædicta incipiendum est.

Confirm. primò: Ab universalioribus est incipiendum, & propterea physica prius agit de ente mobili in communi, & postea ad movilia particularia descendit; sed terminus universalior non est: Ergo non est incipiendum à termino.

Secundò confirm. & vrgetur: Quia prius incipiendum est ab ente rationis ostensivo veritatis: ergo non est incipiendum à termino. Prob. ant. Primò, prius incipiendum est ab eo, de quo demonstratur prima passio, quæ per scientiam probatur; sed prima passio demonstratur de ente rationis ostensivo veritatis: Ergo ab ente prædicto incipiendū est.

Secundò prob. ant. Prius incipiendum est ab obiecto attributionis, vel ab obiecto primario, quia obiectum primarium, per se primò, & ratione sui attingitur, cætera verò attinguntur dependenter ab ipso; vnde virtutes ante omnia attingunt suum obiectum primarium, sicut patet, in fide, spe, & charitate, quæ prius Deum, quam creaturas attingunt, sed obiectum primarium dialecticæ est ens rationis ostensivum veritatis: Ergo ab hoc incipiendum est.

Resp.

Resp. ad argum. dist. consequens, in processu demonstrativo conc. conseq. in processu doctrinali, neg. conseq. Dialectica namque, vel Logica duplici modo procedit, doctrinaliter videlicet tradendo regulas, & præcepta, & rerum essentias diffiniendo, & explicando; & insuper demonstrativè etiam procedit probando per causam passiones, aut proprietates instrumenti Logicalis, & in processu demonstrativo incipit dialectica à bonitate consequentiæ, & à prædicta demonstratione, iuxta sententiam admittam; sed in processu doctrinali incipere debet à termino, qui prior est inter omnia dialectica, & illius naturam prius oportet cognoscere, eo quod omnia alia ex termino componuntur.

Ad primam confirm. resp. primò dist. mai. ab universalioribus in componendo, vel in prædicando, conc. mai. in prædicando determinatè, neg. mai. & dist. min. in prædicando, conc. min. in componendo, neg. min. & conseq. Quia dialectica agit de instrumēto Logicali, & cum instrumenta Logicalia componantur ex termino, & notitia distincta totius dependeat à cognitione distincta partis, inde fit in dialectica cognitione distincta esse incipiendum à termino, ex quo omnia componuntur, sicut Physica prius incipit à materia, & forma, quæ sunt partes, ex quibus ens

mobile naturale resultat, ut sic ad cognitionem distinctam totius perveniat, & illius proprietates demonstrare possit.

Secundò respond. dist. mai. in processu demonstrativo, conc. mai. doctrinali, neg. mai. & concessa minori, neg. conseq. Sub distinctione maioris, quia scientia prius demonstrat passiones universales de subiecto universalis, & ita in processu demonstrativo ab universalioribus incipit; sed in processu doctrinali prius incipere debet à prima parte aliorum compositiva, quia notitia distincta aliorum pendet necessariò à notitia talis partis.

Ad secundam confirm. nego. ant. & ad primam probat. dist. mai. in processu demonstrativo, conc. mai. doctrinali, neg. mai. & concessa minori, neg. conseq. Sub eadē distinctione, quia scientia in processu doctrinali prius incipere debet à prima parte, ex qua alia componuntur, quia notitia distincta totius dependet à cognitione distincta partis, sed in processu demonstrativo prius incipiendum est ab eo, de quo prima passio demonstratur, & ita intelligendus est D. Thom. 1. post. lect. 2. dum asserit de subiecto attributionis debere præcognosci *quid est*, & *quia est* ante inceptionem scientiæ, quod idem est, ac si diceret hæc omnia debere præcognosci de subiecto demonstrationis, antequam scientia

tia demonstrativè procedat.

Ad secundam probat. eiusdem antecedentis, resp. simili modo, prius videlicet, esse incipiendum ab obiecto attributionis, vel ab obiecto primario in processu demonstrativo, non tamen in processu doctrinali, & executivo, sicut antea dicebamus.

Sed instabis primò: in processu doctrinali necessario incipiendum est ab obiecto primario, vel ab aliquo per se ad ipsum pertinente, cum alia non per se considerentur à scientia, & consequenter non per se incipiat ab illis; sed terminus non pertinet per se ad obiectum primarium Logicae, quod est modus sciendi, ad quem tantum per se pertinent diffinitio, divisio, & argumentatio: Ergò etiã in processu doctrinali, non est incipiendum à termino.

Secundò instabis: in processu demonstrativo prius incipiendum est ab obiecto primario, ut in solutione concedimus; sed dialectica in processu doctrinali etiã demonstrativè procedit: ergò debet incipere ab obiecto attributionis. Prob. min. Primò, procedere demonstrativè, est procedere considerando passiones, & proprietates; sed dialectica in processu doctrinali passiones termini, videlicet, ampliationem, restrictionem, & appellationem considerat: Ergò demonstrativè procedit.

Secundò prob. min. diale-

ctica incipit cognoscere terminum per eius diffinitionem: sed hoc est demonstrativè procedere: ergò in primo, & doctrinali processu incipit demonstrativè. Prob. min. Procedere per modum sciendi, est demonstrativè procedere, cum modus sciendi sit modus procedendi scientificus; sed procedere per diffinitionem, est procedere per modum sciendi: Ergò min. vera est.

Ad primam instantiam resp. dist. mai. per se perfectitate partis conducentis ad ipsum, conc. mai. perfectitate abstracti primarij, vel formæ constituentis, neg. mai. & dist. min. perfectitate subiecti primarij, vel formæ constituentis, conc. min. perfectitate partis conducentis ad ipsum, neg. min. & conseq. Quia processus doctrinalis incipit à cognitione partis, ut sic perveniat ad distinctã cognitionem totius, & propterea non debet incipere à forma constituenta obiectum primariũ, quæ est secunda intentio modi sciendi, nec à subiecto primario talis formæ, quod est diffinitio, divisio, & argumentatio, sed potius incipere debet ab eo, quod per modum partis compositivæ ordinatur ad modum sciendi, qualiter ad ipsum, terminus ordinatur.

Ad secundam instantiam negatur min. & ad primam probat. dist. mai. considerando probativè, conc. mai. explicativè, aut diffi-

diffinitivè, neg. mai. & distingo minorem, explicativè, conc. min. probativè, neg. min. & conseq. Quia procedere demonstrativè est procedere probando proprietates de subiecto; sed Logica in processu doctrinali non ita procedit, sed solum explicat ampliationem, restrictionem, & alia, eorum scientias diffiniendo; causam tamen cur subiecto conveniant non assignat, sed solum simpliciter asserit eas subiecto, vel termino convenire.

Ad secundam probat: min. responderi poterat, omittendo dialecticam demonstrativè procedere, quando procedit per modum sciendi signate cognitum, & ut quod, sed in processu doctrinali non ita procedit, sed tantum per diffinitionem ut quo, & exercitè cognitam, si sermo sit de illa secundò intentionaliter sumpta, qua ratione est modus sciendi.

Verum, quia factum est procedere per omnem modum sciendi esse modum procedendi demonstrativum, propterea negatur minor, & ad probat. dist. mai. per modum sciendi principalem, conc. mai. minus principalem, neg. mai. & dist. min. per modum sciendi minus principalem, conc. min. principalem, neg. min. & conseq. Quia modus sciendi principalis est argumentatio, & solum dum per illam procedimus, demonstrativè agimus, consequenterque solum procedimus

Mag. Froylan.

demonstrativè, quando per modum sciendi principalem procedimus, Logica verò in processu doctrinali per diffinitionem procedit, quæ est modus sciendi minus perfectus, & principalis; & ideo dum per illam procedit, demonstrativè non agit.

§. VLTIMVS.

Corollaria notata digna.

EX dictis in articuli discursu colligitur primò, quod quamvis signum non sit genus metaphysicum ad terminum, sed tantum physicum genus, hæc tamen propositio: *Terminus est signum* vera est, quia subiectum illius est terminus concretus, & supponit pro abstracto, quod est vox, pro qua etiam supponit signum, quod similiter pro abstracto supponit, cum signum terminus concretus sit, proindeque prædicatum, & subiectum in propositione prædicta supponunt pro eodem, quod sufficit ut propositio vera sit.

Sed instabis primò: sicut terminus est rotum artificiale ex voce, & ex secunda intentione; ita cathedra est rotum artificiale ex ligno, & ex forma artificiali, & sicut cathedra fit ex ligno, ita terminus fit ex voce; sed iuxta doctrinam Aristotelis 7. metaph. text. 25. hæc propositio: *Cathedra est lignum*, falsa est: Ergò etiam

etiam altera: *Terminus est signum*, falsa erit.

Respondetur facile Aristotelem solum negare prædictam propositionem esse veram, apud vulgariter intelligentes, quia per lignum vulgariter intelligimus lignum impositum, & nullatenus elaboratum, aut cum privatione formæ artificialis, in quo sensu prædicta propositio falsa est, quia subiectum ut privatum forma, falso prædicatur de concreto accidentali, sicut hæc propositio falsa est: *Sanus est infirmus*, quia prædicatum importat formaliter privationem sanitatis: Non tamen negat Aristoteles prædictam propositionem esse veram absolute.

Solutionem hanc esse doctrinam Aristotelis, ex eodem colligimus, quia textu antecedenti concedit esse veram absolute aliam similem propositionem, videlicet: *Cirulus est es*, & 1. de generat. cap. 3, asserit subiectum bene prædicari de arte factio, aut ente artificiali; unde Theologi unanimiter concedunt ut veram propositionem consequentem: *Baptismus est ablutio*, ex quibus constat Aristotelem non negare prædictam propositionem esse veram absolute, sed solum eam esse veram apud intelligentes vulgariter.

Secundò arguitur in propositione prædicta extrema non supponitur pro eodem: ergò vera non est. Prob. antec. Primò, præ-

dicatum tantum supponit pro voce, quia sola vox est significationis subiectum; sed subiectum non pro sola voce supponit, sed pro voce ut significativa, siquidem vox ut significativa est subiectum secundæ intentionis termini: Ergò in propositione prædicta extrema non supponit pro eodem.

Secundò prob. antec. in his propositionibus: *Album est albedo*, *homo est humanitas*, extrema non supponunt pro eodem: ergò idem de propositione nostra dicendum, pater consequ. nam id eorum primum est verum, quia subiectum importat aliquid, quod non dicit prædicatum; sed etiam in hac: *Terminus est signum*, dicit subiectum aliquid, quod non dicit prædicatum: Ergò extrema in hac non supponunt pro eodem.

Resp. ad argument. neg. ant. & ad primam probat. dist. min. sola tam in recto, quam in obliquo, conced. min. sola in recto, neg. minor. & consequent. Quia licet subiectum pro voce significativa supponat, significatione ingrediente in obliquo, & materialiter ad supponendum, in recto tamen pro sola voce supponit, sicut ipsum prædicatum, & obliquum importatum de materiali ad supponendum se habet, quod utique satis est, ut extrema supponat pro eodem, & propositio vera sit.

Ad secundam probat. antecedentis, negat. consequ. & ad pro-

probat. dist. mai. aliquid in supponendo, conc. mai. in significando, neg. mai. & dist. min. aliquid in significando, conc. min. in supponendo, neg. min. & consequ. Quia licet terminus significet secundam intentionem rationis, solum tamen pro voce supponit, & ita nihil dicit in supponendo, quod non dicat prædicatum: in propositionibus verò relatis, *album*, & *homo*, important in supponendo suppositum, quod tamen *albedo*, & *humanitas* non important, & ideò prædictæ propositiones non supponunt pro eodem.

Tertio arguitur: ut aliqua propositio vera sit, debet prædicatum continere quidquid in subiecto reperitur; sed in hac: *Terminus est signum*, non continet prædicatum, quidquid reperitur in termino, siquidem signum non continet secundam intentionem termini constitutivam: ergò prædicta propositio vera non est.

Confirmat. Pars non potest verè prædicari de toto; sed signum est termini pars, eo quod terminus componitur ex voce significativa, & secunda intentione partis: Ergò signum non verè de termino prædicatur.

Resp. ad argument. Quod ut propositio vera sit, non requiritur prædicatum in actu, & explicitè continere quidquid in subiecto reperitur, sed satis est quod implicitè, & in potentia contineat quidquid est in subiecto, &

signum implicitè, & in potentia continet secundam intentionem partis, & illam habere potest, quamvis illam actu non habeat, & ideò signum verè de termino prædicatur.

Dices: Subiectum concreti artificialis, non continet in potentia formam artificialem: ergò signum continere non debet secundam intentionem partis, cum qua totum artificiale componit. Prob. antec. In concreto artificiali physico, subiectum est naturale; sed forma artificialis non continetur in ente naturali; aliàs natura posset entia artificialia conficere, & artes essent superflue: Ergò subiectum concreti artificialis formam non continet in potentia.

Sed facile respond. ens naturale non continere in potentia formam artificialem, ut facile artificiosè introducendam, in genere causæ efficientis, aliàs artes essent superflue; continere tamen formam artificialem in genere causæ materialis, in qua recipitur, & ex qua educitur forma, vel cui per rationem applicatur; quod satis est, ut ens naturale de ente artificiali prædicetur, cum pro eodē materiali supponat utrumque.

Ad confirm. argument. dist. mai. pars concreti substantialis, conc. mai. concreti accidentalis, neg. mai. & concessa min. neg. consequ. Quia pars concreti sub-

tantialis non supponit pro eo, pro quo supponit totum, sed solum pro se ipsa supponit, & ita *homo est humanitas*, *homo est materia*, vel *forma*, sunt propositiones falsæ, quia homo supponit pro habente, pro quo partes non supponunt; verum in concreto accidentali, qualis est terminus, pars materialis supponit pro eodem, pro quo supponit concretum, & ita dispar est ratio.

Secundò ex dictis colligitur, etiam esse veram alteram propositionem: *Terminus est vox*, quia in ipsa subiectum supponit pro voce, pro qua etiam prædicatum supponit, & ita prædicatum, & subiectum supponunt pro eodem.

Contra doctrinam istam poterant opponi ea ferè omnia, quæ contra doctrinam præcedentem opposita sunt, & dilata. Ultra tamen contra præsentem arguitur: quia vox est terminus abstractus; ergo non potest vere de termino prædicari, nam hic est terminus concretus, & abstractum de concreto in prædictis verè prædicari non potest, & ant. prob. *Vocale est concretum*; sed non alterius, quàm vocis: Ergò vox erit terminus abstractus.

Confirmat. Vox significat vocem cum negatione secundæ intentionis partis: ergò non potest verè prædicari de termino, quia prædicatum, quod significat cum carentia formæ subiecti, non potest vere prædicari de subiecto,

vt per se constat in hac: *Sanus est infirmus*. Antec. verò prob. Quod significat vnum, & non alterum, significat ipsum cum negatione alterius; sed vox significat vocem, non verò secundam intentionem partis: Ergò significat vocem cum negatione intentionis prædictæ.

Resp. ad argum. neg. antec. Quia sicut hoc nomen *humanitas* habet pro concreto tam *homo*, quàm *humanum*, vel *humanatum*, ita vocalitas habet pro concreto vocem, & vocale. Et ideò *vocale est concretum vocalitatis*, non tamen vocis, quæ etiam supponit pro habente vocalitatem, sicut *vocale* supponit.

Ad confirmationem verò argum. dist. ant. Cum negatione præcisionis, conc. antec. exclusionis, neg. ant. & conseq. & ad probat. simili modo maiorem distinguimus, quia vox solum significat vocem præscindendo à secunda intentione, quam non significat; non tamen illam excludendo, & propterea solum præcisivè dicit negationem intentionis, sed formaliter obiectivè non excludit intentionem, & ideo propositio vera est, vt in hac: *Sanus est homo*, verè dicitur prædicatum de subiecto, quia prædicatum solum præcisivè dicit negationem sanitatis, sed formaliter obiectivè negationem non importat; in alia verò: *Sanus est infirmus* oppositum reperitur.

Tertiò infertur ex dictis falsam

fam esse sequentem propositionem: *Terminus est ens rationis*, pro cuius intelligentia præmittendum est terminum esse concretum accidentale, nam terminus componitur ex voce significativa, & secunda intentione partis, quæ accidentaliter coniunguntur, & ita in ipso termino subiectum est distinctum à forma principaliter significata, eo quod vox significativa à secunda intentione partis distinguitur, proindeque dum terminus pro voce significativa supponit, etiam supponere debet pro subiecto distincto à forma significata.

Præmittendum est secundò, quod si ens rationis connotaret subiectum distinctum ab entitate rationis, & pro tali subiecto supponeret, prædicta propositio vera esset, sicut hæc, etiam vera est: *Terminus est entitativum rationis*, quia prædicatum supponit pro subiecto distincto à forma principaliter significata per terminum. Et in hoc præsens difficultas consistit, nam si ens rationis supponit pro subiecto à forma significata distincto, erit vera propositio, si tamen pro subiecto distincto non supponat, propositio non erit vera, & hoc secundum asserimus.

Assumptum probamus, quia eodem modo supponit ens rationis, & ille terminus accidens, vt per se manifestum est; sed accidens non supponit pro subiecto distincto à forma significata per terminum. Ergò idem dicendum

de ente rationis, & consequenter assumpta propositio vera non est. Prob. min. Si accidens supponeret pro subiecto distincto à forma significata per terminum, supponeret pro substantia in propositionibus, quæ sequuntur, videlicet: *Substantia est accidens*, & alia: *Accidens est substantia*, proindeque essent veræ prædictæ propositiones; sed hoc non est admittendum. Ergò accidens non supponit pro subiecto distincto à forma significata per terminum.

Confirm. & vrgetur: si ens rationis supponeret pro subiecto distincto à forma significata per terminum, esset vera propositio, quæ sequitur: *Ens rationis est ens reale*, quia subtractum distinctum à forma, pro quo quidem supponeret ens rationis, esset ipsum ens reale; sed assignata propositio falsa est. Ergò idem quod prius.

Constat ergo in propositione nostra: *Terminus est ens rationis*, terminum supponere pro voce, & prædicatum solum pro ente rationis, sed ens rationis à voce diversum est. Ergò extrema prædictæ propositionis, non supponunt pro eodem, & ita non erit vera propositio, de qua in præsentibus disputamus.

Dices: Quod in hac propositione: *Christus est homo*, extrema non supponunt pro eodem, quia Christus supponit pro habente, *homo* verò pro habente non supponit, eo quod Deus non assumpsit per-

personam humanam, pro qua homo supponere possit; & tamen propositio praedicta vera est. Ergo idem de nostra propositione dicendum.

Sed contra: quia quamvis Deus non assumpserit personam humanam, & ita homo non possit supponere pro ea, supponit tamen homo pro supposito Divino habente naturam humanam; sed pro eodem supponit Christus. Ergo pro eodem supponunt.

Contra doctrinam praefatam arguitur primo: quia verae sunt propositiones sequentes: *Sacramentum est ens rationis, coecum est ens rationis, signum est ens rationis, terminus est relativum rationis, & genus est ens rationis.* Ergo etiam haec propositio: *Terminus est ens rationis, vera erit.*

Confirm. haec est vera: *Terminus est accidens.* Ergo etiam altera: *Terminus est ens rationis,* quia in utraque propositione convenit praedicatum termino ratione formae, proindeque utraque eadem ratione vera erit. Et antec. prob. haec est falsa: *Terminus est substantia.* Ergo altera: *Terminus est accidens,* erit vera, nam terminus unum, vel alterum debet esse, eo quod divisio entis in substantiam, & accidens adaequata est.

Secundo confirm. & vrgetur: *Terminus concretus supponit necessario pro subiecto habente formam, nam terminus concretus non significat formam*

vi separatam à subiecto, sed potius vi subsistentem in illo; sed ens rationis est terminus concretus, & subiectum habens formam rationis est ipsa vox, pro qua terminus supponit. Ergo praedicatum, & subiectum in propositione praedicta, supponunt pro eodem, consequenterque vera erit assignata propositio.

Respond. ad argument. supra praedictas propositiones esse falsas absolute, & non posse nisi cum addito concedi, ut si dicas: *Coecum pro formali, Sacramentum pro formali, signum ad placitum pro formali* sunt entia rationis, in quo sensu etiam altera vera est, terminus pro formali est ens rationis, nos tamen non negamus esse veram in sensu praedicto, sed tantum asserimus pro lata absolute, & sine addito esse falsam.

De alijs vero propositionibus dispar est ratio, quia relativum rationis supponit pro materiali, & similiter entitativum rationis, & etiam hic terminus genus, & cum materiale relationis, & entitatis rationis, & secundae intentionis generis aliquando sit aliquid rationis; inde fit in praedictis propositionibus praedicatum, & subiectum supponere pro eodem aliquando, & ita veras esse propositiones indefinitas; videlicet genus est ens rationis, entitativum, & relativum rationis sunt entia rationis. Et similiter alias etiam esse veras: *terminus est re-*

la-

lativum rationis, & entitativum rationis, quia materiale entitativum, & relativum rationis, aliquando est vox realis, pro qua terminus supponit.

Ad confirm. argument. respondet. negand. conseq. Quia ens rationis solum convenit termino ratione formae, sed esse accidens convenit etiam termino ratione vocis, pro qua terminus supponit, nam quamvis plura instrumenta, quae ad vocem formandam concurrunt sint substantia, vox tamen ipsa pro lata est accidens, cum sit actio repercussiva aeris respirati, & ita dum terminus supponit pro voce, etiam pro accidente supponit.

Dices: Ita se habet accidens ad terminum, sicut se habet ad album; sed albo solum convenit ratione formae, nam album pro materiali est substantia, & ita haec est bona consequentia: *Album est substantia, Petrus est albus.* Ergo *Petrus est substantia.* Ergo etiam termino ratione solius formae convenire debet.

Sed respond. neg. mai. Quia subiectum pro quo album supponit est corpus, aut substantia, & ita accidens, & album, non supponunt pro eodem; sed subiectum pro quo terminus supponit, est accidens, & ita accidens aliter comparatur ad terminum, quam comparatur ad album.

Ad secundam confirmat. principalem: dist. mai. pro aliquo

subiecto: conced. mai. pro omni subiecto: neg. mai. si sit concretum essentiale, & dist. min. subiectum aliquod: conc. min. omne subiectum: neg. min. & conseq. Quia inter concreta aliud est concretum essentiale, in quo forma distinguitur ab aliquo subiecto formam habente, sed non distinguitur à subiecto pro quo concretum supponit, & huius conditionis est ens rationis, quod quidem est concretum essentiale, & ita non supponit pro subiecto à forma distincto, sed supponit pro ipso ente rationis, quod est primum, & in distinctum subiectum ab entitate rationis, pro qua terminus non supponit: aliud autem est concretum denominativum, in quo primum subiectum est à forma distinctum, & ita de tali concreto verum est supponere pro subiecto distincto, & huius generis est terminus, & ita supponit pro subiecto diverso à forma rationis.

Sed instabis primo: Terminus verè supponit pro habente entitatem rationis; sed habens entitatem rationis, est ens rationis. Ergo terminus, & ens rationis pro eodem supponunt. Prob. min. Habens entitatem realem est ens reale. Ergo habens entitatem rationis est ens rationis.

Secundo instabis: Terminus verè supponit pro ente rationis. Ergo ens rationis verè de termino praedicatur. Prob. ant. Terminus sup-

sup-

supponit pro voce ut significativa; sed vox ut significativa est aliquid rationis, cum signum ad platicum constituatur per formam rationis. Ergò terminus verè supponit pro ente rationis.

Ad primam replicam negatur min. Quia habens entitatem rationis est etiam vox, quæ tamen non est ens rationis, & ad probationem min. neg. conseq. Quia solum ens reale potest habere entitatem realem, & ideò habens entitatem realem est ens reale, sed habere entitatem rationis convenit etiam enti reali; & ita non valet: habet entitatem rationis. Ergò est ens rationis.

Ad secundam replicam: neg. ant. & ad probationem: dist. mai. ut significativa ly ut dicente formam subiecti suppositionis: conc. mai. dicente suppositionis subiectum: neg. mai. & dist. min. pro formali: conc. min. pro materiali: neg. min. & conseq. Quia quamvis vox, ut significativa sit aliquid rationis pro formali, non tamen pro materiali, & terminus non supponit pro formali vocis significantiæ, sed tantum pro materiali illius, ut significante, ly ut dicente conditionem substracti, sed non subiectum pro quo terminus, videlicet vox significativa, supponat.

Secundò arguitur: ens rationis est prædicatum transcendens, nam bene valet: est entitas rationis. Ergò ens rationis. Et etiam;

est ens rationis. Ergò entitas rationis; sicut propter transcendentiam entis realis bene valet: est entitas realis. Ergò ens reale, & est ens reale. Ergò entitas realis; sed forma transcendens verè prædicatur de abstractis, & concretis; sicut propter transcendentiam entis realis, est verum dicere, quod album est ens reale, & albedo est ens reale. Ergò ens rationis verè prædicatur de termino.

Confirm. & vrgetur: Ens rationis prædicatur de termino prædicatione formali. Ergò verè de termino prædicatur, quia terminus pro formali est aliquid rationis. Prob. ant. Primò in hac propositione: terminus est ens rationis, prædicatum appellat supra formale subiecti. Ergò prædicatur de termino prædicatione formali. Prob. antec. Prædicatum secundæ intentionis appellat supra formale subiecti, & propterea hæc est vera: homo est species, quia prædicatum, secundæ intentionis est, & appellat supra formale subiecti, videlicet supra naturam humanã, ut conceptu communi conceptã; sed ens rationis est prædicatum secundæ intentionis. Ergò appellat supra formale subiecti.

Secundò prob. ant. Prædicatum essentialiter superius prædicatur de inferiori prædicatione formali; sed ens rationis est superius ad terminum. Ergò idem quod prius. Prob. min. Ens rationis essentialiter superius est ad

om-

omnia, quæ collocantur in prædicamento relationis rationis; sed terminus in tali prædicamento collocatur. Ergò ens rationis superius est ad terminum ipsum.

Tertiò prob. ant. in propositione sequenti: diffinitum in diffinitione termini est ens rationis, prædicatum dicitur de subiecto prædicatione formali; sed diffinitum in diffinitione termini est terminus. Ergò etiam de termino prædicabitur ens rationis prædicatione formali.

Resp. ad argum. dist. min. forma quæ transcendit tam abstracta, quam concreta pro materiali, & formali: conced. min. Si solum concreta pro formali, non verò pro materiali transcendat: nego minor. & conseq. Quia prædicata quæ generaliter omnia transcendunt pro formali, & materiali, sicut ens, generaliter etiam de omnibus prædicantur; alia tamen prædicata non ita generaliter transcendunt, non ita prædicantur, sed solum de eo, quod transcendunt, eo modo, quo transcendunt: unde ens reale prædicatur de omni ente reali, sed non de ente rationis, quia non transcendit ipsum, & cum ens rationis solum transcendat terminum pro formali, non verò pro materiali, cum materiale termini sit reale, inde fit non posse absolute prædicari de termino, & pro suo materiali, sed tantum de termino pro formali.

Ad confirm. verò, qua vrgetur argum. negantur duo antecedentia prima, & ad probat. Respondere poteramus, ens rationis esse terminum secundæ intentionis, non tamen appellare supra formale subiecti, quia regula intelligenda tantum est de concretis, in quibus subiectum primum à forma distinguitur, quod tamen non contingit in ente rationis. Sed quia falsum est, ens rationis esse terminum secundæ intentionis, propterea.

Ad probat. negatur minor. Quia sicut specieitas est terminus primæ, & non secundæ intentionis, eo quod significat ipsam secundam intentionem secundum suam naturam, & per modum specialis quidditatis, ita idem, & propter eandem rationem, de ente rationis dicendum est. Unde non appellat supra formale subiecti, nec vera est propositio.

Dices: Ens rationis non significat rem secundum illud, quod habet in re, sed secundum illud, quod habet per intellectum, cum ens rationis per intellectum fiat. Ergò non est terminus primæ, sed secundæ intentionis est.

Respond. disting. antec. in re realiter: conced. antec. in re ut primò genita per rationem: nego antec. & conseq. Quia ad terminum primæ intentionis, non requiritur significare aliquid secundum ea, quæ realiter habet in re, sed satis est significare rem secundam

duna

dum ea, quæ habet ex vi primæ cognitionis generantis, & producentis formam rationis, ad terminum verò secundæ intentionis requiritur significare rem per ordinem ad intellectum accidentaliter superaddentem, id est non vt primò concipientem, sed vt secundo attingentem obiectum secundum aliquid accidentale rebus intra ipsum intellectum, & sine quo poterant esse primò ab intellectu confictæ, quod non habet ens rationis, sed tantum habet esse per ordinem ad intellectum substantialiter generantem.

Ratio autem doctrinæ traditæ ea est, quia sub termino secundæ intentionis descendere, non licet, & ita non valet: homo est species. Ergò hic homo est species, vel ille est species, benè tamen valet: terminus est ens rationis. Ergò hic terminus est ens rationis. Et similiter, ens rationis est fictum. Ergò hoc ens rationis est fictum, consequenterque ens rationis terminus secundæ intentionis non erit.

Ad secundam probat. disting. minor. ad terminum pro formali: conced. minor. ad terminum absolute: nego minor. & conseq. Quia prædicatum superius absolute ad omnia, quæ in prædicamento relationis rationis collocantur, est solum relativum rationis, quod est idem in supponendo cum illis, & ens rationis tantum est superius ad ea pro formali, &

ita tantum de termino pro formali prædicatur.

Dices: Terminus absolute collocatur in prædicamento ratione formæ; sed ens rationis est superius ad terminum ratione formæ. Ergò superius est ad terminum absolute.

Sed negatur consequentia, quia potius infertur oppositum, nam si terminus ponitur absolute ratione formæ, vt absolute in prædicamento ponatur, satis est quod ens rationis sit superius ad terminum pro formali; sicut Christus ponitur in prædicamento substantiæ creatæ absolute, & tamen substantia creata solum dicitur de Christo ratione formæ, aut humanæ naturæ, non tamen ratione suppositi quod in creatum, & Divinum est.

Poterat etiam alijs terminis explicari, dicendo, quod poni in prædicamento est prædicatum appellativum, quod supra formale appellat, & ita quod ratione formæ ponitur in prædicamento, absolute dicitur in prædicamento poni, sed in hac: terminus est ens rationis, prædicatum non appellat, vt vidimus, & ita quamvis prædicetur de termino pro formali, non tamen absolute de termino prædicatur.


Ad tertiam probat. ant. aliqui Thomistæ respondent propositionem sequentem, videlicet: diffinitum in diffinitione termini est terminus, esse veram propositionem.

tionem, quia diffinitum supponit pro secunda intentione in concreto, & terminus supponit pro voce, vt denominata à secunda intentione, quod idem est, atque supponere pro secunda intentione in concreto, & ita subiectum, & prædicatum pro eodem supponunt.

Eadem tamen facilitate qua ipsi loquuntur, falsitas solutionis ostenditur, quia diffinitum supponit pro secunda intentione in concreto, & vt denominante naturam, & terminus supponit pro natura denominata, & importante intentionem in obliquo; sed secunda intentio, vt denominans, & ipsa natura vt denominata realiter distinguuntur. Ergò extrema propositionis prædictæ non supponunt pro eodem, & consequenter propositio vera non est.

Secundò data solutio rejicitur, quia idem est supponere pro intentione denominante naturam, & pro natura denominata, vt Authores isti concedunt; sed in hac propositione: terminus est ens rationis, prædicatum supponit pro intentione denominante, & subiectum pro natura denominata. Ergò supponunt pro eodem, proindeque vera erit hæc propositio: terminus est ens rationis, aut solutio data vera non est. Quapropter omnia solutionis prædicta.

Respond. ad tertiam prob. conc. maior. Quia diffinitum appellat supra id, quod per se, & ratione sui diffinitur, & consideratur ab arte tradente diffinitionem, quod quidem est secunda intentio rationis; sed dist. minorem terminus in significando: conc. min. est terminus in supponendo: nego min. & conseq. Quia in hac propositione: diffinitum in diffinitione termini est terminus, prædicatum, & subiectum non supponunt pro eodem, sed diffinitum supponit pro formali quod appellat, & terminus supponit pro materiali; quapropter propositio prædicta solum est vera, si de diffinito, & termino in significando loquatur, quia tam terminus, quam diffinitum principaliter significant secundam intentionem in concreto, & dum talem propositionem absolute concedimus, in hoc sensu intelligimus eam, non tamen in rigore, & absolute; & propter eandem rationem non est bona conseq. Diffinitum in diffinitione termini est secunda intentio in concreto; sed diffinitum in diffinitione termini est terminus. Ergò terminus est secunda intentio in concreto. Quia prædicatum, & subiectum non supponunt pro eodem in conclusione prædicta.



QVÆST. SECVNDÆ.

DE SIGNIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

UTRVM DIFFINITIO SIGNI SIT recte tradita?

§. PRIMVS.

Explicatur diffinitio.

IN præsentî difficultate, quæ signorum intelligentiam involuit, & difficilem doctrinam includit, viam parat, & latibula abscondita manifestat, vt in sequentibus faciliori passu ambulemus, & sine impediante procedamus. Vnum oportet supponere, & alterum disputare. Supponimus quidem signum esse ens per se, & veram habere diffinitionem, quia licet ex voce, & significatione componatur, non tamen vtramque ex æquo, &

sine vllò ordine importat, sed potius ordine quodam, vocem, videlicet, vt materiam, & significationem, vt formam.

Diffinitionem autem communiter Dialectici tradunt asserentes: Signum esse, quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se representat, & huius bonitatem disquirimus, quæ non melius cognoscitur, quam particulas explicando. Representare ergò ponitur loco generis, quia in hoc signa, & non signa conveniunt, siquidem quodlibet obie-

obiectum representat se ipsum, & tamen sui signum non est, aliud verò loco differentie ponitur, eo quod signum representare, vel manifestare debet aliud in essentia distinctum. Potentia autem cognoscitiva, indicat intellectum, cui manifestatio fit, quamquæ signum ducit in alterius cognitionem.

Respondebis primò, quod representare pertinet formaliter ad prædicamentum actionis, & cum signum non pertineat ad prædicamentum actionis, inde fit representare non esse genus in diffinitione signi, quia signum, & ipsius genus ad idem prædicamentum pertinere debent.

Respondebis secundo, in diffinitione cause efficientis haberi similem particulam aliud, & tamen ibi non indicat diversitatem in essentia, cum Petrus sit effectus alterius hominis, à quo non distinguitur in essentia.

Respondebis tertio, relativum omne debere diffiniri per exercitium intrinsecum relationis, & ita cum signum sit relativum ad signatum, debet quidem diffiniri per referri, & non per representare.

Sed contra primam solutionem non facit, quod representare in præsentî, idem est, quod obiectum se ipsum, vel alterum præsentare potentie, vt ipsū cognoscatur; sed hoc est de genere obiecti, non autem de prædicamento actionis: Ergò solutio tradita nulla est.

Mag. Froylant.

Contra secundam verò obiicit, quod diffinitiones explicandæ sunt iuxta communem Doctorum intelligentiam; sed iuxta communem intelligentiam, ly aliud in diffinitione signi diversitatem indicat in essentia, non tamen in diffinitione cause efficientis, vbi solam dependentiam indicat: Ergò aliter hic, & ibi prædicta particula explicanda est.

Et si rationem requiras, respondemus eam esse, quod signum specificatur à signato, & ad ipsum ordinatur, vt ad finem, & mensuram; sed non potest ad ipsum, vt ad finem, & mensuram ordinari sine diversitate specifica: Ergò ly aliud in diffinitione signi, de diversitate specifica explicandum est.

Contra tertiam solutionem facit etiam, quod quamvis relativum, quando pro formali diffinitur, per exercitium intrinsecum relationis diffiniri debeat, non tamen ita fieri debet, quando relativum diffinitur pro fundamento, vel per ipsum explicatur; sed in præsentî explicatur signum per fundamentum relationis: Ergò.

Vnum tamen pro intelligentia primæ particulæ obiter notandum est, quod videlicet facere cognoscere, est superius ad representare, cum facere cognoscere, conveniat ipsi potentie, & auxilio moventi ad cognitionem, & habitibus, quibus potentia cog-

H

nos.

noscit, quæ tamen pro ut sic, non repræsentant. Rursus etiam repræsentare superius est ad significare formaliter; siquidem repræsentare convenit omni obiecto, tam rationem signi habenti, quam non habenti. Ex quibus quod conducit ad intelligentiam diffinitionis prædictæ facili negotio percipitur.

§. II.

Argumentis contra diffinitionem occurritur.

CONTRA datam diffinitionem arguitur primò: Potest aliquid esse signum, quod tamen non significat, aut nihil repræsentat; ergò nulla est tradita diffinitio. Prob. ant. primò. *Ly nihil* est signum, & *ly non significans*; & tamen nihil significant: ergò potest aliquid esse signum, quod tamen non significat, aut nihil repræsentat. Minor patet, quia *nihil*, nihil etiam significat, & constat etiam de *ly non significans*, quia *non significans*, est non significans: ergò non significat. Arguitur namq̄ ab affirmativa ad negativam variato predicato penes finitum, & infinitum.

Secundò prob. ant. Voces sunt signa conceptuum; & tamen non repræsentant conceptus: ergò idem quod prius. Prob. min. Si voces repræsentarent conceptus, sensus huius propositionis:

Homo est animal; esset idem, quod conceptus hominis, est conceptus animalis; sed hoc ita non est, aliàs hæc propositio: *Homo est animal*, esset falsa; sicut altera falsa est: Ergò vera est minor.

Tertiò prob. ant. Iste terminus *omnis*, est verè signum; & tamen non significat aliquid, sed aequaliter, cum sit terminus synchegorematicus: Ergò

Quartò prob. ant. *Imperator* est verè signum illius; & tamen non habenti notitiam Imperatoris nihil repræsentat; siquidem non habentem notitiam Imperatoris, non ducit in cognitionem illius: Ergò idem.

Quintò *ly non intelligibile* est verè signum; & tamen non significat: ergò idem. Prob. min. Non intelligibile non est significabile; nam quod significatur, intelligitur, eo quod sicut concipimus, significamus: ergò non intelligibile, non significat.

Sextò prob. ant. Vox contenta in libro clauso est verè signum; & tamen non repræsentat, quia nulli potentia cognoscitiva fit manifesta, & dum non manifestatur, non potest repræsentare potentia: ergò idem quod prius.

Respondetur ad argumentum, neg. ant. & ad primam probat. dist. min. Pro ea parte, quæ de nihilo procedit. Nihil ex parte rei, conced. min. ex parte modi, neg. minor, & consequentiam, quia

quia nihil significat, quod nihil est ex parte rei significata, sed hoc ipsum significat tanquam si esset aliquid, & ideo, ex modo significandi significat, & aliquid repræsentat.

Pro alia verò parte, quæ de *ly non significans* procedit, neg. min. absolutè, & ad probat. dist. ant. Non significans est non significans, sumpto materialiter predicato, conc. ant. sumpto formaliter, neg. ant. & consequ. Nec argumentum ab affirmativa ad negativam valet, quando suppositio variatur, ut in præsentis contingit, eo quod in antecedenti non significans sumitur materialiter, & pro voce, in quo sensu non significans est non significans, sed in consequenti significativè, & formaliter sumitur. Rursus etiã distribuitur propter apposita negatione, & idem est, ac si dicas, non signum, est non signum: ergò non est signum, quæ consequentia mala est, quia non signum verè significat, & est verè signum; sicut non terminus est non terminus, & tamen non terminus est verè terminus, & verè significat, quod rationem termini non habet.

Ad secundam probat. antec. principalis, neg. minor. & ad probat. negatur mai. Quia ut sensus illius propositionis: *Homo est animal*, esset idem, quod sensus alterius, conceptus hominis est conceptus animalis, non sufficit repræsentare conceptus, sed require-

batur voces pro conceptu supponere: Undè quia voces supponunt pro rebus, sensus huius propositionis: *Homo est animal*, idem est quod res, quæ est homo, est res, quæ est animal.

Dices: Si voces repræsentarent conceptus, propositio in vocibus constituta esset falsa deficiente conceptu; sicut est falsa deficiente conceptu; sed hoc ita non est, nam si quis voce proferret hominem esse animal, esset propositio vera, quamvis conceptus deficeret: Ergò voces non repræsentant conceptus.

Respondetur: propositionem esse falsam deficientibus rebus, quia voces pro rebus supponunt; non tamen esse falsam deficiente conceptu, quia non supponunt pro illo, quamvis si conceptus deficiat, vox non erit humana, nec erit signum conceptus, quia solum voces humanæ impositæ sunt ad conceptum repræsentandum.

Et si dicas: quod voces à dormiente, vel à Pica prolata, excitant mentem nostram, ut in rerum notitiam deveniamus: Ergò verè ad significandum impositæ sunt.

Poterat responderi disting. consequens: Rem, & non conceptum, omitto consequens, conceptum, & rem, neg. consequ. Poteramus namque asserere, prædictas voces esse impositas ad significan-

ficandam rem, non tamen imponi ad significandum conceptum, nisi solas voces humanas.

Verius tamen respondemus: non esse impositas voces praedictas etiam ad rem significandam, quia voces solum imponuntur ad significandas res, medijs conceptibus rerum; excitare tamen voces praedictas mentem nostram, ut in notitiam rerum deveniamus propter convenientiam, quam habent in litteris, cum vocibus, quae ad significandum imponuntur.

Ad tert. prob. ant. principalis neg. min. Quia significare aliquam rem, revera est aliquid significare; dicitur tamen terminum Synkategorematicum significare aliquam rem, quatenus significat aliquid, quod seorsim ab alio non potest propositionem componere, nec *ly aliquid*, sumitur cum tanta proprietate; siquidem terminus aequivocus significans plura, verè significat aliquid, cum tamen in rigore grammaticali ea plura non sint aliquid, sed aliqua, sed utrumque ambit *ly aliquid* in presenti.

Ad quartam prob. dist. min. defectu potentiae, conced. minor. defectu sui, nego min. & conseq. Quia imago Imperatoris relationem transcendentalem importat ad ipsum Imperatorem, & per illam constituitur in ratione signi formaliter, & dum potentia talem relationem non per-

cipit, tribuitur potentiae non cognoscenti, defectus; nam imago quantum in se est, habet omnia requisita ad Prototypum representandum, quod sufficit, ut verè sit naturale signum, quamvis exercitium representandi deficiat; eo quod representare in definitione signi, de representatione in actu primò, intelligitur, ut ad signum etiam naturale extendatur.

Ad quintam prob. dist. min. Non significat aliquid ex parte rei, conc. min. ex parte modi, neg. min. & conseq. Quia non intelligibile, significat quod non est intelligibile ex parte rei significatae, sed hoc ipsum significat tanquam intelligibile ex parte modi; sicut de nihilo dictum est.

Sed instabis: Non intelligibile tam ex parte rei, quam ex parte modi est verè signum, quia per tales voces nostrum conceptum exprimimus; & tamen non intelligibile tam ex parte rei, quam ex parte modi nihil significat: ergo idem quod antea. Prob. min. Si aliquid significaret, maxime illud, quod nec ex parte rei, nec ex parte modi intelligibile est; sed quod nec ex parte rei, nec ex parte modi intelligibile est, nullo modo est significabile adhuc ex parte modi, alias etiam ex parte modi esset intelligibile: Ergo non intelligibile tam ex parte rei, quam ex parte modi, nihil significat.

Res.

Respond. neg. minor. & ad probat. dist. min. Nec ex parte modi sumpto modo exercitè, conc. min. sumpto modo obiectivè, & signatè, neg. min. Quia quod etiam ex parte modi, sumpto modo exercitè non est intelligibile, nullo etiam modo est significabile; quod tamen non est intelligibile ex parte modi, sumpto modo signatè, & obiectivè, adhuc est significabile, quia ipsum non esse intelligibile ex parte modi consideramus per modum obiecti, & ad modum alicuius concipimus, & ita significamus. Si tamen argumentum fiat de non intelligibili ex parte modi tam signatè, & obiectivè, quam exercitè, & omnimodo, *ly non intelligibile*, non erit significabile, sed etiam non erit signum.

Sed instabis: Iuxta solutionem datam, *ly non intelligibile* ex parte modi exercitè, & omnimodo, nihil significat; & tamen est verè signum: ergo idem quod antea. Prob. min. Verè componit sequentem propositionem: *Non intelligibile ex parte modi exercitè, & omnimodo, nullo modo est intelligibile*: Ergo est verè signum, cum sit verè terminus, dum praedictam propositionem componit.

Respond. neg. min. ad probat. dist. ant. Verè componit sub exercitio cognoscibilis, & omnialio obiectivè se tenente, & ex parte rationis quae, conc. ant. tali exercitio secluso, neg. ant. Quia

Mag. Froylan.

dum componit propositionem praedictam, *ly non intelligibile* exercitè ex parte modi, totum se habet ex parte obiecti, & ex parte rationis, quae, vel signatè, & propositionem praedictam solum componit, quatenus in exercitio cognoscitur.

Et si dicas: In praedicta propositione verè praedictum negatur de subiecto: ergo *ly non intelligibile*, non componit quatenus in exercitio cognoscitur, alias praedictum, non verè negaretur de subiecto, quia non intelligibile, ut in exercitio cognoscitur, aliquomodo est intelligibile, & non est verum de illo dicere, nullo modo est intelligibile.

Respond. dist. ant. de subiecto signatè sumpto, & ex parte rationis quae, conc. ant. De illo, ut exercitè terminante cognitionem, neg. ant. vel suppositum illius, quia praedictum non negatur de subiecto, ut exercitè terminante cognitionem, cum subiectum pro ut sic, sit aliquomodo cognoscibile, sed negatur praedictum de subiecto ex parte rationis quae, & ratio quae componit, est illud, quod nullo modo cognoscibile est, quamvis ut componat exercitè cognoscatur. Exemplum adest in hac propositione: *Homo est animal. est propositio*, in qua praedictum verè de subiecto affirmatur, quia ratio quae componit, est propositio, quavis ut exercitè componat, induat intentionem partis.

H 3

Ad

Ad sextam, & ultimam probat, principalis antecedentis respondent aliqui, dicitur minor. & illam concedunt de representatione actuali, negant verò de representatione in aptitudine, quam dicunt sufficere, ut voci praedictae, signi competat diffinitio, quia verba in diffinitione posita non dicunt actum, sed aptitudinem.

Si illis obijcias: Quod vox possit dici de alio, non sufficit, ut illi competat diffinitio praedicta: ergò quod possit representare non sufficit, ut illi competat diffinitio signi.

Respondent. negando consequentem. Quia essentia signi non consistit in usu, & in exercitio, qualiter consistit essentia praedicti, vel exercitio enuntiati de alio, quod idem est; & ideo verba in diffinitione praedicti non dicunt aptitudinem solam, sicut in diffinitione signi.

Et si iterum obijcias, Augustinum docere signum, ad differentiam aliarum rerum, esse illud, cuius usus est in significando: Ergò in usu, & exercitio consistit.

Respondent: Doctorem Sanctum non docere essentiam signi consistere in significatione actuali, sed usum signi esse significationem, ex quo tantum sequitur, sine significatione non dari usum signi, non tamen eius essentiam non dari, nec diffinitionem convenire, quae omnia sufficienter adaptantur, & pro parte vera sunt.

Sed non propter ea praedictam solutionem dederimus, sed propter alia, quae statim dicemus.

Fatemur namque de essentia signi abstrahentis, non esse representationem actualem; siquidem signum naturale invenitur adaequatè constitutum, antequam à potentia cognoscatur, & actualiter representet; affirmare tamen non possumus, representare actualiter non esse de essentia signi ad placitum, quia tale signum, dum actu non representat, non cognoscitur actu, & dum non cognoscitur actu, deficit respectus rationis, qui solum habet esse obiectivum in intellectu cognoscente, dum autem praedictus respectus non adest, deficit essentia signi ad placitum, quae in tali respectu consistit.

Ex hoc habetur falsam esse sententiam atterentem, voci praedictae in libro clauso convenire diffinitionem signi, quia diffinitio signi ad placitum, solum convenit habentibus essentiam signi; cum diffinitio explicet essentiam; sed vox praedicta in libro clauso non habet essentiam signi consistentem in relatione rationis, quae non potest existere sine cognitione intellectus: Ergò.

Et si respondeas: Relationem rationis praedictae vocis existere, & perseverare moraliter, quamvis intellectus vocem illam non cognoscat, eo quod entia rationis politica, & quae sunt de-

pen-

pendentè à decreto, vel determinatione Reipublicae, sicut ratio signi, Praetoris, & alia moraliter perseverant, usque quo impositio Reipublicae retractetur, quod in voce illa factum non est.

In contra erit praedictam doctrinam esse voluntarium effugium, & idem dici posse de quocunque ente rationis dependente à decreto voluntatis, & libere ab intellectu confecto, quod, doctrina data, negat, cum de omnibus sit eadem ratio: praeterquam quod solum constituitur signum ad placitum per respectum rationis, ut physicè existentem, alias etiam voces praedictae haberent rationem termini in vi primae relationis, etiamsi nullus intellectus de novo relationem partis in vocibus praedictis effunderet, quod nescio an velint Authores solutionis concedere, & ideo verius.

Ad ultimam probat. Resp. neg. mai. propter traditam doctrinam: Unde vox praedicta non actualiter, sed solum fundamentaliter, & in potentia signum est, quia imposita ad significandum, & ea pax relationis rationis, per quam in actu in ratione signi constituitur; quamvis verum sit antequam actu representet, absolute dici signum, & si formam signi actualiter non habeat, eo quod in actibus rationis, cum sint minime entitatis, sufficiat existere fundamentum, ut absolute dicantur

tur existere, quod alibi relinquimus explicatum.

Secundò arguitur: Potest aliquid representare, vel significare aliud à se; & tamen non esse signum: ergò diffinitio convenit alijs à signo. Prob. ant. primò: Species impressa representat aliud à se, suum videlicet obiectum; & tamen illius signum non est in cognitione directa, ut tenet verior sententia: Ergò potest aliquid representare aliud à se, & non esse signum illius.

Secundò prob. ant. sequent. litterae A. E. I. O. V. representant aliud à se; siquidem A. significat universalem affirmativam, & E. universalem negativam, & idem de alijs ut à Dialecticis explicatur; & tamen signa non sunt; non enim sunt signa per modum totius, cum non habeant rationem propositionis, nec signa per modum partis, cum rationem termini non habeant: Ergò idem.

Tertiò prob. ant. iste terminus vox representat aliud à se, videlicet, vocem in communi abstrahentem à voce significante, & voce non significante; & tamen signum non est: ergò idem. Prob. min. Iste terminus vox, pro ut sic, communis est ad Blitiri, & alias voces; sed Blitiri non habet rationem signi: Ergò eam non habet vox illa communis ad omnem vocem.

Quart. prob. ant. Blitiri non est signum conceptus, non enim

H4

est.

est signum ad placitum, eo quod non est imposita ad conceptum representandum: & insuper non est signum naturale, quia in aere formata nullum conceptum naturaliter significat; & tamen predicta vox verè conceptum representat; nam dum eam percipimus ab aliquo pronuntari, cognoscimus proferentem talem vocem, conceptum de illa formare: Ergò idem.

Respondetur ad argumentum, neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. representat per modum principij obiectivi, conc. mai. per modum obiecti cogniti, neg. mai. & concessa minor. negatur conseq. Sub distinctione maioris, quia ad rationem signi necessarium est esse obiectum medium, & ideò ad rationem signi requiritur representare per modum obiecti cogniti, quod quidem species impressa non habet, quæ solum representat per modum principij obiectivi, vel per modum similitudinis emissæ ab obiecto, & receptæ in potentia, vt tali vnione fecunda, obiecti cognitionem parturiat.

Ad secundam probat. resp. litteras prædictas ex usu dialecticorum impositas esse ad significandas propositiones diversæ qualitatis, & esse signa ad placitum earum propositionum, & per modum termini complexi significare illas; esse autem prædictas litteras verè terminos, constat ex

eo, quod verè componunt propositionem, iuxta illud: *Afferit A. negat E.*

Ad tertiam probat. nego min. & ad probat. dist. maior. communis est obiectivè, conced. mai. subiectivè, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia iste terminus vox obiectivè abstrahit à voce significante, & non significante: Vnde obiectum huius vocis abstrahit à voce habente rationem signi, & rationem signi non habente, & consequenter sic accepta, solum est signum permissivè: subiectivè tamen considerata est quædam vox particularis realiter distincta à Blitiri, & omnibus alijs, & provt sic verè significat, & rationem signi habet.

Ad quartam probat. facile respondetur vocem Blitiri non esse signum ad placitum, sed signum naturale conceptus, eo quod vox: est sonus ab animali cum apprehensione prolatus, & per se à conceptu dependet: Vnde sicut fumus ignem, & quilibet effectus suam causam, ita vox Blitiri, conceptum aliquem proferentis, naturaliter representat. Et si quando formetur in aere non representabit conceptum, nec erit signum illius, nisi fortasse propter convenientiam, quam habet in litteris, aut sonu, excitet audientem, vt veniat in notitiam alicuius conceptus, quo prædicta vox solet ab hominibus proferri,

in

in quo eventu erit signum naturale conceptus prædictæ, propter naturalem similitudinem, quam habet cum voce, medio conceptu, prolata.

Sed instabis: Vox Blitiri non est signum rei à conceptu diversæ; & tamen representat alia plura à se à conceptu distincta. Ergò idem quod antea. Prob. min. Blitiri accipitur pro pluribus alijs à se, & à conceptu distinctis, nam in hac propositione: *Blitiri est trisyllabum*, prædicatum, & subiectum pro eodem accipiuntur, & consequenter Blitiri accipitur pro voce *trisyllabum*, quæ est diversa vox, & in hac etiam: *Blitiri est Blitiri*, prædicatum accipitur pro subiecto, & non pro se, quia in se est alia vox à subiecto distincta; & ita propositio esset falsa. Et similiter dum dicitur: *Hoc Blitiri est Blitiri*, prædicatum accipitur pro hoc numero *Blitiri*, quod determinatur per pro nomen subiecti, cum tamen prædicatum non sit eadem numero vox, sed potius alia vox à subiecto distincta. Ergò representat alia plura à se, & à conceptu distincta.

Ad replicam istam respondet quidam Thomista vocem Blitiri representare alia à se, & à conceptu distincta, non quidem ratione subordinationis ad illa, sed solum ratione perfectæ similitudinis, & ideò non esse signum eorum, quia ad rationem signi subordinatio necessaria est, & illam excludit perfectæ similitudo.

Sed quamvis ad rationem signi exclusio perfectæ similitudinis necessaria sit, & in hoc verum asserat data solutio, falsa tamen est pro ea parte, qua affirmat Blitiri representare alia à se, & à conceptu distincta, quia ea representat pro quibus accipitur, sed non accipitur pro alijs à se. Ergò alia à se non representat. Prob. min. In hac propositione: *Blitiri est Blitiri*, vox Blitiri ex parte prædicati posita non accipitur pro alijs à se, & idem in cæteris propositionibus asserendum. Ergò vera est minor. Prob. ant. Si acciperetur pro alijs à se, esset falsa propositio, siquidem prædicatum, & subiectum acciperentur pro rebus diversis, & consequenter non supponerent pro eodem. Ergò vox prædicta non accipitur pro alijs à se, sed solum pro se ipsa accipitur, & supponit. Quomodo autem prædicatum supponat pro se, & similiter subiectum, & tamen pro eodem supponant, quamvis voces distinctæ realiter, ex nostra solutione constabit.

Respondetur ergo, neg. min. & ad probationem neg. ant. Quia licet Blitiri accipitur pro alijs à conceptu distinctis, non tamen accipitur pro alijs distinctis à se, eo quod idem Blitiri representatur per vocem se tenentem ex parte subiecti, & vocem se tenentem ex parte prædicati, nam quamvis voces sint realiter materialiter diversa, Blitiri tamen representa-

tum;

tum: per utramque est idem in esse obiecti, vel utraque vox in esse obiecti est eadem, & dum dicimus: *Bliiri est Bliiri*, non prædicamus vocem de voce materialiter, & in esse rei, sed in esse obiecti tantum, & cum in esse obiecti idem sint, propositio vera est.

Etsi dicas: Ergo quamvis voces realiter diversæ sint, sunt tamen idem in esse obiecti, & propositio vera est, quia non materialiter, & in esse rei, sed formaliter obiectivè prædicantur. Ergo non supponunt materialiter, & pro se, sed pro obiecto: in quo sunt unum. Ergo componunt formaliter.

Respondemus distinguendo secundum consequens, pro obiecto à voce diversio, nego consequentiam, à voce indistincto, nego suppositum consequentis, quod videlicet supponere pro obiecto indistincto à voce, non sit supponere pro se, & hoc in præsentia affirmamus; utramque, scilicet, vocem supponere pro se ipsa ut obiecto, & non pro se ipsa in esse rei, & utramque vocem diversam in esse rei consideratam per modum obiecti, esse idem, & eidem conceptui subordinatam, qui quidem representat utramque tanquam eandem rem obiectivam, & absque vlla obiectiva differentia, cum sola diversitate prolationis ante, vel post ad propositionem faciendam. Quod utique etiam verum est de trisyllabum accepto formaliter, quamvis prædicta vox sig-

nificativè sumpta in ordine ad proprium obiectum, sit verè signum illius.

Tertiò arguitur potest aliquid esse signum sui ipsius. Ergo non oportet signum representare aliud à se. Prob. ant. primo. Contritio, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, est res, & Sacramentum simul, quod idem est ac esse signum, & signatum, nam Sacramentum significat, & res est verè significata. Ergo potest aliquid esse signum sui ipsius.

Secundo prob. antec. Potest aliquid esse species representativa sui, ut constat in substantia Angeli, quæ se ipsam representat, & per modum speciei impressæ ad sui cognitionem concurrat. Ergo potest etiam aliquid esse signum sui ipsius.

Tertiò prob. antec. Sanguis Christi in Altari, est signum Sanguinis, quem Christus fudit in Cruce; & tamen uterque Sanguis est numerice idem. Ergo.

Quartò prob. Potest aliquid esse scientia sui ipsius, quia scientia Dei, est ipse Deus, qui est illius obiectum. Ergo idem de signo.

Quintò prob. Potest aliquid esse medium manifestativum alterius absque vlla distinctione reali, probamus namque verum, & unum per eus, à quo veritas, & unitas non distinguuntur realiter. Ergo, & signum.

Sextò prob. hæc propositio: *Omnis propositio est particularis*, falsa est,

est, si se ipsam habeat pro obiecto, ut communiter dicitur, & vox terminus, significat omnes terminos, & consequenter se ipsam. Ergo potest etiam aliquid esse signum sui ipsius.

Tandem prob. Conceptus entis est signum omnis entis; liquidem representat ens, ut actu continet omnia, & consequenter omnia entia representat. Ergo est signum sui ipsius, cum ipse conceptus sit etiam aliquod ens.

Respondetur ad argum. neg. ant. & ad primam prob. dicimus contritionem, ut partem Sacramenti esse rem manifestatam per exteriorem confessionem, esse verò Sacramentum, & signum in ordine ad gratiam, quam causat; & idè respectu diversorum esse signum, & signatum, signum quidem gratiæ, & signatum respectu exterioris confessionis.

Ad secund. probat. negat. conseq. Quia de conceptu speciei impressæ solum est similitudo, & unio obiecti cum intellectu, quæ per identitatem non tollitur, sed potius augetur, de ratione verò signi est deficientia, & subordinatio, quæ cum identitate compatibilis non est.

Ad tert. dicitur Sanguinem Christi in Altari sub aliena specie occultatum, & ratione specierum sensibilibus habere modum diversum à se ipso in propria specie contento, & ut sic modo, distinctum esse signum sui ipsius in pro-

pria specie, & figura connaturali existentis, & si quantum ad substantiam sit idem numero Sanguis; sicut eadem ratione Sacrificium Altaris essentialiter quo ad modum diversum est à Sacrificio Crucis, & illius signum.

Ad quart. probat. neg. conseq. Quia de ratione scientiæ abstractantis non est subordinatio formalis, sed præcisè virtualis, quæ compatitur cum summa identitate, & illam habet scientia cum obiecto in Deo, vel supremo analogato, sed dependentia, & subordinatio, quam signum ex conceptu proprio requirit, identitatem excludit.

Ad quint. negatur similiter conseq. Quia medium manifestativum à priori non per deficientiam à veritate, sed potius per continentiam perfectam veritatis, manifestat veritatem, & ita realem distinctionem non requirit.

Etsi dicas: Passiones entis manifestare nobis ipsum ens, & esse signum illius absque perfecta continentia, & distinctione reali.

Respondemus, manifestare nobis absque perfecta continentia quo ad nos, & intellectum imperfectè concipientem, non tamen absque continentia perfecta in se ipsis, & secundum suum esse, sed potius in se, & in ordine ad intellectum perfectè cognoscentem, perfectè continent ipsum ens, & ita non habent rationem signi ab-

solutè, sed duntaxat lato modo, quatenus ens per proprias passiones cognoscimus, vel per ipsas explicamus.

Ad sext. probat. respondetur propositionem supradictam esse falsam si se ipsam habeat pro obiecto, non tamen esse signum sui ipsius directè, & primario, sed duntaxat totius collectionis propositionum, quæ per illam significantur, à qua quidem collectione realitèr entitativè distinguitur, eo quod collectio ratione unius partis realitèr ab alia distinguitur.

Aut dices non esse signum sui secundum rationem peculiarem per se primò, sed secundum rationem communem propositionis, quæ sumpta adæquatè, realitèr distinguitur à propositione prædicta. Et idem dicendum de hac voce *terminus*, omnem terminum significante. Ex dicendis tamen ad ultimam clarior fiet data solutio.

Ad ultimam probat. Respondet Magister Lince, conceptum entis se ipsum representare secundum rationem propriam, tantum implicitè, expressè verò representare solam rationem communem entis, in quo omnia entia conveniunt, & ita solum esse signum respectu rationis communis, non verò respectu sui, eo quod ratio signi solum habetur in ordine ad obiectum expressè representatum.

Sed quidquid sit an respectu sui veram habeat rationem signi,

negari tamen non potest esse obiectum respectu sui, & si confusè representatum, sed inter obiectum conceptus confusi, & conceptum ipsum debet dari realis distinctio in creatis; sicut datur inter signum, & signatum. Ergò argumentum doctrina data relinquitur insolutum.

Abstrahendo ergò à sententiarum varietate, & diversitate loquendi. Respondemus ad argumentum distinguendo consequens, *sui* mediatè, & in alio: conc. consequ. immediatè, & in se ipso: neg. consequ. Quia ille conceptus entis non se ipsum representat immediatè, sed mediatè, & in alio, videlicet in ratione communi entis, in qua omnia continentur, & ita eodem modo est signum sui, quatenus in alio, & mediatè continetur, ad quod tamen non requiritur distinctio realis à se ipso, nam signum sui non in se, sed in alio, non à se, sed ab alio sumit speciem, & ipsum respicit tantquam causam, & verum finem, & consequenter non à se, sed à signato immediato realem distinctionem requirit.

Secundò alia via respond. dist. consequ. Sui ut signati inadæquati, vel ut partis signati, conc. consequ. ut signati adæquati, neg. consequ. Concessio namque esse signum sui, non potest esse signum sui, ut signati adæquati, sed potius ut signatum adæquatum respicit rationem entis, ut implicitè conti-

continentem omnia entia, & se ipsum respicit tantum tanquam partem signati, distinctio autem realis solum inter signum, & signatum adæquatum, necessaria est, non verò inter signum, & partem signati; & ita non requiritur à se ipso distingui; sicut pars est propter totum in genere causæ finalis, & totum ex ipsa parte componitur, ac proinde pars ipsa finalizata est etiam pars causæ finalizantis: sicut ergò effectus causæ finalis est pars causæ finalizantis absque distinctione reali à se ipso, ita etiam signum absque vlla distinctione reali à se poterit esse pars sui signati adæquati, quia non minus inter effectum causæ finalis, & causam finalizantem petitur distinctio realis, quam inter signum, & signatum requiratur.

Sed instabis: Sicut signatum adæquatum est causa adæquata signi, ita etiam signatum inadæquatum, est inadæquata causa; sed inter signum, & illius causam etiam inadæquatam debet dari distinctio realis; sicut etiam inter effectum causæ efficientis, & causam efficientem inadæquatam datur realis distinctio. Ergò non potest conceptus se ipsum, ut signatum inadæquatum respicere absque distinctione reali.

Respondet. neg. mai. Quia signatum inadæquatum, quod solum est pars signati adæquati, non est causa inadæquata ratione sui, sed solum ratione signati adæqua-

ti, quod quidem solum ratione sui specificat, & mensurat signum, & ita solum hoc debet esse realitèr distinctum à signo: quod utique idem est ac dicere, signatum inadæquatum, esse causam inadæquatam non ratione sui, sed ratione signati adæquati, & ita solum ratione signati adæquati debet realitèr à se ipso distingui; sicut quia pars non finalizat se ipsam ratione sui, sed ratione totius, solum debet ratione totius realitèr à se distingui, ratione videlicet alterius compartis, quæ includitur in toto.

Etsi dicas: Ergò potest conceptus se ipsum respicere, ut inadæquatum signatum absque distinctione reali. Ergò poterit absque tali distinctione esse conceptus directus, & simul reflexus, quatenus ad se terminatur.

Sed negatur secundum consequens, quia conceptus non dicitur reflexus nisi terminetur ad se ipsum expressè, & distinctè, non tamen quando solum ad se in confuso, & implicitè terminatur.

§. VLTIMVS.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur signum debere esse magis notum, quam signatum, non quidem magis notum secundum se, sed duntaxat, quo ad nos, eo quod secundum se

se sunt notiora ea quae perfectiora sunt, & signum est imperfectius signato, in sensu autem praedicto.

Probatur assumptum illatum, quia signum ex conceptu proprio habet ducere potentiam in cognitionem signati quatenus habet representare signatum, & ipsum manifestare potentiae; sed quod alterum manifestat etiam est altero notius; sicut definitio notior est definito manifestat per ipsam. Ergo signum debet esse magis notum, quam signatum.

Sed instabis contra doctrinam praedictam: Quia potest aliquid esse verè signum, & esse minus notum quam signatum. Ergo doctrina tradita nulla est. Probat. ant. Primò conceptus hominis est verè signum illius; & tamen nobis notior nō est. Ergo verū est antecedens. Prob. min. Illud est notius quo ad nos, quod est magis propinquum sensibus nostris; sed homo magis sensibus propinquus est, cum sit ens per se sensibile, quod quidem non habet conceptus. Ergo conceptus nobis notior non est.

Secundò prob. ant. Habitus est signum actus, & idem de potentia, quae ad actum ordinatur, ut ad finem; & tamen notior est actus. Ergo idem quod prius. Prob. min. Nam per actum cognoscimus habitum, & potentiam. Ergo actus notior est.

Tertio prob. antec. Effectus occulti, & latentes in causa sensi-

bili sunt verè signum illius; & tamen non sunt notiores, quando quidem videmus, & experimur plures causas sensibiles, quarum effectus latentes, & occultos ignoramus. Ergo idem.

Quartò prob. ant. Signum ad placitum constituitur in ratione signi formaliter per aliquem respectum rationis; sed ens rationis non potest esse notius ente reali, quod significat, cum potius ens rationis in cognosci pendeat ab ente reali. Ergo idem.

Quintò prob. ant. Quia quandoque Caesar est nobis praesens, & non illius imago, in quo eventur facilius ipsum cognoscimus, quam imaginem aut signum illius. Ergo signum non debet esse notius. Et constat ex eo quod, si prius notitiam Caesaris non haberemus, & illius formae, & figurae, non veniremus per imaginem in cognitionem illius. Ergo prius debet cognosci Caesar, & consequenter notior est.

Respondetur ad argumentum neg. ant. & ad primam prob. dist. min. entitative, & quoad sensum, conc. min. representative, neg. min. & conseq. Quia res sensibilis entitative, ut quod, & quantum ad sensum notior est nobis; sed conceptus quatenus representat, & ut quo, notior est, quia ut talis, rem sensibilem manifestat; sicut Divina revelatio entitative minus nota est veritate creata, sed in ratione revelantis, & manifestan-

stantis veritatem, notior est ipsa revelatio, & idem de luce, cuius natura, & entitas minus nota est homine, aut alio corpore illuminato, & tamen in ratione manifestantis corpus, notior est ipsa lux.

Ad secundam probat. antec. dist. min. Quatenus delectabiliter fit: conc. min. absolute, & quantum ad substantiam: neg. min. Quia actus solum est notior quantum admodum, vel quatenus delectabiliter fit, quia ratione non est signatum, sed potius est signum habitus, & potentiae; verum quantum ad substantiam, & propriam actualitatem, non est notior ipse actus, & secundum hanc rationem habet conceptum signati.

Ad tertiam probat. disting. min. notiores non sunt materialiter, & per accidens: conc. min. per se, & in ratione signi; neg. min. Quia causae sensibiles, & materiales absolute, & ratione alicuius effectus facillioris, quem imprimunt, facilius etiam cognoscuntur, quam effectus occultus; sed effectus ipse Latens consideratus in ratione effectus, & signi facilius percipitur, nam facilius est cognoscere effectum latentem, quatenus productum, & dependentem à causa, quam ipsam causam in ratione producentis, qua ratione est per se primò signatum: Sicut e contra signatum materialiter, & in esse rei,

est aliquando minus perfectum, quam signum, sed formaliter, & in ratione signati, semper excedit.

Ad quartam prob. ant. dist. min. signate, absolute, vel ut quod: conc. min. Exercite, & quatenus assumitur, ut medium ad ens reale cognoscendum: neg. min. Sicut conceptus spiritualis non est ita notus absolute, sicut res materialis, & tamen notior est consideratus exercite, & quatenus medium est ad illam manifestandam.

Ad quintam probat. resp. Caesarem praesentem, entitative, & materialiter facilius cognosci, sed non in ratione signati, sub ista namque formalitate facilius cognoscimus imaginem, vel signum illius. Et quamvis debeamus praecognoscere Caesarem secundum se, & absolute, ut signatum tamen, semper ipsum post imaginem cognoscimus, cum cognitio obiecti ultimi, ut ultimum est, aut cognitum ultimate, cognitionem obiecti medij supponat: Sicut equus promissus militi sub conditione victoriae praecedit absolute meritum, & victoriam, sed in ratione praemij, victoriam, & meritum praesupponit.

Sed instabis: In demonstratione à priori praemissae obiectivae sunt notiores conclusionem, quia illam manifestant, & comparantur ad eam sicut Lux comparatur ad colores; & tamen conclusio obiect-

obiectiva est signum respectu præmissarum, eaque deficienter representat; siquidem in demonstratione prædicta, præmissæ perfectione conclusionis excedunt. Ergo signum, quandoque notius non est.

Resp. dist. mai. conclusionem, ut à priori probata: conc. mai. absolute: neg. mai. & dist. min. Conclusio obiectiva, ut inferens, & ut medium cognoscendi, conc. min. ut illata, neg. min. & conseq. Quia præmissæ obiectivæ in demonstratione à priori, sunt notiores conclusionem formaliter ut illata, nam ut illata à priori, non potest aliter quam per tales præmissas cognosci, sed secundum considerationem prædictam non est signum, vel signatum, non quidem signa-

tum, quia imperfectior est, non autem signum, quia non est medium cognoscendi, sed potius ipsa res cognita: Si tamen præmissæ obiectivæ absolute considerentur, non sunt notiores conclusionem, quam manifestant, sed ipsa conclusio manifestior est, & facilius ipsa cognoscitur, quandoquidem absolute loquendo facilius est per conclusionem cognoscere à posteriori præmissas, quam per eas à priori conclusionem cognoscere, & secundum considerationem prædictam, & quatenus ipsa conclusio medium est cognoscendi à posteriori præmissas, est etiam minus perfecta, & verum illarum signum.



ARTICVLVS II.

**UTRUM CAUSA PRINCIPALIS SIT VERE
signum respectu sui effectus?**

§. PRIMVS.

Explicata conclusione occurritur argumentis.

Conclusionem negativam defendimus, eamque conformiorem Doctori Sancto iudicamus; nam illam expressè habere vide-

tur aliquibus in locis, & non obscure 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. per ea verba: *Causa principalis non proprie potest dici signum effectus, licet occulte, etiamsi ipsa sit sensibilis, & manifesta.*

sesta. Quæ verba ponderatione non egent.

Ratio insuper id ipsam persuadet: quia de conceptu signi est dependere, specificari, mensurari, & ad signatum ordinari; ut ad finem cuius gratia; sed causæ principali repugnat ab effectu mensurari, & ad ipsum ordinari, ut ad finem cuius gratia: ergo eidem, conceptus signi repugnat. Prob. min. Quia causa principalis si est æquivoca, excedit effectum, & illius perfectionem, si autem univoca est, saltem adæquat effectum, & universaliter nulla causa principalis est inferior formaliter ad effectum: ergo causæ principali repugnat ab effectu mensurari. Proptereaque cognitio per causam principalem, dicitur cognitio à priori; cognitio autem, quæ per signum habetur, dicitur à posteriori.

Respondebis non esse universaliter verum causam principalem adæquare, vel excedere effectum, quia species impræssa lapidis causatur principaliter à lapide, quem tamen superat in perfectione, eo quod species vitalis est, & per modum principij vitalis ad intellectionem concurrat, quod tamen ipsi lapidi repugnat.

Contra est tamen: quia species impræssa lapidis, specificatur à lapide, & mensuratur ab eo: ergo lapidem non adæquat.

Rursus etiam quamvis species impræssa vitalis sit, solum tamen intentionaliter vitalis est;

Mag. Froylan.

sed vita intentionalis non adæquat rem non viventem, physicè tamen, & connaturaliter existentem, qualis est lapis à quo species diffunditur: ergo idem quod prius.

§. II.

Diluuntur Argumenta.

Contra conclusionem istam poterat imprimis argui ex D. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. asserente: *Quod causa instrumentalis si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti, eo quod non solum est causa, sed quoddam modo effectus, in quantum movetur à principali agente; sed causa etiam principalis movetur à Deo qui movet omnem creaturam ad suas operationes: ergo propter eandem rationem non erit solum causa, sed etiam effectus, & ita poterit esse signum.*

Facile tamen respondetur explicando maiorem; effectus rei quam producit, conc. mai. effectus unice Dei moventis, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Angelicus namque Præceptor ibidem tantum intendit causam instrumentalem posse dici signum, quia non solum est causa, sed etiam effectus ipsius rei, quæ producit, à qua quidem causatur, & pendet tanquam à causa finali, & hoc ideo quia movetur à principali agente, non quidem generali motione,

I qua

qua Deus omnem movet creaturam, sed motione speciali, qua indiget instrumentum, ea videlicet, quæ confert virtutem non debitam, & propriam, sed extraneam, & alienam, ratione cuius possit producere effectum super eundem, & ad quem à Deo assumitur. Ex quo bene infertur, quod ad effectum ordinatur, ut ad finem cuius gratia, quia instrumentum, ut tale solum est propter effectum.

Secundò arguitur ex eodem Ang. Doct. 1. p. q. 70. art. 2. ad 2. afferente quod: *Per causam sensibilem aliquando ducimur in cognitionem effectus occulti, sicut è converso, unde nihil prohibet causam sensibilem esse signum: ergò causa principalis sensibilis potest esse signum effectus occulti.*

Ad hoc argum. Sap. Mag. Ortiz, respondet Doct. Sanct. loqui de signo secundum communem rationem mediij repræsentativi, & improprie, & late sumpto, non verò de signo in acceptione rigorosa considerato. Quam explicationem confirmat cum littera D. Th. in conclusionem relati, afferentis causam principalem non posse proprie dici signum effectus.

Et si dicas D. Thom. afferere, nos ita duci per effectum in cognitionem causæ, sicut è converso per causam ducimur in cognitionem effectus; sed per effectum ducimur in cognitionem causæ tanquam per verum, & proprium

signum: ergò per causam etiam tanquam per signum proprium ducimur in cognitionem effectus.

Respondet D. Thom. causam cum effectu vnicè parificari equatum ad rationem communem mediij ductivi, non verò in modo ducendi cum dependentia, & subordinatione, quam quidem habet effectus ad causam, sed non causa ad effectum, & in eodem sensu locutum fuisse q. 9. de veritat. art. 4. ad 5. Vbi asserit de ratione signi proprie accepta non esse quod sit prius, vel posterius in natura, sed solum quod sit nobis præcognitum. Quæ verba necessario debent intelligi de ratione signi proprie accepta secundum rationem communem mediij manifestativi, aliàs ad rationem signi secundum conceptum differentialem sufficeret esse præcognitum, quod habet vnum perfecte simile respectu alterius, & perfectissima causa in ordine ad effectum, quibus tamen ratio signi repugnat. Quam solutionem in reverentiam ipsius intactam relinquimus.

Respondemus tamen aliter D. Thom. in autoritate relata solum loqui de causa instrumentali, quæ manifestat effectum cum subordinatione ad ipsum, & ad illum, ut ad finem ordinatur, nam in presenti autoritate non contradicit D. Thomas Doctrinam, quam habet in 3. p. causam videlicet, principalem non posse proprie dici signum effectus, licet

licet occulti. Et quamvis in loco primæ partis super addat corpora coelestia esse signa eorum effectum, qui in sublunaribus inveniuntur; loquitur tamen de corpora coelestia non ratione propriæ substantiæ, in qua superat effectum, sed ratione accidentium sensibilium, quæ se habent per modum virtutis instrumentariæ, & ad effectus ordinantur, ut ad finem. Et ita esse intelligendum videtur ipse attestari, dum ex prædicta doctrina statim infert dispositiones corporum coelestium esse signa futurorum eventuum, ut pluriæ, & serenitatis.

Tertiò arguitur, & contra dicta replicatur: quia si solutio tradita vera est, accidentia sensibilia, quæ sunt virtutes coelorum, sunt verè signa in ordine ad effectus quos producunt; sed accidentia prædicta sunt vera causa principalis, & verè principaliter continent tales effectus in virtute substantiæ Coeli, cui ipsa subordinantur: ergò causa principalis potest esse verè signum.

Idem argument. fit de potentia generativa, quæ est causa principalis generationis, & simul ad ipsam, ut ad finem ordinatur. Et de intellectu, & voluntate quæ à suis actibus speciem accipiunt, & simul principaliter eos causant.

Respondet: Omnia prædicta esse signa sui actus, & effectus, non quidem sub ea ratione,

qua principaliter causant, sed sub alia formalitate, qua causantur ab illis, & ab eis mensurantur, quia potentia proximè operativa totum esse habet in ordine ad effectum, & ab eo mensuratur. Quia ratione non potest esse substantia immediatè operativa.

Sed contra est: quia etiam causa instrumentalis sub ea ratione, qua causat non est signum sui effectus; siquidem sub ea ratione non causatur ab effectu, alia namque est ratio, & formalitas causæ, à ratione, & formalitate signi; & tamen causa instrumentalis dicitur absolutè signum effectus: ergò idem de causa principalis dicendum.

Respondetis causam instrumentalem reduplicativè, ut talem non esse signum effectus, quia alia est formalitas causæ à formalitate signi, esse tamen causam instrumentalem signum effectus, sub formalitate causæ connexivè, quatenus formalitas causæ instrumentalis, cum formalitate dependentiæ, & subordinationis ad effectum essentialiter connexa est.

Sed contra est: Nam etiam in potentia proximè operativa ratio causæ, & ratio signi essentialiter specificè connectuntur: ergò idem in utraque dicendum. Probant. In potentia proximè operativa conceptus proximè operativa, & ordo ad operationem sunt conceptus differentiales inadæ-

quatenus constituentes potentiam; sed conceptus differentiales essentialiter connectuntur; sicut peculiare in, & ad, in relatione, & conceptus naturae, & liberi arbitrii in voluntate: ergo ratio causae, & ratio signi in potentia proximè operativa essentialiter connectuntur.

Quod autem in proprio conceptu causae instrumentalis invenitur imperfectio, & subordinatio ad effectum, in qua quidem dependentia fundatur ratio signi, non potest magis adversarios ab impugnatione defendere, quia etiam in potentia proximè operativa in ipsa ratione causae importatur dependentia, & imperfectio, siquidem in ipsa ratione causae importatur specificatio ab actu, & ordo essentialis ad ipsum tanquam ad finem potentiae: ergo idem in utraque causa dicendum.

Propter hæc, & alia iuste omittenda, ut minus sit molesta malitia, ad argumentum propositum respond. Quod intellectus, & voluntas, potentia generativa, & accidentia propria, & nativa Cœlorum sunt causa principalis, non quidem radicalis, & primaria, sed proxima, & per modum virtutis, quæ datur à natura propter ipsam operationem, & ut substantiæ deserviat, ex qua virtute simul cum principio radicali conflatur causa principalis adæquata, principio radicali per se primò concurrente, & virtute

proxima operante in virtute radicalis principij, ex quibus principium radicale est à se, & propter se, sed principium proximum non est ad se, & propter se, sed propter operationem, & effectum, ut finem; & ideo veram obtinet rationem signi. Quod utique similiter dicendum est de scientia practica principaliter efficiente suū obiectum, quæ etiam ad ipsum, ut ad finem ordinatur, si de scientia sumpta pro habitu, vel pro actu sermo sit, non tamen si scientia sumatur pro idæa artificis, nam hæc potius se habet ad effectum, & opus ut mensura, & exemplar, & illius finis.

Sed instabis: Causa principalis proxima ita continet effectum, & actum sicut causa radicalis: ergo æqualiter deficit, vel non deficit ab effectum, & consequenter æqualiter erit, vel non erit signum illius.

Respondetur dist. ant. Ita secundum rationem communem causae principalis, conc. ant. secundum rationem particularem neg. ant. & sub eadem dist. neg. conseq. Quia causa radicalis secundum propriam virtutem continet effectum, & ita ratione sui debet illum excedere, vel adæquare, causa verò proxima continet solum effectum in virtute radicalis principij, quæ continentia imperfecta est, & deficiens, & propter ipsum effectum ut finem. Erit ita non petit excedere, vel

vel adæquare ratione sui, sed tantum ratione principij radicalis, cuius virtute continet effectum, & dum generaliter dicitur causam principalem adæquare effectum, de causa principali adæquata, quæ ex principio radicali, & proximo constituitur, intelligendum est.

Ex data doctrina habes etiam materiam quamvis causam principalem, esse vere signum formæ, quia illam continet deficienter, & ad ipsam ordinatur, ut ad finem, quapropter conclusio nostra tantum intelligenda est de causa principali efficiente, de formali, & de finali, eo quod causae prædictæ ab effectum non deficient nec ad ipsum, ut ad finem ordinantur.

Dices, actum esse signum habitus, ut docet Ang. Doct. & tamen actus est causa finalis habitus: Ergo causa principalis finalis potest esse vere signum in ordine ad proprium effectum.

Facile tamen respond. actum solum quantum ab substantiam esse causam formalem, & finalem in ordine ad habitum, & secundum considerationem istam non esse signum illius, sed dum traxat esse signum illius ratione modi, vel delectationis, quæ actui coniungitur, sed delectatio hæc ab habitu superatur, & finis illius non est.

Quartò arguitur: Obiectum quod movet ad cognitionem

Mag. Froylan.

imperfectam alterius à se diversi, est verè signum illius; sed causa principalis effectiva hoc idem habet: ergo verè signum est. Probat. min. primò, dum causa prædicta confusè cognoscitur, solum movet ad cognitionem confusam effectus: Ergo movet ad cognitionem imperfectam alterius à se diversi.

Secundò prob. min. Causa principalis solum movet ad cognoscendum effectum eo modo, quo continet ipsum; sed effectus non continetur in causa ea perfectione, & proprietate qua existit in se ipso: ergo causa solum movet ad cognitionem imperfectam effectus à se distincti.

Confirmatur, & vrgetur. Causa principalis dependet formaliter ab effectum: ergo est verè signum illius. Prob. ant. primò: Causa prædicata diffinitur per effectum, quia causa est id, ad quod aliud sequitur: Ergo dependet formaliter ab effectum.

Secundò prob. ant. Causa principalis importat ad effectum relationem prædicamentalem secundi generis; sed relatio prædicta fundatur in relatione transcendentali dependentiæ, & aliud fundamentum assignari non potest, eo quod ens totaliter absolutum nequit esse fundamentum entis totaliter relativi; nam de extremo ad extremum non debet dari transitus nisi per medium, & inter relationem prædicamentalem

13

camen-

camentalem, & ens totaliter absolutum, solum mediare potest relatio transcendentalis: Ergo causa praedicta pendet formaliter ab effectu.

Tertio prob. ant. Causa principalis perficitur formaliter ab actione, quam efficienter producit: ergo pendet formaliter ab effectu. Prob. ant. Causa principalis perficitur, dum reducitur de actu primo ad secundum; sed per actionem formaliter reducitur: Ergo.

Quarto prob. antec. Causa principalis agit propter effectum ut finem: ergo pendet ab effectu. Prob. ant. Causa principalis dum agit, operatur propter finem; sed non propter finem ab effectu distinctum: Ergo agit propter effectum ut finem.

Respondetur ad argument. dist. min. per accidens, & ab extrinseco, conc. min. ab intrinseco, & per se, neg. min. & conseq. Quia si causa ducit aliquando in cognitionem imperfectam effectus, solum hoc ab extrinseco habet, & ratione potentiae non perfecte cognoscentis virtutem activam causae; per se tamen, & ab intrinseco, semper habet ducere in perfectam cognitionem illius, & propterea si virtus causae perfecte penetratur, perfecte etiam manifestat effectum, quod utique signum est, continere effectum perfecte sine vlla deficientia, & per haec ad primam probationem clarissime constat.

Ad secundam probat. dist. mai. eo modo ex parte rationis *sub qua*, conc. mai. ex parte rationis *quae*, neg. mai. & dist. min. Ea proprietate ex parte rationis *sub qua*, conc. min. ex parte rationis *quae*, neg. min. & conseq. Licet namque causa ex parte modi continendi, aut ex parte rationis *sub qua*, non contineat effectum, ea proprietate, qua effectus est in se, quia modus ille, quo effectus continetur in causa, non est proprius, & connaturalis effectui, sed illius causae; ex parte tamen rationis *quae*, continet causa virtualiter effectum omni ea proprietate, qua effectus est in se ipso; siquidem ipse etiam modus proprius, & connaturalis effectus perfecte continetur in causa, & ita causa ducit in perfectam cognitionem effectus.

Dices: ergo ex parte modi, aut rationis *sub qua*, non continet effectum ea proprietate, qua effectus est in se ipso: ergo deficit saltem negativè ab effectu, & in modo continendi: ergo est verè signum illius, quia ad rationem signi sufficit deficientia negativa, & in modo continendi, ut constat in conceptu comprehensivo, cuius deficientia in modo representandi solum est negativa respectu modi obiecti, quod representat, eo quod deficientia privativa est defectus in eo, quod potest, & debet haberi, & res propterea in conceptu non potest habere pro-

proprium modum naturalem.

Respondet dist. secundum consequens, negativè per aequalitatem, vel excessum, conc. conseq. negativè per defectum, neg. conseq. Quia quamvis causa in modo continendi negativè deficiat, eo quod modus continendi non est connaturalis effectui, ille tamen defectus non est per defectum, sed per aequalitatem, vel excessum causae; siquidem illa continentia sicut, & ipsa causa superat, vel adaequat effectum, & modus continendi adaequat modum effectus; non enim modus, quem creaturae habent in Deo est illis connaturalis; & tamen Divina essentia non est signum creaturarum, quia modus continendi, vel quo continentur in Deo, modum creaturarum excedit.

Ad confirm. verò argumenti principalis resp. neg. ant. & ad primam probat. dist. ant. per effectum ut terminum connexionis, & dependentem à causa, conced. ant. ut terminum à quo causa dependet, neg. ant. & conseq. Quia etiam creator ut talis explicari non potest sine connotatione ad creaturas, sed non propterea est illarum signum, quia non connotat eas ut terminum à quo dependet, sed potius ut subiectum dependentiae.

Ad secundam probat. ant. dist. min. dependentiae in potentia, & actione, conc. min. in substantia, neg. min. Fundatur nam-

que relatio praedicalis causae ad effectum in relatione transcendentali dependentiae, sed haec dependentia tantum est in fundamento relationis, videlicet in potentia generativa, & actione, quarum quaelibet ab effectu dependet, & est verè signum illius; non tamen invenitur dependentia in substantia producentis.

Ad tert. probat. dist. antec. perficitur secundum quid, conc. ant. simpliciter, neg. ant. Nam licet causa dum reducitur ad actum secundum, saltem mediate perficiatur per actionem, ea tamen perfectio solum est secundum quid, eo quod haec, & non aliam perfectionem possunt accidentia communicare substantiae, cum quo tamen compatitur ipsam esse simpliciter perfectiorem, & non posse ad actionem, ut ad finem ordinari.

Ad quart. probat. dist. ant. ut finem operis, conc. ant. operantis, neg. ant. & ad probat. Negamus minorem sub eadem distinctione, quia licet effectus productus à causa principali sit finis operis, non tamen finis est operantis, sed finis operantis diversus est ab effectu, & quamvis ipsa generatio sit via ad formam geniti, solum est via ad formam praedictam ut ad finem operis, & actionis, non verò ut ad finem operantis.

Sed instabis: Forma geniti, & genitum ipsum debent esse fi-

nis non solum operis, sed etiam operantis: ergo solutio tradita nulla est. Prob. ant. Quia alius finis proximus *cuius gratia* excogitari non potest; & rursus, quia generans tanquam finem operantis intendit se diffundere, & sibi simile generare in quantum potest: ergo forma geniti, & genitum ipsum, debent esse finis operis, & operantis.

Respond. neg. ant. & ad probationem, neg. ant. Quo ad primam partem, quia finis proximus operantis est ipsum generans, aut operans ut per hæc omnia perfectum: Unde regulariter dicitur unumquodque esse propter suam operationem, id est propter se ipsum, ut operatione perfectum, qualiter communiter explicatur.

Pro altera verò parte dist. ant. claritatis gratia, se diffundere, & sibi simile in quantum potest generare, id est se ipsum ut diffusionem, & sui similis generatione perfectum, conc. ant. pro termino diffusionis, & similitudinis, neg. ant. Quia generans dum intendit se diffundere, & sibi simile generare non habet pro fine operantis terminum diffusionis, & similitudinis, qui est effectus productus, sed potius se ipsum ut per hæc omnia perfectum, quatenus se diffundendo, & sibi simile generando, se ipsum conservat secundum speciem, vel genus, & fit magis similis Deo in

perpetuitate existendi, & ita se ipsum ut sic perfectum, & ut ita conservatum, & magis similem Deo, habet pro fine operantis.

§. VLTIMVS.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis in articuli discursu colligitur, signum ex proprio conceptu esse imperfectius signato, & ad ipsum ordinari; non quidem ut ad finem effectum, sicut agens ad suam operationem, & Incarnatio ad hominum salutem, sed ad ipsum ut ad finem *cuius gratia*, à quo verè mensuratur. Et ultra supra statuta.

Assumptum probamus ita: Illud obiectum imperfectius est in esse obiecti formaliter, quod imperfectiorem terminat cognitionem; sed signum ut tale formaliter imperfectiorè terminat cognitionem; ergo illud perfectius est. Prob. min. Illud obiectum imperfectiorem terminat cognitionem, cuius notitia, vel cognitio non quaritur propter ipsum, sed propter cognitionem alterius; sed cognitio signi non quaritur propter ipsum, sed propter cognitionem signati, nam ad hoc signa instituta sunt, ut per eorum cognitionem deveniamus in cognitionem signati: Ergo signum ut tale formaliter imperfectiorem terminat cognitionem.

Con:

Confirm. Principale munus signi est repræsentare, vel manifestare signatum, ut constat ex eius diffinitione. Ergo principaliter desideratur cognitio signi, ob cognitionem signati, consequenterque signum imperfectiorem terminat cognitionem.

Respondebis cognitionem signi, & signum esse quidem propter signatum, & illius cognitionem tanquam propter finem effectum, non verò propterea tanquam finem *cuius gratia*, ex quo modo essendi propter signatum, non infertur in signo minor perfectio.

Sed contra est. Quia signum respicit signatum tanquam veram sui mensuram, & verum specificativum ipsius, ut dicemus infra. Ergo est propter signatum tanquam finem *cuius gratia*: nam specificativum verè est finis *cuius gratia* respectu specificati.

Impugnatur ultra solutio: Verum medium in linea obiecti, & in esse intelligibili est propter obiectum ultimum tanquam finem *cuius gratia*; sicut verum medium in linea appetibili respicit finem proprium tanquam finem *cuius gratia*, nam eadem dependentia, & subordinatio invenitur utrobique; sed signum ut tale formaliter est verè medium in linea obiecti, & in esse intelligibili, & per rationem mediij constituitur in suo esse: sicut signatum per rationem obiecti ultimi. Ergo signum est propter signatum tanquam

finem *cuius gratia*.

Aliqua argumenta, quæ poterant fieri contra præfatam doctrinam soluta in articulo manent, ultra tamen specialiter contra eam arguitur: signum quandoque non perficitur à signato. Ergo non semper debet esse imperfectius signato. Prob. ant. Probabilis sententia affirmat singulare non cognosci per speciem propriam, & directè, sed solum mediatè, & in directè, & per speciem expressam per se primò repræsentantem solam naturam communem, & mediatè singularia, in qua quidem opinione species expressa naturæ representat singulare, & est verè signum illius; & tamen non perficitur à singulari, nec ab eo sumit speciem, sed solum à natura primario repræsentata. Ergo signum quandoque non perficitur à signato.

Respondetur tamen facile, speciem prædictam in illa sententia esse signum singularis in directè, mediatè, & ex consequenti & ita mirum non est, quod tale signum non perficiatur à singulari, nec speciem ab illo desumat, sicut in sententia affirmante, eandem speciem expressam repræsentare primario ens reale, & secundario ens rationis, prædicta species non desumit specificationem suam ab ente rationis, sed solum ab ente reali, quod primario repræsentat.

Sed instabis. Ergo signatum ex conceptu signati non petit ex-

cedere signum, sed solum ex conceptu signati primario representati: ergo poterit signum excedere in perfectione signatum, quod tantum secundo representat: ergo poterit signatum tale ut obiectum ultimum est, ordinari ad ipsum signum, & esse obiectum medium comparative ad ipsum, & propter ipsum ut finem.

Respond. dist. primum consequens, signum secundum representationem primariam, conced. consequ. in secundaria representatione, & determinatione, neg. consequ. Quia signatum ex conceptu formali non petit excedere signum secundum primariam representationem positivè, eo quod non omne signatum petit primario representari, sed aliqua signata representantur secundo, ut in exemplo argumenti, & ad primariam terminationem merè negativè se habent, & propterea dicimus illam positivè non excedere, aut positivè perficere, sed ad illam merè negativè se habere: Cæterum sub ea formalitate, & terminatione, qua signum ad signatum refertur, omne signatum petit excedere, & ita singularia superant terminationem secundariam speciei, & speciem ipsam quatenus illorum signum. Quod tamen in essentia Divina nunquam inveniri potest, eo quod sub nulla formalitate, vel terminatione potest superari ab aliqua creatura, ut sub ea possit

esse creaturæ signum.

Secundo contra eandem doctrinam arguitur: Cognitio signi est perfectior cognitione signati: ergo etiam signum poterit superare signatum. Prob. antec. Cognitio signi est causa cognitionis signati; siquidem per cognitionem signi movetur intellectus ad cognitionem signati: Ergo perfectior est cognitione signati.

Confirmatur: Potest medium in esse representativo, & intelligibili excedere in perfectionem, quam formaliter representat: ergo poterit signum superare signatum, quamvis in esse intelligibili medium sit. Prob. antec. Primò, in essentia Divina, quæ est medium cognoscendi creaturas, & principia à priori probativa sunt medium cognoscendi conclusionem; & tamen conclusionem excedunt, & essentia Divina superat creaturas.

Secundo prob. ant. Respublica pro tuo libito potest res superiores, ad inferiores significandas imponere; sed in hoc eventu res superiores habebunt rationem medij representantis rem inferiorum: Ergo idem.

Tertiò prob. ant. Imagines exemplatæ ab alijs, & eas representantes aliquando excedunt illas; sicut Crux aurea excedit Crucem ligneam in qua Dominus est passus; & tamen sunt verè media: ergo idem. Quod utique di-

cen-

cendum est de imagine Regis, quæ ipsum representat secundum exteriora accidentia coloris, formæ, & figuræ; & tamen potest Regem ipsum in forma, & figurâ superare.

Quart. prob. Quia propterea medium in linea appetibili imperfectius est fine, & propter illum amatur, quia amor, & intentio finis movet voluntatem ad electionem mediorum; sed in medio intelligibili oppositum contingit, quia potius cognitio signi determinat ad cognitionem signati: ergo poterit tale medium esse perfectius.

Resp. ad argumentum neg. ant. & ad probat. dist. ant. causa à posteriori, conc. antec. à priori, neg. antec. Quia sicut signum obiectivè est causa Logica, & à posteriori signati, non tamen causa à priori; ita cognitio signi à posteriori causat cognitionem signati. Ex quo non inferitur illam excedere, vel in perfectione adæquare, nam in sensu prædicto etiam cognitio creaturarum causat cognitionem Dei, quam tamen in perfectione non adæquat.

Ad confirm. verò argumenti, neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. medium excellentiæ, conc. mai. deficientiæ, neg. mai. Quia essentia Divina representat creaturas per modum medij superioris perfectissimè continentis, & principia à priori probativa, non deficienter, sed perfectè

continent conclusionem, ad rationem autem signi deficientia in continendo, & subordinatio requiritur.

Ad secundam probat. antec. principalis dist. min. sumptæ formaliter, conc. min. materialiter acceptæ neg. minor. & consequ. Quia si Respublica res superiores ad inferiores significandas imponat, manebunt quidem materialiter superiores, sed formaliter, & in ratione medij inferiores erunt, quia ut tales constituuntur per ipsam impositionem, per quam determinantur ut sint propter alterum ut finem, & ratione impositionis prædictæ fiunt inferiores ad ipsum: sicut voces istæ: vitium, peccatum, & verecundia perfectiores sunt in esse rei obiecto significato per illas, sed in ratione medij, & signi ab illo separantur.

Et si dicas: eandem esse dispositionem rerum in esse, & in veritate: ergo quod perfectius est in esse rei, erit etiam perfectius in esse obiecti.

Respondetur dist. consequ. si esse non ordinetur ad aliud, conced. consequ. si ad aliud ordinetur, neg. consequ. Quia si esse ordinetur ad aliud facta tali ordinatione iam esse pendet ab alio, & ita potest etiam in veritate pendere, quamvis esse absolute, & aliunde, vel à natura non sit ad alterum ordinatum.

Ad tert. probat. dist. mai. ex-

excedunt in Physica perfectione, conc. mai. in perfectione morali, neg. mai. Quia imagines, quae propter aliquam coniunctionem ad Prototypum, vel circumstantiam alicuius miraculi, vel quia allatae de Coelo, aut ab aliquo Sancto depictae, seu huiusmodi alia, habentur in maiori veneratione; habent etiam maiorem perfectionem moralem, & ratione huius perfectionis Imagines exemplatae comparantur ut media, & ordinantur ad alias, & ab eis mensurantur, maiori perfectione Physica materialiter se habente.

De imagine autem Regis dicimus eam posse in perfectione Physica, & accidentali superare propria accidentia Regis, non tamen simpliciter, & absolute, aut in perfectione substantiali, vel illius modo, eo quod accidentia in Rege sive vivo, sive mortuo habent modum essendi connaturalem, & naturaliter insunt, in imagine vero carent modo praedicto, & habent modum artificialem quatenus arte disposita

Vel alijs terminis poterat dici, ea accidentia materialiter vinci, esse tamen formaliter superiora, quia repraesentantur, ut coniuncta propriae substantiae Prototypi, & non aliter habent rationem signati.

Ad quart. probat. dist. mai. movet in intentione operantis, conc. mai. movet in executione,

neg. mai. Nam cognitio signati prior est in intentione, & quaeritur propter se, & ex illius amore movetur operans ad habendam notitiam signi, cuius cognitio non est prius intenta, sed solum in executione movet prius ad cognitionem signati. Intentio vero finis etiam in intentione prius movet, & propter se, & in intentione prior est.

Sed instabis contra omnia praedicta; quod propterea haec omnia contingerent, quia signatum est mensura signi, & consequenter debet esse perfectius, & in intentione prius; sed esse mensuram talem perfectionem non arguit: ergo solutio tradita nulla est. Probat. min. Quia actus est mensura potentiae, & specificat ipsam, & ens rationis mensurat Logicam, & specificat eam: & tamen actus exceditur a potentia, quae permanentior est, & ens rationis exceditur a Logica, quae est aliquid reale.

Resp. neg. vramq. min. quia actus secundum suam substantiam, & speciem, aut actualitatem excedit potentiam simpliciter, quamvis ab ea in permanentia excedatur, qui excessus, talis est secundum quid, & accidens est. Et etiam ens rationis, quamvis in esse est excedatur a Logica, in esse tamen termini, & obiecti, simpliciter illam superat, & eam sibi subordinat: sicut dum cognoscitur in ratione termini, & obiecti specificatis excedit proprium conceptum, quo ab intellectu percipitur.

AR.

ARTICVLVS III.

QVÆNAM SIT DIFFERENTIA
essentialis adequata, & signi
constitutiva?

§. PRIMVS.

Quibusdam suppositis, statuitur nostra conclusio.

Ingeniosa, & utilissima est difficultas, quam in praesenti tractamus, & ut facile punctum difficultatis illius attingamus, praeculis habendum est primo, signum esse obiectum formaliter respectivum, obiectum quidem quia obijcitur potentiae, & alterum manifestat, & quod obijcitur potentiae, & illi alterum manifestat, verè habet rationem obiecti: respectivum autem quia alterum manifestat, & ad hoc institutum est, ut pro altero substituatur, & alterum repraesentet, & quod ad hoc institutum est de se respicit aliud, & formaliter ordinatur ad ipsum.

Secundo notandum est signum formaliter constitui, per ordinem ad signatum, quicumque sit talis ordo sive transcendentalis, sive praedicamentalis, de quo in articulo sequenti, Et assump-

tum probamus, quia signum quatenus tale ad hoc institutum est, ut signatum manifestet, & ducat in cognitionem illius, & pro signato substituatur, & consequenter habet esse per se primo in ordine ad signatum, & est propter ipsum: Sicut actio propter terminum, & potentia in ordine ad obiectum, vel actum: ergo sicut actio constituitur in ordine ad terminum, ita signum constituitur per ordinem ad signatum.

Confirmatur: Sicut medium appetibile habet esse in ordine ad finem, ita medium intelligibile habet esse in ordine ad obiectum ultimum, nam eadem ratio ad utrumque facere videtur; sed medium appetibile constituitur formaliter per ordinem ad finem: ergo etiam signum per ordinem ad signatum. Et hoc idem ipsa substitutio signi pro signato persuadet;

suadet; nam propterea species representativa obiecti constituitur per ordinem ad obiectum, quia pro obiecto representato substituit. Argumento vero contra doctrinam istam procedenti, ultimo §. satisfactionem dabimus.


Tertio considerandum est, in differentia adequata saltem aliquarum rerum, duplicem conceptum inadaequatum reperiri; sicut in ultima differentia intellectus nostri reperitur conceptus intellectus per ordinem ad principia, & conceptus rationis, vel discursus per ordinem ad conclusiones, quas ex principijs deducit, & ex utroque conceptu consurgit adaequata intellectus differentia, & non solum per ultimam, sed etiam per primam ab intellectu Angeli distinguitur, eo quod conceptus intellectus in nobis obiective imbibit conceptum discursus, & cum illo connectitur.

Similiter etiam in voluntate nostra invenitur conceptus naturae, & liberae, & ex utroque consurgit ultima differentia, & ipse conceptus naturae distinguit voluntatem nostram, a ratione naturae, quae invenitur in appetitu brutorum, eo quod ratio naturae in differentia voluntatis nostrae intimè imbibit libertatem. Et hoc idem adest in relatione, in cuius adaequata differentia datur peculiare in, & datur expressum ad. Et in ultima differentia virtutis invenitur ordo ad subiectum,

& respectus ad actum, & quia primus ordo cum secundo connectitur, & virtus subiectum respicit, ut ipsum disponat ad actum, ex utroque conflatur adaequata differentia virtutis.

Ad hunc ergo modum affirmant plures, in conceptu adaequato, & ultima differentia signi inveniri duplicem in adaequatum conceptum, primum quidem connexionis peculiaris cum potentia, & alterum ordinis, vel respectus ad signatum, ex quibus ille primus etiam in executione prior est, quia prius signum comparatur ad potentiam, ut obiectum medium intelligibile ab ipsa; quam dicat ordinem ad signatum, sed utroque conceptu non intellecto, non intelligitur etiam in signo adaequata differentia.

Per oppositum vero alij affirmant signum adaequate differentialiter constitui per ordinem ad signatum, qui modus asserendi, communis est inter nostros, sed non apprehendimus verum, & ita cum Authoribus primae sententiae constituimus signum, cum illis ergo sit.



§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Signum differentialiter adaequate constituitur per connexionem specialem cum potentia, & ordinem ad signatum.

Conclusionem istam aliqui probare conantur ex eo, quod specifica signorum diversitas sumitur ex diversa connexionione cum potentia: ergo signum saltem inadaequate constituitur per connexionem praedictam, antecedens probant. Nam conceptus quo ego cognosco Petrum diversus est in ratione signi formaliter a se ipso, quatenus per eundem conceptum cognoscit Angelus Petrum; nam respectu intellectus nostri est signum formale, & respectu Angeli est signum instrumentale; sed diversitas praedicta non aliunde provenit, quam ex connexionione diversa cum potentia distincta: ergo diversitas specifica signorum, sumitur ex diversa connexionione cum potentia.

Sed ad rationem istam possunt facile adversarij respondere negando minorem syllogismi, in praedicta ratione contenti, asserentes illa signa formaliter esse distincta per ordinem ad signatum, quod licet materialiter idem sit, formaliter tamen diversum est, quatenus sub altiori immateria-

litate percipitur ab Angelo, quam ab intellectu nostro: Sicut idem terminus motus recti, & circularis formaliter distinctus est, & idem punctum lapidis descendens, & alterius ascendens ad ipsum. Qua propter praesenti ratione omissa, vel explicata iuxta inferius asserenda.

Ratione satis efficaci probatur conclusio nostra; nam adaequata differentia signi debet esse de linea obiecti formaliter; sed si indifferentia signi adaequata non ingreditur specialis connexio, non erit adaequata differentia signi de linea obiecti formaliter: ergo differentia signi adaequata conflatur ex conceptu ordinis ad signatum, & connexionione specialium cum potentia, tanquam ex duplici inadaequato conceptu, min. constat, quia obiectum commune constituitur formaliter per connexionem cum potentia: ergo si differentia adaequata signi specialem connexionem non importat, non erit etiam de linea obiecti formaliter: Sicut quia relatio creata in communi est de genere accidentis, & importat inharentiam communem, non poterit relatio creata particularis esse de genere accidentis, si secundum peculiarem differentiam non dicat inharentiam specialem.

Maiores autem rationis factae probamus: differentia adaequata signi dividit essentialiter, & per intranea rationem communem

munem obiecti; cum obiectum in medium, & ultimum essentialiter dividatur: ergo praedicta differentia debet esse de linea obiecti formaliter, alias non contraheret per intranea rationem communem obiecti: Sicut differentia, quae non est in linea substantiae formaliter, non contrahit per intranea rationem substantiae: Unde substantia non dividitur essentialiter, & per intranea in albam, & nigram, in beatam, & damnatam, in Sanctam, & inimicam.

Confirmatur ratio praedicta: Signum secundum suam speciem est obiectum essentialiter respectivum; sed obiectum secundum speciem essentialiter respectivum, debet in ultima differentia duo necessario importare, videlicet, connexionem, & respectum: ergo ex utroque conceptu differentia signi conflatur. Explicatur min. accidens respectivum; sicut habitus, & potentia, motus, & actio duo important in ultima differentia, videlicet, specialem inhaerentiam, & respectum ad aliud: ergo obiectum essentialiter respectivum debet etiam importare specialem connexionem, contrahentem connexionem communem obiecti, & ulterius ipsum respectum ad alterum.

Iterum confirm. Quia potentia datur a natura, ut substantiae deferviat, prius respicit potentia substantiam quam ipsam

operationem; sed signum ad hoc institutum est, ut potentiae manifestet signatum: ergo prius debet connotare potentiam, quam respicere signatum, & ex utroque conceptu conflabitur adaequata differentia.

Vergetur omnia praedicta: Quia ita comparatur medium intelligibile ad obiectum ultimum, & ad ipsum intellectum: sicut medium appetibile ad finem, & voluntatem; sed in ultima differentia medij appetibilis ingreditur respectus ad finem, & connexio cum potentia volitiva, ut duplex in adaequatus conceptus: ergo in ultima differentia signi, aut medij intelligibilis in adaequate ingredi debent connexio cum intellectu, & respectus ad signatum.

Addimus: quod si signum, vel obiectum medium secundum ultimam differentiam non importat connexionem specialem cum potentia, propria differentia signi erit extra genus obiecti, & ita divisio obiecti in medium, & ultimum essentialis non erit; sicut omnes asserentes modum praesentiae cum omni proprietate esse extra genus notitiae, cum consequentia in doctrina fatentur divisionem notitiae in intuitivam, & abstractivam esse accidentalem; sed divisio obiecti in obiectum medium, & ultimum essentialis est, ut adversarij fatentur: ergo differentia ultima signi specialem connexionem importat.

Res.

Respondent adversarij ad omnia supradicta, ultimam differentiam signi importare formaliter connexionem, non quidem ut quod, & ut conceptum in adaequate distinctum a respectu, sed dumtaxat ut quo, quatenus ipse respectus signi ad signatum est etiam ut quo, connexio, cum potentia intellectiva.

Verum solutionem istam voluntariam recijcimus primo; nam respectum ad signatum esse ut quo, connexionem cum potentia formaliter, aliud non est, quam esse id ratione cuius signum formaliter cum potentia connectitur; sed respectus ad signatum talis non est: ergo non est ut quo, connexio cum potentia intellectiva. Prob. min. Illud quod per se primo, & formaliter non connotat potentiam, nequit esse id ratione cuius signum per se primo cum potentia connectatur; sicut quia quantitas, vel figura per se primo, & ratione sui non connotant potentiam visivam, non possunt etiam esse id ratione cuius obiectum visibile cum praedicta potentia connectitur; sed respectus ad signatum ratione sui non connotat per se primo potentiam, sed signatum: ergo non potest esse id ratione cuius signum per se primo cum potentia connectitur: sicut si differentia specialis accidentis non connotaret ratione sui subiectum, non posset etiam esse formaliter id ratione cuius ac-

Mag. Froylan.

cidens specialiter subiectum respiceret.

Secundo impugnatur data solutio: Connexio specialis cum potentia, debet esse conceptus in adaequate distinctus a respectu, aut ordine ad signatum: ergo respectus ad signatum non est per se, & ratione sui connexio etiam ut quo cum potentia, sed hoc habet per alium in adaequatum conceptum. Prob. ant. Quando conceptus ita se habent, quod unus non exprimit alium, necessario se habent, ut in adaequati conceptus, ut constat in conceptu intellectus, & discursus in intellectu nostro, & in conceptibus naturae, & libertatis in nostra voluntate; sed respectus ad signatum non exprimit connexionem ullam cum potentia, sed unice cum signato, ut per se manifestum est: ergo non est per se, & ratione sui connexio cum potentia etiam ut quo, sed hoc habet per alium in adaequatum conceptum.

Tandem impugnatur solutio: quia differentia adaequata signi debet importare etiam ut quod connexionem specialem cum potentia: ergo falsa est data solutio. Prob. antec. primo: Ita comparatur obiectum medium intelligibile ad obiectum ultimum, & potentiam, sicut medium appetibile comparatur ad finem, & voluntatem; sed in ultima differentia medij appetibilis importatur connexio ut quod cum potentia

K

vo.

volitiva, aliàs non importaretur ut quod ratio volibilis, & amabilis, quod idem est ac esse connexum cum potètia volitiva. Ergò etiam in medio intelligibili connexio ut quod cum intellectu formalitèr importatur.

Secundò prob. ant. Ita se habet in suo genere signum, aut obiectum medium comparativè ad potentiam; sicut se habet in suo genere obiectum ultimum, vel signatum; sed in differentia adæquata signati importatur connexio ut quod cum potentia intellectiva. Ergò etiam in signo.

Tert. prob. ant. Quia omnia accidentia contrahunt essentialitèr communem rationem accidentis, in vltima differentia cuiuscumque accidentis importatur specialis in hærentia ut quod. Ergò etiam in vltima differentia signi importabitur specialis connexio ut quod, si semel essentialitèr contrahit signam rationem communem obiecti.

§. III.

Argumenta contrariorum diluuntur.

Contra conclusionem nostram poterat in primis argui ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 1. in corp. asserente: *Rem intellectam, ad intellectum aliquem posse habere ordinem, vel per se, vel per accidens, per se quidem habet ordi-*

nem ad intellectum à quo dependet secundum suum esse, per accidens autem ad intellectum à quo cognoscibilis est, iudicium autem de re non sumitur secundum id quod in est ei per accidens, sed secundum id quod in est ei per se: Vnde unaquaque res dicitur vera absolute secundum ordinem ad intellectum à quo pendet. Et in solutione ad primum ad authoritatem Augustini respondet ipsum excludere à ratione huius veritatis comparationem ad intellectum nostrum, nam id quod est per accidens, ab unaquaque definitione excluditur. Ergò secundum D. Thomam, obiectum, solum per accidens connexum est cum intellectu nostro, & consequenter in vltima differentia signi non ingreditur per se specialis connexio cum potentia intellectiva creata.

Respondetur, D. Thom. esse intelligendum de comparatione ordinis, vel relationis, quam res per se solum habet ad intellectum Divinum, à quo solo dependet in esse, & in veritate, & ad quem ut mensuram comparatur: Vnde ibidem subiungit, res artificiales etiam dici veras per ordinem ad intellectum nostrum, quia domus comparatur ad ideam existentem in intellectu, tanquam ad sui mensuram: non tamen loqui D. Thom. in authoritate relata de comparatione connexionis; nam omne obiectum secundum quod obiectum est, essentialitèr cum

po-

potentia connectitur. Et quidem si doctrina esset generalitèr intelligenda, etiam obiectum specificativum intellectus non esset cum intellectu connexum; siquidem non comparatur tanquam ad propriam mensuram, quod tamen asserendum non est, & propterea gravitèr miramur Doctum Thomistam, ad oppositum, authoritate D. Thomæ convinci, cum explicatio nostra expressa sit in littera D. Thomæ.

Et si dicas: Quod si intellectus creatus impossibilis redderetur, adhuc maneret obiectum; siquidem in illo eventu omnia que forent, cognoscerentur ab intellectu Divino. Ergò obiectum non connectitur cum intellectu essentialitèr, aliàs impossibilitate intellectu non posset obiectum perseverare.

Respondeo, argumentum solvendum esse à contrarijs, nam si aliquid probat, convincit etiam obiectum secundum rationem communem obiecti nō esse cum intellectu connexum; siquidem reddito impossibili intellectu creato perseveraret obiectum, & consequenter adhuc maneret ratio communis obiecti, quod tamen adversarij non asserunt. Vnde pro omnibus dicimus in illo eventu mensuram obiectum modo tantum repugnanti, eo quod modus ille intrinsecus connexionis, non perseveraret in illo, & sine modo prædicto, impossibile est obie-

ctum perseverare. Præterquam quod, si intellectus creatus redderetur impossibilis, etiam impossibilis redderetur omnipotentia Divina, & omnia obiecta creata, & ipsum obiectum specificativum intellectus; nam dum obiectum specificativum non redditur impossibile, per consequentiam à priori habetur esse possibilem intellectum.

Arguitur secundò: Implicat signum constitui per connexionem cum potentia. Ergò non constituitur in adæquatè per illā. Prob. ant. primò. Implicat speciē habere idem constitutum quod genus, nam species excedit genus in differentia essentiali, quam superaddit ad ipsum; sed signum est species obiecti, & obiectum in communi constituitur per connexionem cum potentia. Ergò implicat signum per connexionem constitui.

Secundò prob. ant. Si constituitur signum connexione cum potentia, non erit inter signa nostra specifica distinctio; siquidem omnia cum eadem potentia connexionem important; sed hoc est falsum. Ergò implicat, &c.

Tertiò prob. ant. Ens reale, & ens rationis conveniunt univocè in ratione signi; sed in connexione non conveniunt univocè. Ergò idem. Prob. miñ. Ens rationis connectitur cum potentia dependentèr ab ente reali, à quo

K 2

in

in cognosci dependet. Ergo in connexione cum potentia non conveniunt univocè; nam dependentia unius ab alio in aliquo predicato, tollit univocationem in ipso.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad primam probat. Facile dicitur, illam probare signum non constitui differentialiter per connexionem communem obiecti, quod concedimus, non tamen non constitui per specialem connexionem, quam superaddit ad genus; sicut speciale accidens specialem inhaerentiam superaddit ipsius constitutivam.

Ad secundam probat. neg. mai. Quia signa specie diversa, diverso etiam modo referuntur ad signatum, & diverso modo cum potentia connectuntur, & ita diversam connexionem important, & potentia in ratione termini connexionis diversa est formaliter, quamvis materialiter eadem sit.

Et si dicas: Quod quando unio, & connexio diversa est, diversa etiam requirit extrema, & consequenter si potentia, quæ est terminus, vel extremum connexionis non est diversa, connexio diversa non erit.

Respondetur potentiam esse distinctam formaliter in ratione termini, vel extremi connexionis, quia diverso modo connotatur, & mensuratur à signo, & hoc sufficere, ut in ratione termini diversa sit, & diversa sit ipsa

connexio: sicut terminus motus recti, & circularis diversus formaliter est, ut connotat diversos terminos à quo, & idem signatum, ut connotat signa diversa. Et eadem privatio gratiæ, ut connotat peccata actualia distincta.

Ad tertiam probat. antecedentis principalis, neg. min. & ad probat. dist. ant. Connexione, quæ ad entitatem sequitur per ordinem ad existentiam, conc. ant. tali modo non secuta, neg. antec. & conseq. Sub eadem distinctione, quia in ente rationis alia est connexio, quæ sequitur ad entitatem per ordinem ad existentiam, in qua quidem ens reale, & rationis univocè non conveniunt: alia vero est connexio quæ non sequitur ad entitatem in ordine ad existentiam, sed per ordinem ad extrinsecum terminum, in qua ens reale, & rationis conveniunt univocè, & unum non dependet ab alio, eo quod ita simpliciter respicit signatum, signum quod est aliquid rationis, ac signum quod est aliquid reale, & hæc sola connexio est constitutiva signi.

Sed instabis: Ens rationis in omni connexionem, & cognoscibilitate absoluta dependet ab ente reali, & cum illo analogatur; sed connexio cum potentia per ordinem ad signatum absoluta est, quia non est connexio, vel cognoscibilitas scientifica. Ergo in connexionem prædicta non habent univocam convenientiam.

Ref-

Respond. neg. min. Quia ut aliqua connexio, vel cognoscibilitas verè, & propriè dicatur absoluta, debet sequi ad entitatem per ordinem ad illius existentiam, si tamen non sequatur ad entitatem per ordinem ad existentiam, sed per ordinem ad aliquam extrinsecum terminum, quamvis non sit scientifica, non tamen dicitur absoluta, in communi Metaphysicorum sententia, sed verè dicitur respectiva, & possunt ens rationis, & reale in ea univocè convenire, sicut conveniunt in extrinsecum termino respiciendo.

Tertio arguitur: Connexio cum potentia, & respectus ad signatum non possunt costituere eandem adæquatam differentiam: ergo differentia signi adæquata, non importat utrumque. Probat. ant. primò: Prædicti conceptus differunt adæquatè; siquidem connotant terminos adæquatè distinctos, & inspectos modo diverso, quia potentia, & signatum differunt adæquatè, & potentia ipsa mensuratur à signo, quod potius mensuratur à signato: ergo connexio cum potentia, & respectus ad signatum non possunt constituere eandem adæquatam differentiam.

Secundò probat. ant. Principale, tales conceptus non ununtur mediante aliquo nexu, ut patet, nec se habent tanquam actus, & potentia, aliàs unus esset actuabilis per alium, & consequenter non

Mag. Froylan.

esset ultima differentia; sicut existentia non esset ultimus actus si per aliud actuaretur: ergo non possunt constituere eandem adæquatam differentiam.

Respond. ad argum. nego ant. & ad primam probat. nego ant. Quia licet signatum, & potentia esse rei distinguatur adæquatè, in ratione tamen termini solum differunt in adæquatè, & similiter in adæquatam solum distinctionem important connotatio ad potentiam mensuratam, & respectus ad signatum, ut mensuram, eo quod signum per modum obiecti mediæ mensurat potentiam in ordine ad signatum, & ut eam ducat in illius cognitionem: sicut in medio appetibili se habent in adæquatè connotatio ad potentiam appetentem, & respectus ad finem, & in virtute ordo ad subiectum, & respectus ad actum, eo quod virtus subiectum respicit non ibi sistendo, sed in ordine ad actum.

Ad secundam probat. ant. neg. conseq. Quia illi conceptus non ununtur mediante aliquo nexu, nec immediate per modum potentia, & actus, sed immediate per modum conceptus prioris, & posterioris, qui ad invicem se imbibunt, & mutuo connectuntur, quod sufficit ad immediatam proportionem, & unionem utriusque, ut in omnibus conceptibus in adæquatis connere licet.

K 3

Sed

Sed instabis primò. Differentia adæquata rei debet esse indivisibilis, & vna formalitas, sicut constituit vnam, & eandem speciem; sed conceptus prædicti non faciunt vnam formalitatem, cum sint conceptus diversi: ergò non constituunt eandem adæquatam differentiam.

Secundò instabis: Vna & adæquata differentia resultare nõ potest ex conceptu mensuræ, & conceptu mensurabilis, cum sint conceptus oppositi; sed signum connotat potentiam vt illius mensura, & refertur ad signatum, vt quid mensuratum ab illo: ergò connexio cum potentia, & respectus ad signatum constituere non possunt eandem adæquatam differentiam.

Respondet. ad primam replicam, dist. mai. Vna per exclusionem distinctionis adæquatè, conc. mai. distinctionis in adæquatè, neg. mai. & sub eandem, dist. min. neg. conseq. Quia conceptus prædicti mutuo se imbibunt, & includunt obiectivè, & ita solum differunt in adæquatè, quod non impedit eos adunari in eadem differentia.

Ad secundam instantiam, dist. mai. mensuræ ultimæ, conc. mai. intermediæ, neg. mai. & dist. min. mensuræ non ultimæ, conc. min. ultimæ, neg. min. Quia quavis esse ultimam mensuram, & ab alio mensurari non possint adunari in eadem differentia, esse ve-

rò mensuram non ultimam, & simul ab altero mensurari, necessario adunari debent, quia quod mensurat potentiam per modum mediæ, & non ultimò, eam mensurat perducendo ad aliud, vt ad obiectum vltimum, à quo medium mensuratur: sicut finis intermedius secundum essentialem differentiam mensurat potentiam, & simul à fine vltimo mensuratur.

Sed instabis: Mensura quatenus talis est terminus dependentiæ, mensuratum verò est dependentiæ subiectum; sed esse terminum dependentiæ alterius, & simul vt subiectum ab altero dependere, sunt opposita prædicata: ergò idem quod antea.

Resp. dist. min. comparata ad idem, conc. min. ad diversa comparata, neg. min. Et ita signum est terminus à quo potentia dependet, & simul subiectum, quod dependet à signato.

Et si dicas, quod ratio mensuræ ultimæ opponitur cum ratione mensurabilis, & adunari non possunt in eadem differentia, etiam comparativè ad diversa, vt constat in signato, in quo prædicti conceptus non adunantur: ergò idem dicendum in signo.

Negatur conseq. Quia mensura vltima secundum proprium conceptum vltima est, & ita secundum conceptum proprium, non ordinatur ad vltiorem mensuram, & propterea secundum

dum propriam differentiam non admittit ab altero mensurari, sed hoc advenit aliundè, nam omnis creatura habet mensurari à Deo, sed mensura intermedia secundum suam differentiam est non vltima, & ad alterum respectiva, & ideò secundum eandem differentiam mensurat, & mensuratur.

Quartò arguitur: Signum adæquatè constituitur per respectum ad signatum: ergò non constituitur in adæquate connexionem cum potentia. Prob. ant. Primò, eo constituitur adæquatè, quo adæquatè ducit in cognitionem signati; siquidem adæquatè est medium ductivum potentia; sed adæquatè ducit per respectum ad signatum, eo quod non aliter ducit, quam signatum manifestando, & ostendendo, quod habet dum respicit ipsum: ergò adæquatè constituitur per respectum ad signatum.

Secundò prob. ant. Eo constituitur adæquatè, quo etiam adæquatè ab omni alio distinguitur; sed differt ab omni alio adæquatè per respectum ad signatum: ergò per illum constituitur adæquatè. Prob. min. Respectus ad signatum adæquatè convenit signo, & alijs à signo nec in adæquatè convenit: ergò per talem respectum adæquatè differt ab alio.

Respondet. ad argum. neg. ant. & ad primam probat. dist.

mai. Quo ducit connexivè, vel formaliter, conc. mai. determinatè formaliter, neg. mai. & dist. min. formaliter, conc. min. connexivè, neg. min. & conseq. Quia licet signum formaliter, & expressivè solum ducat in signatum: ratione respectus quem dicit ad ipsum, in vltima tamen differentia non solum respectum, sed etiam connexionem specialem importare debet, cum secundum adæquatam differentiam ducat per modum obiecti, & ita differentia prædicta debet habere formaliter id, quo formaliter ducit, & id quo habet rationem specialis obiecti, quod est connexio specialis: sicut in vltima differentia particularis accidentis respectivi importatur respectus formaliter, connexus tamen cum speciali inhaerentia.

Dices: signum dicitur à significando, & à ducendo formaliter; sed solum significat, & ducit formaliter per respectum ad signatum: ergò adæquatè constituitur per illum.

Respond. dist. mai: à significando per modum mediæ in esse intelligibili, conc. mai. à significando quo ad solam generalem expressionem, neg. mai. & dist. min. expressivè, conc. min. connexivè, neg. min. & conseq. Signum namque non dicitur à significando expressivè, & formaliter tantum, quia hoc solum habet per respectum ad signatum, sed dicitur à significando per modum

obiecti mediij, & ideo significatio ipsius non praescindit obiectivè à connexionè speciali, quam ut obiectum medium importare debet, & ita in differentia adaequata importatur utrumque: sicut in ultima differentia signati importatur ratio significati passivè, quod solum habet in ordine ad signum, & ratio obiecti, quod habet per ordinem ad potentiam, & ex utroque conflatur differentia obiecti ultimi constitutiva signati.

Ad secundam prob. ant. principalis negatur minor, & ad probat. dist. ant. adaequatè convenit signo per inadaequationem cum ipso, conc. ant. ipsum adaequando, neg. ant. & conseq. Quia licet ille respectus subiectivè, & ex parte sui adaequatè conveniat signo, eo quod nihil respectus relinquitur extra signum; non tamen adaequat, adaequatam differentiam illius, secundum quam non solum importat rationem mediij respicientis, sed etiam rationem obiecti specialis, & ita secundum eandem differentiam importat specialem connexionem: sicut in ipso signato terminare signum, connectitur cum ratione terminandi potentiam, & ex utroque conflatur adaequata differentia, & adaequatè distinctiva signati.

Sed instabis primò: Etiam si connexio deficeret, maneret signum adaequatè constitutum, &

adaequatè distinctum ab omni alio: ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. Respectus ad signatum non convenit alijs à signo: ergò per illum manebit adaequatè constitutum, & distinctum etiam si connexio deficiat.

Secundò instabis: Si doctrina tradita vera est, solus respectus debet constituere in recto: ergò connexio non constituit. Probat. ant. Connexio non constituit, nisi quia cum respectu connectitur, & ratione illius: ergò solus respectus debet in recto constituere.

Respond. ad primam replicam, neg. ant. & ad probat. dist. consequens, constitutum, & distinctum modo chimerico, & repugnantem, conc. conseq. modo debito, neg. conseq. Quia respectus ad signatum soli signo convenit, sed si respectus maneret sine connexionè speciali cum potentia, esset respectus chimericus, eo quod respectus mediij intelligibilis obiectivè praecisus à connexionè cum potentia chimericus est, & ita chimericè constitueret, & distingueret signum; sicut si daretur notitia, quæ exigeret praesentiam obiecti esset quidem distincta à notitia abstractiva modo repugnantem, & chimerico; & si daretur animal exigens rationalitatè esset distinctum ab omnibus alijs ab homine, sed modo chimerico, & ita hominem chimericum, & modo indebito constitueret.

Ad secundam instantiam,

neg.

neg. ant. & ad prob. dist. ant. Respectu se habente ut termino incluso, & exacta indifferentia ut connexio constituat, conc. ant. ut ratione distinguendi expraesicisive, neg. ant. & conseq. Nam primus conceptus connexionis cum potentia ut specialis sit, debet alium includere obiectivè, & si semel ita alium includit, ipsa connexio specialis erit ratione sui & distinctionem in adaequatam praestabit: sicut in peculiare ratione sui distinguit in adaequatè relationem, quia ratione sui imbibit ad, & propterea ut in peculiare distinguat in adaequatè requiritur ad, non quidem ut ratio primò distinguendi, sed ut quid inclusum in altero conceptu distinguente primò.

Sed instabis: differentia etiam inadaequata constitutiva signi, debet esse differentia de linea obiecti mediij, aut obiecti essentialiter respectivi; sed connexio praedicta non est de linea obiecti essentialiter respectivi: ergò etiam inadaequatè nequit constituere signum. Prob. min. Eo esset de linea obiecti essentialiter respectivi, quia imbibit alium conceptum ordinis, vel respectus ad signatum; sed praedicta implicatio, vel inclusio non sufficit: ergò praedicta connexio non est de linea obiecti essentialiter respectivi. Prob. min. Etiam ens imbibit modum accidentis, & illum intimè claudit; & tamen ens commune non est de

linea determinatè accidentis, sed abstrahit à substantia, & accidenti: ergò à pari.

Respond. negando primam, & secundam min. & ad prob. dist. mai. imbibit, & claudit inclusione non adaequata, nec convertibili, conc. mai. Convertibili, & adaequata, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia ens non includit accidens inclusione convertibili, & adaequata; siquidem non adaequatur cum illo, sed se extendit ad substantiam, nec ipsum ens adaequatè sumptum cum accidenti convertitur, & propterea non est determinatè de linea accidentis: sicut quamvis essentia Divina relationes includat, non propterea essentia est de linea relativa, quia non convertitur cum illis, nec connectitur adaequatè; sed connexio specialis cum potentia implicat respectum ad signatum convertibiliter adaequatè, quia ad invicem se inferunt, & unus conceptus non extenditur ad plura, quam alter, nec convenit alicui, cui alter conceptus non competat; & ideo connexio praedicta est de linea obiecti essentialiter respectivi: sicut propter eandem rationem peculiare in relatione est de linea relativa formaliter.

Quintò arguitur: potest signum esse constitutum in linea obiecti formaliter, quamvis secundum conceptum differentialem non importet specialem cō-

ne.

nexionem: ergò prædicta connexion indifferentia signi necessaria non est. Prob. ant. primò: Habitus, & potentia creata secundum ultimam differentiam sunt formaliter de linea qualitatis, quæ linea constituitur per ordinem ad subiectum; & tamen secundum ultimam differentiam non dicuntur ordinem ad subiectum, sed solum ad obiectum vel actum, à quibus accipiunt speciem: ergò potest signum esse constitutum in linea obiecti formaliter, quamvis secundum differentiam suam, specialem connexionem non importet.

Secundò prob. ant. Rationalitas est formaliter intragenus animalis, quòd quidem adæquatè constituitur per rationem viventis sensibilis; & tamen rationalitas etiã inadæquatè sensibilitatem non importat: ergò idem.

Tertiò prob. ant. Signum consideratum in ordine ad signatum, & per respectum ad ipsum, est in linea obiecti formaliter; & tamen secundum talem respectum nullam connexionem importat, sed solam tendentiam ad aliud: ergò idem.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad primam probat. negat. min. Quia habitus, & potentia, & omnia accidentia essentialiter respectiva constituuntur adæquatè per ordinem ad subiectum; & simul respectum ad alterum, ut fati explicatum relinquitur: habitus

namque faciliat potentiam ad actum, & ita prius respicit potentiam, & ipsa potentia præstat subiecto proximam continentiam actionis, & ideo prius debet ipsum respicere.

Ad secundam probat. respondent aliqui neg. conseq. Et rationem discriminis reddunt, ex eo quod rationale propriè solum dicitur illud, quod potest intelligere discurrendo, & pro statu conjunctionis animæ ad corpus potest agere per sensus, quod proprium est animalis: Undè rationalitas solum potest animalibus convenire, & ita per se, & ex propria natura est differentia sub genere animalis contenta quin ad hoc sit necessarium ipsam per se importare specialem sensibilitatem ut quod; sed respectus ad aliud non continetur per se in genere obiecti, sed alijs convenire potest, quæ rationem obiecti non obtinent, & ideo, ut rationem obiecti determinet, debet importare connexionem specialem.

Et si illis objicias, quod etiam respectus ad signatum non potest alijs ab obiecto convenire, & consequenter est differentiam per se contenta intragenus obiecti.

Respondent, quod respectus ut defacto est, non potest alijs ab obiecto competere, sed hoc ideo esse quia defacto connexionem involuit; sed si respectum à conjunctione præscindas, non erit ille de genere obiecti medij, sed solum.

lum de genere entis, & ita poterit convenire alijs, quæ rationem obiecti non habent.

Verum quia invenimus speciem animalis adæquatè metaphysicè constitutam, quæ tamen proximè, & in actu secundò sensitiva non sit, ut constat in anima separata in qua nulla est potentia sensitiva; & tamen in ea salvatur essentia verè animalis rationalis, propterea.

Ad secundam probat. prædictam respondemus de essentia animalis non esse quod sit sensibile proximè, & in actu secundò, sed solum exactivè, & pro statu completionis, pro quo anima corpori coniuncta est, & operationem sensitivam exercere potest: sicut de essentia accidentis non est actualis inhaerentia, sed solum exigentia inhaerentia; & ita animal secundum suam essentiam tantum importat exigentiã sensibilitatis absolute, sed non ipsam sensibilitatem proximè, & in actu secundò. Quia propter ut rationalitas sit vera differentia animalis non debet importare specialem sensibilitatem ut quod, sed illam exigere tantum pro statu conjunctionis ad corpus, quod defacto rationalitas habet.

Ad tert. probat. principalis antecedentis, dist. min. expressivè, conc. min. connexivè, nego min. & conseq. Quamvis namque ille respectus non exprimat connexionem, illam tamen conver-

tibiliter adæquatè includit, & cum ea connectitur, quod sufficit, ut sit de linea obiecti formaliter: sicut ipsa connexio est de linea respectiva, quia respectum adæquatè, convertibiliter claudit.

Sed instabis primò: Si semel respectus ad signatum ratione sui connectitur cum alio conceptu connexionis cum potentia, erit etiam respectus ille ratione sui cum potentia connexus; nam quod connectitur cum extremo connexo cum potentia, etiam cum potentia connectitur; sed respectus ad signatum ratione sui non est cum potentia connexus: ergò non connectitur cum alio conceptu connexionis cum potentia.

Secundò instabis contra datam doctrinam, & cætera supra dicta: connexio præintellecta ad respectum, non potest esse de linea obiecti formaliter respectivi: ergò non illa, sed solus respectus debet constituere obiectum formaliter respectivum. Prob. ant. Illud de quo dicitur esse, & negatur respectus, non potest esse de linea respectiva, sed connexio præintellecta ad respectum, & est, & non est respectus: ergò non potest esse de linea obiecti formaliter respectivi.

Respondet. ad primam dist. mai. ratione sui, & à se, neg. mai. ratione sui, & ab alio, conc. mai. & dist. min. ratione sui, & à se, conc.

conc. min. ab alio, neg. min. & conseq. Nam ex replica solum infertur respectum ad signatum esse ratione sui cum potentia connexionum, non tamen à se, sed à conceptu, vel propter conceptum connexionis, quem includit, & ita alio secluso non erit respectus ille de linea obiecti formaliter. Exemplum adest in conceptu *in* peculiari, qui ratione sui est de linea relativa, non tamen à se, sed à conceptu *ad*, quem obiectivè claudit.

Ad secundam instantiam, neg. ant. & ad eius probat. dist. mai. si negatur pro implicito, & pro expresso conc. mai. si pro expresso, sed non pro implicito, nego mai. & dist. min. non est respectus pro expresso, conc. min. pro implicito obiectivo, neg. min. & conseq. Quia quamvis connexio pro expresso non sit respectus, ipsum tamen obiectivè implicat, & in suo formali conceptu, intimè claudit, quod satis est ut connexio sit de linea obiecti formaliter respectivi: Sicut propter eandem rationem peculiare *in* est de linea relativa formaliter.

§. VLTIMVS.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis in articuli discursu colligitur, signum esse formaliter in linea obiecti cog-

noscibilis, & extra genus entis formaliter, quod quidem satis explicatum relinquimus, & ex eo iterum suademus, quod signum naturale, & ad placitum in ratione signi habent univocam convenientiam, quam tamen extragenus cognoscibilis, & in linea entis habere non possunt, eo quod signum ad placitum est aliquid rationis, & ens reale, & rationis in genere entis non possunt univocè convenire.

Sed instabis contra præfactam doctrinam: quod signum in ratione obiecti mediij importat etiam rationem entis formaliter: ergò extragenus non est. Prob. ant. Signum formaliter in ratione obiecti mediij importat illam formalitatem, sub qua per intellectum attingitur, & terminat cognitionem; sed per intellectum attingitur sub ratione entis formaliter, quia universalissima ratio, universalissimæ potentiæ correspondere debet; & ita universalissima potentia intellectus, omnia sub ratione entis attingit: ergò signum in ratione obiecti mediij importat rationem entis formaliter.

In hac replica fidebat quondam Primarius Salmantinus ad oppositam sententiam, sed ea solum persuadet latissimam differentiam inter hominum ingenia; nam si doctrina ita generaliter vera est, probabit etiam obiectum scibile formaliter in ratione talis

non

Non esset extragenus entis, cum obiectum scibile formaliter ut tale, ab intellectu attingatur.

Facillimè ergò ad instantiam respondemus, negando ant. & ad probat. dist. min. Sub ratione entis ut de genere, & linea entis, neg. min. ut in linea adæquatè distincta conc. min. & negatur conseq. Nam dum dicitur intellectum omnia attingere sub ratione entis, non accipitur linea entis per ordinem ad existentiam per quam constituitur genus entis, vel per ordinem ad ipsam, aliàs dum obiectum scibile formaliter, ut tale cognoscit intellectus, ipsum scibile prout sic non esset extragenus entis formaliter. Dicitur ergò intellectum omnia attingere sub ratione entis, quia quidquid attingit, sub ratione entis attingit, vel per ordinem ad existentiam, vel per ordinem, aut connexionem cum proprietatibus entis, vel per respectum ad extrinsecum terminum, quocumque enim modo attingat entitatem absolutè, vel respectivè semper entitatem attingit, quæ tamen solum pertinet ad lineam, & genus entis formaliter, dum per ordinem ad existentiam attenditur.

Secundò instabis: differentia constitutiva signi non est de linea obiecti cognoscibilis formaliter: ergò signum formaliter in tali genere non est. Prob. ant. Differentia de linea obiecti cognosci-

bilis formaliter debet esse specialis connexio cum potentia intellectiva; sed differentia constitutiva signi non est specialis connexio cum potentia, in sententia probabilis asserente signum tantum constitui per ordinem ad signatum, qui quidem ordo specialis connexio non est: ergò differentia constitutiva signi non est de linea obiecti cognoscibilis formaliter.

Instantia hæc difficultatem non habet in sententia quam in articulo deffensamus, asserente quod licet ordo ad signatum non exprimat connexionem, illam tamen intimè claudit, & omnis differentia, quæ intimè claudit connexionem cum potentia, & ab ea obiectivè non præscindit, est formaliter differentia obiecti: sicut omne *in*, quod obiectivè includit *ad*, est formaliter de linea relativa.

Opposita verò sententia ad replicam factam respondet, respectum ad signatum non esse, ut quod connexionem specialem cū potentia, esse tamen connexionem specialem, ut *quo*, quatenus talis respectus specialem connexionem constituit, speciem obiecti determinando, & signatum respiciendo in ordine ad potentiam, cui signatum manifestat, & prout sic esse differentiam de linea obiecti cognoscibilis formaliter, cuius signum est, quod respectus ad signatum alijs ab obiecto non convenit.

Sed

Sed instabis: quantitatem, & figuram non esse differentias essentialis obiecti visibilis, quamvis in obiecto visibili reperiantur, quia quantitas, & figura non explicant connexionem per se cum potentia visiva; sed respectus ad signatum nullam explicat connexionem cum potentia cognoscente: ergo non poterit esse differentia de linea obiecti cognoscibilis formaliter.

Respondetur: respectum ad signatum non explicare connexionem ut quod, explicare tamen connexionem ut quo, quia explicat aliquid, quo connexio communis obiecti ad speciem determinatam contrahitur, quod tamen non habent quantitas, & figura, quae materialiter se habent ad obiectum visibile, & potentiam visivam, quatenus in esse rei coniunguntur cum obiecto praedicto; sed formaliter se habent communiter, & aequaliter ad obiectum potentiae visivae, & obiecta aliorum sensuum.

In nostra vero sententia facilis est solutio asserendo quantitatem, & figuram non explicare, nec formaliter imbibere differentiam visibilis, nec cum illa adaequatè converti modo explicato, sed purè materialiter se habere ad illam; respectum verò ad signatum, & si non exprimat connexionem, eam tamen intimè obiectivè, & convertibiliter adaequatè claudere, & propterea esse

differentiam de linea cognoscibili formaliter.

Tertiò arguitur: Signum, in probabili doctrina, constituitur formaliter relatione transcendentali; sed praedicta relatio non est de genere intelligibili, sed potius per omnia genera divagatur, quia relatio motus, & actionis transeuntis ad terminum de genere intelligibili non est: ergo signum formaliter non est de genere obiecti intelligibilis, & extragenus entis formaliter.

Resp. dist. min. Non est de genere intelligibili positivè ex conceptu communi, conc. min. Permissivè ex tali conceptu, & positivè ex differentia contrahente, neg. min. & conseq. Quia quamvis relatio transcendentalis ex conceptu communi non sit positivè de genere intelligibili, sed permittat per omnia genera divagari, ex conceptu tamen differentiali potest esse determinatè de genere intelligibili, & hoc de relatione transcendentali constituyente signum affirmamus in presenti.

Sed instabis: relatio transcendentalis etiam ex conceptu peculiari debet esse transcendens: ergo non est determinatè de genere intelligibili. Prob. ant. primò. Relatio transcendentalis obiecti intelligibilis transcendit formaliter ens reale, & ens rationis, & in utroque invenitur: ergo relatio transcendentalis etiam ex

con-

conceptu peculiari debet esse transcendens.

Secundò prob. ant. Praedicta quae competunt rationi communi, conveniunt omni inferiori; sed relationi transcendentali secundum communem conceptum competit per omnia genera divagari: ergo similis transcendentia debet competere illi etià, ut in genere determinato existenti.

Secundò instabis: relatio transcendentalis obiecti medij, vel signi non est formaliter de genere intelligibili: ergo solutio tradita nulla est. Prob. ant. Relatio praedicamentalis super eam fundata non est formaliter de genere intelligibili: ergo ipsa relatio transcendentalis de tali genere non erit; quia fundamentum, & res fundata ad idem genus pertinere debent.

Resp. ad primam replicam neg. ant. & ad primam probat. dist. ant. ens reale, & rationis ut ad diversa genera pertinentia, neg. ant. ut conveniunt in genere intelligibili, conc. ant. Sed hoc non est transcendere genera diversa; nisi tantum pro materiali, & quatenus in utroque materiali invenitur, in reali videlicet, & rationis, sed in eis, ut in genere intelligibili conveniunt, & adunantur formaliter.

Ad secundam probat. ant. respond. dist. mai. quae competunt positivè, conc. mai. quae

permissivè conveniunt, neg. mai. Et per omnia genera divagari non convenit positivè rationi communi, sed dumtaxat permissivè, quatenus ex tali conceptu non repugnat relationi transcendentali in quocumque genere reperiri.

Ad secundam instantiam, neg. ant. & ad probat. nego conseq. Quia fundamentum solum debet pertinere ad genus rei fundatae inchoativè, aut per modum principij, sed formaliter potest ad alterum pertinere genus; nam relatio praedicamentis scientiae, & potentiae est de linea relativa formaliter, & relatio transcendentalis in qua fundatur, non est de praedicamento relationis formaliter. Cum quo tamen componitur quod quando fundatum est aliquid reale, non potest fundamentum esse aliquid rationis, propter specialem causam, quae ens rationis non potest in formam realem aliquam activitatem habere.

Dices: relatio praedicamentalis fundata in relatione transcendentalis obiecti medij est formaliter de genere entis: ergo relatio transcendentalis, quae fundat nequit esse de genere intelligibili, eo quod fundamentum debet praecedere rem fundatam, & genus intelligibile nequit praecedere genus entis, cum fundetur supra ipsum.

Sed neg. conseq. Quia licet absolute genus intelligibile non possit

possit

possit præcedere genus entis, & in eadem entitate, eo quod intelligibilitas ad entitatem consequitur; potest tamen genus intelligibile præcedere genus entis in alia specie, vel rationem entis distinctam ab ea, super quam intelligibilitas fundabatur: Sicut obiectum formaliter, ut terminat actum scientiæ, est etiam forma-

liter de genere intelligibili, & præcedit relationem prædicamentalem ipsius obiecti ad scientiam, quæ formaliter est de genere entis: & hoc ideo quia entitas in qua fundatur prima intelligibilitas ab altera entitate diversa est, & ita ipsam præcedere potest,

(S)



ARTICVLVS IV.

*UTRVM RELATIO SIGNI AD SIGNA-
tum prædicamentalis, vel transcenden-
talis sit?*

§. PRIMVS.

Quibusdam prælibatis statuitur nostra conclusio.

ESSE quæstionem de nomine credunt aliqui difficultatem præsentem, sed cum differentia versetur in constitutione signi, non potest non esse de re; cum ex ea pendeat essentiam signi cognoscere, & quibus ea compe-

tat intelligere: ad cuius intelligentiam præmittenda est distinctio inter relationem prædicamentalem, & relationem quæ transcendentalis est, quarum prima est purus respectus, ad terminum proprium non ut causam, vel effectum, sed ut purum terminum tendit;

tendit: Secunda verò est ad terminum ut causam, vel ut mensuram, & non est respectus purus, sed ipsa entitas rei absolutæ ut alteri sub ordinata, & ab alio dependens, & propterea ad alterum, ut ad causam ordinata.

Secundò notandum est. Quod sicut in scientia ad obiectum duplex invenitur relatio; alia quidem transcendentalis, qua respicit obiectum, ut causam, & alia prædicamentalis ad priorem consecuta, & super illam fundata, per quam scientia suum obiectum, ut purum terminum respicit: ita etiã in signo duplicem recognoscimus relationem, unam transcendentalem ad signatum, ut mensuram, & aliam prædicamentalem ad signatum, ut terminum purum, & quænam ex his constituat. Præsens difficultas est.

Tertiò præmittendum est contra plures ex Thomistis, qui nobiscum in cõclusionem conveniunt, nos idem sentire de signo, & signato, & de significante, & significato; nam vox significans exercitè specificatur formaliter ab obiecto significato, & ad ipsum ordinatur ut finem, & consequenter importat ad ipsum relationem dependentiæ, ad quam consequitur prædicamentalis relatio: Exercitè namque significare est exercitium signi; & cum relatio prædicamentalis non possit esse exercitium relativi transcendentalis formaliter, in consequenter cre-

Ang. Freylan.

dimus loqui asserentes, significans, & significatum esse relativa prædicamentalia, & simul deffendentes signum relatione transcendentali constitui.

Id ipsum de sciente, & scito deffendimus; nam sicut inter movens, & motum; generans, & genitum, conceptum exercitè representatam, & obiectum representatum, importatur primario, & constitutivè transcendentalis relatio: ita etiam inter sciens, & scitum, eo quod sciens importat primò actum scientiæ, vel cognitionem dependentem ab obiecto, & ex consequenti relationem prædicamentalem superaddit.

Sed instabis: D. Thomam 1. p. 9. 13. art. 7. ad 6. affirmare, sciens, & scitum esse relativa prædicamentalia, & esse simul natura, unumquodque in suo intellectu claudere aliud, quæ tamen negat de scientia, & scibili, de quibus affirmat non esse simul natura, quia scibile secundum modum suæ significationis, præexistit scientiæ: ergo doctrina nostra contra Doctorem Sanctum procedit.

Sed quamvis doctrina D. Th. aliquantulum difficilis sit propter modum loquendi in solutione ad argumentum prædictum; revera tamen solum ibi loquitur D. Th. de scibili, & sciro comparative ad scientiam, vel scientificam cognitionem, ut actualiter existentem; nam scibile existens non connectitur cum scientia existente, sed

I. potest

potest præcedere illam; siquidem obiectum scibile potest existere, cuius tamen scientia non existat, & propterea inter scibile, & scientiam existentem, nec primò; nec ex consequenti importatur prædicamentalis relatio, quæ terminum existentem requirit: Scitum verò importat necessario connectionem cum scientia existente, & propterea necessario ex consequenti relationem prædicamentalem importat ad scientiam, & ex consequenti necessario tamē, simul est natura cum scientia, quæ terminat. Quamvis prima relatio scientiæ constitutiva tam in ordine ad scibile, quam in ordine ad scitum transcendentalis sit; cum utrumq̄ respiciatur ut causa; quæ solutio attente articulum consideranti manifesta fiet. In puncto igitur difficultatis duplicem sententiam habemus, & utramque inter Thomistas probabilem; alteram constituentem signum relatione prædicamentali, alteram verò affirmantem relatione transcendentali constitui. In qua sit,

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Sola relatio transcendentalis est constitutiva signi.

Conclusionem nostram pluribus in locis habet Angelicus Doctor; nam in 4. dist.

1. q. 1. art. 3. ad 1. affirmat: *Sacramentum esse aliquid unū in genere signi, vel causæ, quorum utrumque relationem importat; sed nomen causæ non importat relationem prædicamentalem: ergo nec signum illam importat formaliter.*

Etiā in 3. p. q. 60. art. 1. asserit: *Sacramentum esse in genere signi, quod utique de Sacramento per se primò considerato intelligendum est, nam hoc erat intentum articuli, & constat ex eo quod Sacramenta sunt signa practica gratiæ, instituta per se primò ad illā significandam; sed Sacramentum per se primò solum importat relationem dependentiæ, & inferioris ad effectum, quem producit: ergo idem.*

Uterius infra, q. 63. art. 2. in corp. & ad 3. concedit characterem absolute loquendo esse verè signum; & tamen negat ipsum esse in genere relationis, & solum concedit esse in genere qualitatis, & in specie potentiæ: ergo sentit signum non esse de genere relativo formaliter.

Insuper etiam 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. affirmat illa relativa esse talia secundum esse, quæ sunt imposita ad significandam relationem ipsam, sicut Pater, & Filius: ea verò, quæ imposita sunt ad significandam rem, quam consequitur relatio esse tantum relativa secundum dici; sed nomen signum impositum est ad significandam rem significantem, repræ-

seq.

sentantem, & ducentem ad aliud, ad quam quidem consequitur habitudo ad illud, quod repræsentat: ergo signum solum est relativum transcendentalis, non verò prædicamentalis, & de genere relativo formaliter.

Ratione tamen efficaci. Prob. conclusio nostra: Ea forma est constitutiva signi, qua ipsum per se primò constituitur in ratione mediij ductivi ad cognitionem signati; nam essentia signi, ut constat ex diffinitione illius, in ratione mediij ductivi consistere debet; sed per entitatem propriam ut pendente à signato, & relationem transcendentalis ad ipsum constituitur signum per se primò in ratione mediij ductivi: ergo sola transcendentalis relatio est constitutiva signi. Prob. min. Dum potentia cognoscit entitatem signi ut dependentem à signato, & transcendentaliter relatam ad ipsum, non potest non venire in cognitionem signati: sicut dum quis cognoscit creaturam, ut dependentem à Deo, & transcendentaliter ordinatam ad ipsum, non potest non in cognitionem Dei devenire. Et ex terminis implicat cognosci aliquam rem, ut dependentem ab alio, & non duci in alterius cognitionem: ergo signum constituitur per se primò in ratione mediij ductivi per propriam entitatem, ut pendente à signato, & relationem transcendentalis ad ipsum.

Respondent adversarij rationi factę, neg. mai. Asserunt namq̄ ratione mediij ductivi non esse differentiam constitutivam signi formaliter, sed esse dumtaxat fundamentum, & ad propriam differentiam signi essentialiter requisitum: differentiam verò esse eandem rationem mediij formaliter, ut substituti pro alio; cumque relatio substituti pro signato, prædicamentalis sit, inde fit signum relatione prædicamentali constitui.

Solutionem istam adversariorum communem, totaliter voluntariam apprehendimus: unde nãque oriri potest quod relatio substituti pro signato prædicamentalis sit; cū potius relatio substituti sit relatio dependentiæ; nã sicut substitutum per se, & à natura pro alio, est inferius ad alterum, eo quod substitutum à natura pro alio, à natura etiam ad alterum ut ad finem ordinatur, ita etiam relatio substituti est inferioris formaliter, & consequenter est relatio dependentiæ; qua propter:

Impugnatur primò data solutio: Ea forma est signi constitutiva, cuius exercitium est primum in signo formaliter; sed exercitium mediij ductivi, quod est ducere potentiam in cognitionem signati, & illud manifestare est exercitium primum in signo: ergo ratio mediij ductivi debet esse forma, qua constituitur signum. Prob. min. Illud est exercitium primum signi, quod per se primò

intenditur à natura; sed manifestare signatum, & ducere potentiam in cognitionem illius per se primò intentum est à natura; siquidem signa in quantum talia non sunt instituta ut sint, sed ut aliud repræsentent, quod etiam lib. 1. de Doctr. Christiana, cap. 1. tradidit August. ergò ducere potentiam in cognitionem signati est exercitium primum, quod reperitur in signo.

Eadem doctrina explicatur: Si forma constitutiva signi esset prædicamentalis relatio, non autem ratio mediij ductivi, exercitium primum, & per se intentum in signo non esset ducere, sed ad alterum actualiter referre; siquidem actualiter referre est exercitium primum relationis prædicamentalis: ergò non verè diceretur signa instituta fuisse ut alterum repræsentent; nam prædictus modus loquendi denotat ipsam repræsentationem actualem esse finem per se intentum in institutione signi.

Secundò impugnatur data solutio: Relatio constitutiva signi, est relatio mediij intelligibilis; sed relatio constitutiva mediij intelligibilis, prædicamentalis non est: ergò idem. Prob. min. Relatio constitutiva mediij intelligibilis debet esse de linea intelligibili, & non formaliter extra illam; sed relatio prædicamentalis non est formaliter in linea intelligibili; sed potius in linea entis adæqua-

tè distincta: ergò relatio constitutiva mediij intelligibilis prædicamentalis non est.

Secundò prob. min. Sicut comparatur medium appetibile ad finem, ita comparatur mediij intelligibile ad obiectum intelligibile ultimum; sed relatio constitutiva mediij appetibilis, prædicamentalis non est, sed solum est relatio dependentiæ, & specificatiōnis à fine: ergò similis relatio ad obiectum ultimum erit constitutiva intelligibilis mediij.

Tertiò impugnatur solutio: Relatio constitutiva signi, est relatio substituti, ut adversarij fatentur; sed relatio substituti prædicamentalis non est: ergò idem. Prob. min. Relatio substituti est relatio rei, non intentæ propter se, sed propter aliud ut finem, quia substitutum ut tale non est propter se, sed dumtaxat propter eius proprietarium; sed relatio rei non intentæ propter se prædicamentalis non est: ergò relatio substituti non est prædicamentalis.

Secundò prob. min. Sicut signum substituitur pro signato, ita species substituitur pro obiecto tanquam illius vicaria; sed relatio substitutionis in specie prædicamentalis non est, cum sit relatio dependentiæ, & subordinatiōnis ad obiectum repræsentatum: ergò etiam relatio substituti in signo prædicamentalis non est.

Quartò impugnatur tradita solutio: Forma constitutiva signi

signi naturali, debet convenire univocè cum forma constitutiva signum ad placitum: Sicut & ipsa signa formaliter, habent convenientiam univocam; sed relatio prædicamentalis utriusque non potest univocè convenire: ergò forma constitutiva utriusque prædicamentalis relatio non est. Prob. min. Relatio prædicamentalis in signo ad placitum est relatio rationis, & in signo naturali relatio realis; sed relatio prædicamentalis realis non potest univocè convenire cum relatione prædicamentali rationis, aliàs inter ens reale, & rationis in genere entis daretur univoca convenientia; cum relatio prædicamentalis semper sit de genere entis: ergò min. vera est.

Secundò probat. conclusio nostra ratione: Seclusa forma constitutiva signi, ipsum formaliter perseverare non potest; sed deficiente prædicamentali relatione perseverat signum formaliter: ergò non constituitur relatione prædicta. Prob. min. Mortuo Rege non perseverat in imagine illius relatio prædicamentalis ad ipsum, eo quod relatio prædicamentalis realis requirit extrema realiter existentia; & tamen adhuc perseverat imago in ratione signi formaliter; siquidem adhuc pro Rege substituit, & ducit potentiam in cognitionem illius: ergò deficiente prædicamentali relatione perseverat signum

Mag. Froylan.

formaliter.

Respondebis, deficiente relatione prædicta non perseverare formaliter, sed solum fundamentaliter signum.

Sed contra est: Quia exercitium signi primum perseverare non potest dum non manet signum formaliter; nam exercitium primum provenit à forma specifica; sed deficiente relatione prædicta, adhuc perseverat exercitium signi primum; siquidem adhuc imago ducit potentiam in cognitionem prototypi: ergò perseverat signum formaliter.

Secundò rejicitur: Sicut scientia comparatur ad obiectum per modum mensurabilis ad mensuram, ita signum comparatur ad signatum; sed deficiente relatione prædicamentali perseverat scientia formaliter: ergò eadem seclusa manebit formaliter signum.

Tertiò impugnatur: Si doctrina tradita vera est, non erit conceptus signum naturale formaliter, signati non existentis realiter; siquidem ad hoc non potest conceptus relatione prædicamentali referri; sed hoc affirmare solum est pro voluntate discurre, non verò attendere veritatem: ergò solutio tradita nulla est.

Respondebis imaginem, & conceptum non existente signato, importare relationem prædi-

camentalem rationis, & per eam formaliter in ratione signi constituitur.

Sed contra solutionem istam faciunt plura ex supradictis, & ulterius: relatio ista rationis ad nihil necessaria est; siquidem potest signum sine illa primum exercitium habere, actualiter ducendo potentiam in cognitionem signati.

Deinde ex prædicta solutione evidenter infertur imaginem, ut repræsentativam signati præsentis, & absentis non esse univocè signum, eo quod relatio prædicamentalis reali, non habet univocam convenientiam, cum relatione prædicamentali rationis. Ex quo sequitur ulterius non omnia signa naturalia habere in ratione signi univocam convenientiam, cum imago respectu signati tam absentis, quam præsentis signum naturale sit.

§. III.

Solvuntur argumenta contrariorum.

Contra conclusionem nostram arguitur primò ex D.

Thoma in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. asserente: Baptismum in quantum est Sacramentum esse in genere relationis, quod tamen ita non esset si non constitueretur per relationem prædicamentalem, quæ sola dicitur absolute de genere relativo; sed in quantum Sa-

cramentum est signum: ergò idè de signo dicendum.

In tert. etiam p. q. 63. art. 2. ad 3. affirmat signum importare relationem fundatam in aliquo; sed relatio transcendentalis non fundatur supra aliud, quin potius est ipsa entitas rei, ut ab alio dependentis: ergò signum ut tale relationem prædicamentalem importat.

Tandem in eodem loco asserit relationem, quæ importatur in nomine signi, super aliquid fundari, & cum relatio characteris supra animam fundari non possit, aliquid aliud debet in anima poni, super quod possit fundari, quod aliud est essentia characteris, & ita non oportet, quod sit in genere relationis. In quibus negat characterem esse per se primo signum, & in genere relationis, quia relatio quam character quatenus signum importat, fundatur supra essentiam characteris eamque supponit. Sentit ergò D. Thom. signum esse de genere relativo, & relatione prædicamentali constitui.

Hæc tamen omnia difficilia non sunt, & ad primum respondetur D. Thom. solum intendere Baptismum in quantum Sacramentum esse in genere relationis non quidem absolute loquendo de genere relationis, sed solum quantum ad rationem communem respectus, qui enim convenit relationi transcendentali. Ratio au-

autem ea est, quia ibidem asserit in quantum Sacramentum esse in genere causæ; cumque causa non sit de genere relativo simpliciter, inde fit Sacramentum, & signum non esse de tali genere absolute, & cum omni proprietate loquendo.

Insuper etiam ibidem loquitur de Sacramento pro formali contra positivè ad materiam, scilicet ablationem, quæ ratione sui non importat aliquem respectum ad gratiam etiam transcendentalem, sed solum illum habet ratione formæ, ratione cuius respicit gratiam, & ideò de illo pro formali contra positivè ad materiam, rectè asserit esse de genere relationis, vel de ordine respectus, quamvis respectus prædictus transcendentalis sit. Et ultra si dicemus esse de genere relationis, duntaxat, consecutivè, facile solvimus argumentum, nec solutio est contra litteram D. Thomæ.

Ad secundam auctoritatem respondetur: Signum importare relationem fundatam in aliquo, non tamen constitutivè, sed solum consecutivè; sicut etiam scientia importat relationem fundatam in aliquo, quatenus importat relationem prædicamentalem fundatam in relationem transcendentalem, qua constituitur scientia.

Ad tert. respond. simili modo, quod dum D. Thom. asserit relationem, quæ importatur in

nomine signi in aliquo fundari, loquitur de relatione prædicamentali, quæ in nomine signi consecutivè importatur, & quam etiã importat consecutivè character, & quia ante talem relationem intelligitur characteris essentia, propterea asserit ipsum non esse in genere relativo: Sicut dum in quarto loco superius citato affirmat Sacramentum esse in genere signi, vel causæ, quorum utrumque relationem importat, non potest intelligi de relatione constituyente, quia causa constitutivè relationem prædicamentalem nõ dicit. Nec est modus in usitatus, sed potius valdè usitatus loquendi, dicere rem importare, quæ illam concomitantur.

Sed instabis: D. Thom. intendebat argumento probare, characterem esse in genere relationis, quia est signum, & signum in genere relationis existit, cui argumento, si doctrina tradita vera est, facile responderet negando signum esse de genere relationis; sed ita non respondet: ergò quia sentit ipsum esse de genere relationis constitutivè, & formaliter.

Respond. tamen facilè: D. Thom. in re negasse signum esse formaliter de genere relationis; siquidem affirmat characterem esse signum, dum dicit: *Relatio autem huius signi quod est character, & simul characterem esse negat de genere relativo: non tamen hoc explicitè negare voluisse, eo quod*

in nomine signi vtraque relatio importatur; & propterea voluit cum distinctione procedere, ex qua tamen clarissimè constat ipsum in re negare characterem, & signum esse formaliter, & constitutivè de genere relativo.

Et ex eadem doctrina satis efficaciter oppositum intenti suadet; quia D. Th. expressè asserit characterem esse in genere signi; sed expressè etiam negat characterem esse de genere relativo: ergò sentit signum formaliter non esse de genere relativo.

Secundò arguitur: Signum quatenus tale formaliter est relativum verè prædicamentale: ergò relatione prædicamentali constituitur. Prob. ant. primò: Quod non potest diffiniri, vel cognosci nisi in ordine ad alterum, verè est prædicamentale relativum; sed signum non potest diffiniri, vel cognosci nisi in ordine ad signatum: ergò relativum est verè prædicamentale.

Secundò prob. ant. Signo quatenus taliconvenit proprietas quartò modò relativi prædicamentalis: ergò prædicamentale relativum est. Prob. ant. Signum quatenus tale simul cognitione cum signato; quando quidem cognosci non potest, quin signatum cognoscatur in obliquo; sed hoc est proprium relativi prædicamentalis: ergò verum est antecedens.

Respond. neg. ant. & ad pri-

primam prob. neg. mai. Quia potentia non potest diffiniri nisi in ordine ad obiectum, & actum, & idem de habitu scientiæ, & virtutis, quæ tamen relativa prædicamentalia non sunt; quia non diffiniuntur ad aliud, vt purum terminum, quod est proprium relativi prædicamentalis, sed ad aliud vt ad mensuram, & causam, qualiter etiam signum diffinitur per ordinem ad signatum.

Ad secundam prob. ant. neg. ant. Quod non convincit probatio; quia esse simul cognitione convenit omnibus essentialiter connexis; nam omnipotentia cognosci non potest, nisi possibilia cognoscantur in obliquo, nec permissio peccati potest cognosci, quin peccatum in obliquo cognoscatur: Vnde hoc proprium non est relativorum prædicamentalem, sed illorum proprium est, esse simul cognitione, & natura, quod quidem signo non convenit in ordine ad signatum; cum signatum natura præcedat signum.

Sed instabis: Si signum non est simul natura cum signato, non erit etiam simul cognitione cum illo: ergò si est simul cognitione, erit etiam simul natura. Prob. ant. Si signatum natura præcedit signum, poterit pro illo priori cognosci, quin signum cognoscatur: ergò si non est simul natura, non est simul cognitione.

Respondet M. Lerma: Signum quatenus tale esse etiam simul

mul natura cum signato, tanquam cum sui mensura, sed non esse simul cum illo, tanquam cum puro termino, & hoc secundum relativa prædicamentalia requirunt.

Sed solutionem in advertenter tradidisse credimus; quia si est simul natura cum signato, erit simul cum ipso tanquam cum termino puro, eo quod si signatum respicit vt mensuram, & causam non potest esse simul natura cum ipso; siquidem omnis causa quatenus talis, natura præcedit effectum, & ideò.

Ad replicam negatur vtrumque antecedens; quia signatum vt tale essentialiter cum signo connectitur, & ita quamvis natura præcedat ipsum, non poterit cognosci, quin signum per eandem cognitionem attingatur in obliquo: Sicut obiectum specificans scientiam præcedit illam natura, & materia in suo genere causæ, præcedit natura formam; & natura vt radicans eodem modo proprietates præcedit; & tamen obiectum vt causans non potest cognosci, quin scientia cognoscatur in obliquo; nec materia sine forma; nec natura vt radicans sine proprietatibus suis.

Instabis: ex quo signatum vt tale essentialiter connectatur cum signo, non infertur debere cognosci signum pro illo priori, quo cognoscitur signatum: ergò solutio nulla est. Prob. ant. Essentia Divina terminat amorem vt con-

nexa cum possibilibus; & tamen possibilia illum amorem non terminant, & permissio vt connexa cum peccato diligitur, quin peccatum diligitur; & signatum vt connexum cum potentia terminat relationem signi, quam tamen potentia non terminat: ergò ex quo signatum sit connexum essentialiter cum signo, non bene infertur debere cognosci in obliquo quando signatum cognoscitur, vel eandem cognitionem in obliquo terminare.

Respond. neg. ant. & ad probat. neg. conseq. Quia signum, & signatum conveniunt in ratione cognoscibilis, & ita si vnum cognoscitur vt cum altero connexum, non potest alterum in obliquo non cognosci, sed peccatum, & creaturæ possibles non conveniunt in ratione boni, & amabilis, cum permissione, & omnipotentia Divina; & ideò ex quo omnipotentia, & permissio terminent amorem vt connexa, non infertur peccatum, & possibilia amorem terminare. Quod idem dicendum est de potentia, quæ non habet rationem mensuræ signi, etiam secundum formalitatem secundariam illius, & ideò non potest relationem mensurabilis cum signato terminare.

Tertiò arguitur: Differentia specifica signi debet esse prædicamentalis relatio: ergò per illam constituitur. Prob. ant. primò: Differentia specifica signi debet esse

esse relatio mensurabilis ad mensuram; sed relatio mensurabilis ad mensuram prædicamentalis est, & in tertio genere relationis prædicamentalis constituta: ergo differentia specifica signi debet esse prædicamentalis relatio.

Secundò prob. ant. Differentia specifica signi est ratio medi ductivi; sed per relationem prædicamentalem ducit; cum ea cognita non possit non cognosci signatum: ergo idem.

Tertiò prob. Differentia specifica imaginis est prædicamentalis relatio; nam August. 7. de Trinit. cap. 1. Affirmat quod imago directè, & formaliter significat relationem secundum esse: ergo etiam differentia specifica signi; quia imago imperfecta est verè signum; & ita idem de signo, & imagine prædicta dicendum.

Quartò prob. Differentia specifica signi est relatio propria signi; sed hæc prædicamentalis est: ergo idem. Prob. min. Ex quo signum mensuretur à signato, inferunt omnes resultare in ipso signo relationem prædicamentalem; sed hæc non est alia, quam relatio signi: ergo relatio propria signi prædicamentalis est.

Quintò prob. Relatio prædicamentalis est verè signum in ordine ad propriam causam efficientem, cui verè subordinatur; sed differentia specifica relationis prædictæ in ratione signi, est præ-

dicamentalis relatio; aliàs secundum specificam differentiam prædicamentalis non esset: ergo idem.

Sextò probatur: Specifica differentia creaturæ in ratione signi Dei est quædam relatio fundata supra rationem effectus; cum ad rationem effectus consequatur ratio signi; sed relatio fundata supra relationem effectus prædicamentalis est: ergo idem quod prius.

Respond. ad argum. negando ant. & ad primam prob. distinguo min. Prædicamentalis fundamentaliter, conc. min. formaliter, neg. min. & conseq. Quia relatio mensurabilis ad mensuram formaliter est relatio dependentiæ, & solum fundamentaliter est prædicamentalis relatio, quatenus fundat relationem prædicamentalem, quæ dicitur mensurabilis ad mensuram propter defectum nominis proprii, & denominatione à fundamento desumpta, ut ita explicetur distinctio illius à cæteris relationibus, quæ fundantur in unitate, & numero, in actione, & passione; sicut terminus complexus dicitur talis non quidem à forma, quæ unica est, sed ab eius fundamento, & partibus, ut sic melius explicetur ipsius à termino incompleto distinctio. Et argumentum probat potentiã, & scientiam fore relativa prædicamentalis; cum utriusque relatio sit mensurabilis ad mensuram, quod

quod tamen adversarij non intendunt.

Ad secundam probat. dist. min. ducit per connexionem, conc. min. Per dependentiam à termino, & subordinationem ad ipsum, neg. min. Et differentia specifica signi est ratio medi ductivi per subordinationem ad signatum, & dependentiam ab illo: sicut differentia specifica medi appetibilis importat formaliter dependentiam à fine.

Ad tertiam prob. dicere poteramus imaginem secundum proprium conceptum esse de genere entis, & similitudinem expressam, & productam ab alio, quorum utrumque cum relatione prædicamentali componitur.

Sed quia licet in imagine perfecta, quale est Verbum Divinum, de quo solo loquitur Augustinus, non reperiatur formaliter dependentia, sed præcisè origo, & expressio ab alio, in hac inquã, doctrina data vera sit, vera tamen esse non potest in imagine imperfecta, quæ formaliter à Prototypo dependet. Propterea.

Ad tertiam prob. neg. ant. Quia imago secundum conceptum formalem, & communem solum dicit esse expressam similitudinem, sed si imperfecta sit, per se primò importat esse similitudinem expressam deficientem à Prototypo, & illi subordinatam, quod quidem per relationem transcendentalem habetur, quã-

vis super eam fundetur prædicamentalis relatio, quæ imaginem iam constitutam supponit.

Ad quartam probat. dist. mai. signi primariò, conc. mai. consecutivè, neg. mai. & sub eadem dist. min. negatur conseq. Quia relatio prædicamentalis, quæ consequitur in signo, solum pertinet ad ipsum consecutivè: Sicut proprietates ad speciem, aut accidentia communia ad naturam, non tamen est propria signi primariò, sed ante illam supponitur relatio transcendentalis, quæ magis est propria signi.

Ad quintam prob. neg. min. Quia differentia specifica relationis prædicamentalis in ordine ad suam causam, quatenus signatum ipsius, est transcendentalis relatio de genere intelligibili formaliter. Nec mirum est illam in esse rei esse de genere entis, & in esse signi esse de genere intelligibili; nam accidens secundum suum esse est de genere entis, & in ratione signi de genere intelligibili est.

Ad sextam resp. dist. mai. Supra rationem effectus materialiter, & in ratione representantis formaliter, conc. mai. supra rationem effectus formaliter, neg. mai. Quia creatura secundum eandem entitatem, & est effectus Dei, & ipsum deficienter representat, & supra utramque formalitatem fundatur relatio, alia quidem transcendentalis, & prima supra

supra rationem effectus, ut dependentis à Deo tanquam à causæ efficiente, quæ utique est de genere entis; alia verò relatio signi fundatur supra eandem entitatem ut Deum repræsentantem, & terminatur ad Deum ut signatum, quæ quidem formaliter est de genere intelligibili, & non de genere entis. Ex quo constat relationem primò fundatam supra rationem effectus prædicamentalem non esse, sed potius transcendentalem, & ideo minorem replicæ non esse absolutè veram, sed tantum verà esse de relatione secunda fundata supra rationem, & relationem effectus.

Sed instabis: Relatio creaturæ in ratione signi ad Deum, necessario prædicamentalis est: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. primò: Talis relatio supra alterum fundatur: ergò prædicamentalis est; quia relatio supra alterum fundata semper est prædicamentalis.

Secundò prob. ant. Relatio prædicta non est ad Deum ut causam: ergò prædicamentalis est. Prob. ant. Si esset ad Deum ut causam, esset ipsa relatio effectus; sed eadem non est: ergò non est ad Deum ut causam.

Tertiò probat. ant. Relatio, quæ constituit creaturam in ratione signi est adæquatè distincta, à relatione constituente creaturam in ratione effectus; sed hæc secunda est transcendentalis: ergò al-

tera prædicamentalis est.

Resp. ad replicam neg. ant. & ad primam prob. dist. ant. Supra alterum entitative, & cum reali distinctione ab illo, neg. ant. sola distinctione formali, conc. ant. & neg. conseq. Nam talis relatio non fundatur supra entitatem creaturæ, ut quid entitative diversum à prædicta entitate, sed ut quid virtualiter à parte rei, & formaliter ratione distinctum, quomodo non implicat relationem transcendentalem supra alterum fundari, licet in relatione prædicamentali implicatorum sit, eo quod relatio prædicamentalis realiter entitative à fundamento distinguitur.

Ad secundam probat. dist. ant. ut causam efficientem, conc. ant. mensurantem extrinsecè, neg. ant. Quia relatio transcendentalis effectus, est ad Deum ut ad causam efficientem, sed relatio signi est ad Deum ut repræsentatum deficienter, & ut causam mensurantem,

Ad tertiam probat. neg. conseq. Quia licet utraque relatio, effectus, & signi transcendentalis sit, differunt tamen adæquatè, eo quod vna est de genere entis, & alia de genere intelligibili, & vna supponit alteram, & fortasse potest supra alteram fundari, quia licet relatio prædicamentalis, eo quod purus respectus, & minimæ entitatis non possit activitatem habere ad alteram relationem fun-

fundandam, benè tamen transcendentalis relatio, quæ est entitas absoluta, & minimè entitatis non est.

Quartò arguitur: Signum ad placitum non constituitur relatione transcendentali rationis: ergò nec cætera signa; cum de omnibus eadem ratio sit. Prob. ant. primò: Relatio transcendentalis identificatur cum esse absoluto rei cuius est; sed relatio transcendentalis rationis identificari non potest cum voce ad significandū imposita; cum vox sit entitas realis: ergò signum ad placitum non constituitur relatione transcendentali rationis.

Secundò prob. ant. Relatio rationis constitutiva signi ad placitum, est aliquod membrum divisivum entis rationis; sed relatio transcendentalis signi ad placitum non potest esse divisiva entis rationis: ergò prædicta relatio transcendentalis non est. Probat. min. Illa relatio non est negatio, vel privatio, vel relatio secundum esse; sed ens rationis adæquatè dividitur in prædicta: ergò illa relatio nō erit divisiva entis rationis.

Confirmatur: Differentia constitutiva signati est relatio rationis secundum esse: ergò etiam relatio rationis secundum esse, vel prædicamentalis, debet constituitur signum. Probat. ant. Signatum formaliter est denominatio extrinseca, quæ nihil reale ponit, sed dumtaxat ponit aliquid ratio-

nis; sed prædictum ens rationis solum potest esse relatio secundum esse; non verò relatio transcendentalis ad signum; cum signatum non referatur ad signum relatione aliqua dependentiæ: ergò differentia constitutiva signati debet esse relatio secundum esse.

Respond. ad argumentum, neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. rei cuius est fundamentaliter, conc. mai. rei cuius est per modum formæ efficientis, neg. mai. & concessa min. negat. conseq. Quia licet relatio transcendentalis non sit realiter à fundamento distincta, non tamen petit etiam identificari cum re cuius est per modum formæ efficientis, qualiter relatio signi ad placitum se habet ad vocem, cui concipitur adhærere, & per modum intrinsecæ formæ inhærentis in ipsa; identificatur verò cum extrinseca impositione in qua fundatur, non quidem in illa secundum se, sed in illa ut concepta admodum formæ intrinsecæ, qua ratione impositio extrinseca aliquid rationis est.

Ad secundam probat. responderi poterat quod sicut denominatio extrinseca visi, quatenus involuit formaliter negationem formæ realis intrinsecæ constituentis visum obiectum, fundat ens rationis, quod dicitur in negatione fundatum; ita denominatio extrinseca impositi, quatenus involuit carentiam realis im-

positionis intrinsecæ, fundat in signo relationem transcendentalem rationis, quæ dicitur negatio fundamentaliter, vel supra negationem fundata saltem connexivè, idest supra extrinsecam impositionem, vt connexivè importantem carentiam intrinsecæ impositionis in voce. Aliter tamen, & melius.

Ad secundam probat. negatur min. & ad probat. negatur similiter minor; quia ens rationis non dividitur adæquatè, in negationem, privationem, & relationem secundum esse determinatè, sed in relationem abstrahentem à relatione secundum esse, & à relatione secundum dici, & utraque sub tertio membro, relatione videlicet comprehenditur; & ita relatio signi ad placitum in tertio membro continetur.

Sed instabis difficiliter: quia omne ens rationis debet pro fundamento importare negationem, privationem, vel relationem, eo quod divisio entis rationis in prædicta, est divisio illius pro fundamento; siquidem pro formali nullum ens rationis est negatio, vel privatio, sed quædam forma positiva; sed relatio prædicta transcendentalis supra relationem alteram transcendentalem non fundatur, vt patet, nec supra negationem, vel privationem: Ergo prædicta relatio transcendentalis non est.

Respondetur tamen: Divi-

sionem prædictam non esse pro fundamento, sed esse divisionem entis rationis formaliter, appellari tamen ex parte negationis, & privationis nomine fundamenti, propter defectum nominis proprii, aut ne divisio in utiliter extendatur nomina diversa afferendo. Ex parte verò relationis, non per nomen fundamenti, sed per nomen formæ explicatur congruenter, eo quod omnes relationes rationis conveniunt in unico relationis communi conceptu, qua propter idem est sic dividere, ac dicere ens rationis, vel est forma positiva fundata in negatione, vel in privatione, vel est relatio formaliter, quæ quidem vt talis supra formam positivam fundatur.

Hoc autem ita contingere, debent adversarij concedere, ipsi namque affirmant in signo ad placitum reperiri relationem rationis secundum esse; sed si in signo ad placitum non datur transcendentalis relatio, ipsa relatio secundum esse, non fundabitur in relatione transcendentali, quæ non est, nec in privatione, vel negatione, vt fatentur: ergo non omni relatio rationis debet fundari in negatione, vel privatione, aut altera relatione, sed poterit fundari in extrinseca denominatione, vel in aliqua forma positiva, quod verius est: vnde omne ens rationis, vel fundatur in negatione, aut privatione, vel in for-

forma positiva, & hoc ultimum erit relatio in tertio membro constituta. In quo quidem satis immorati sumus, quia rem difficilem explicamus.

Ad confirm. verò argumenti principalis, neg. ant. & ad probat. neg. mai. Quia sicut denominatio signi intrinseca est, & ab intrinseca intelligibilitate obiecti medij provenit; ita etiam denominatio signati intrinseca est, & provenit ab immaterialitate propria, per quam constituitur in ratione ultimo terminantis.

Sed instabis: Intrinseca intelligibilitas signati nequit ipsum constituere in ratione talis: ergo signatum vt tale debet constitui per relationem rationis fundatam in extrinseca denominatione signati. Prob. ant. primò: Signatum comparatur ad signum; sicut cognoscibile ad intellectum; sed obiectum non constituitur intelligibile proximè per intelligibilitatem propriam, sed per respectum rationis ipsius ad intellectum: ergo intrinseca intelligibilitas signati non poterit etiam ipsum constituere in ratione signati.

Secundò prob. ant. Intelligibilites intrinseca signati indifferens est vt induat intentionem signi; vel intentionem signati, nam intelligibilitas creaturæ principaliter producentis aliquem effectum indifferens est, vt sit signatum sui effectus, vel signum respectu Dei; ergo intrinseca intelli-

gibilitas non potest formaliter constituere signatum.

Respond. ad replicam neg. ant. & ad primam probat. neg. min. Quia etiam obiectum redditur proximè intelligibile per propriam, & intrinsecam immaterialitatem, per quam redditur proximè cappax ad extrinsecè terminandam cognitionem intellectus: vnde respectus rationis consecutivè, & accidentaliter advenit, quatenus intellectus dum considerat illam immaterialitatem, vt proximè intelligibilem eam comparat ad se ipsum, & fugit relationem rationis illius ad intellectum.

Ad secundam probat. dist. ant. indifferens in ordine ad idem neg. ant. in ordine ad diversa, conc. ant. & neg. conseq. Quia propria intelligibilitas obiecti in ordine ad effectum dependentem ab obiecto, est determinata ad relationem signati, in ordine verò ad aliam intelligibilitatem superiorem determinata est ad rationem signi, & ideò ad vnam, vel alteram intentionem indifferens est; quia est indifferens, vt ad vnum, vel ad alterum comparetur. Nec implicat eandem intelligibilitatem intrinsecam ad diversa comparatam præbere distinctam denominationem intrinsecam: sicut non implicat causam secundam esse intrinsecè causam in ordine ad effectum proprium, & esse effectum intrinsecè si comparetur ad Deum.

Tandem arguitur fundamen-
to principali contrariorum: sig-
num respicit signatum tanquam
terminum purum: ergo relatione
prædicamentali constituitur in
ordine ad ipsum. Probat. ant.
Signatum nullum exercet causa-
litatem in signo: ergo signum res-
picit signatum tanquam termi-
num purum. Prob. ant. primò:
Obiectum purè terminativum,
prout à motivo distinguitur solū
habet purè terminare, & in purè
terminando nulla causalitas in-
venitur; sicut constat in termino
relationis secundum esse, in quo
nulla causalitas importatur, quia
solum est purè terminus; sed sig-
natum est obiectum purè termi-
nativum in ordine ad signum: er-
gò nullam exercet causalitatem
in ipsum.

Secundò prob. ant. Si ali-
quam causalitatem exerceret in
signum maximè causalitatem
obiecti; sed illam non: ergò nul-
lam. Prob. min. Solum exercet
causalitatem obiecti in ordine ad
potentiam cui obijcitur: ergò nō
in ordine ad signum.

Confirmatur, & vrgetur:
Signum per se primò relationem
importat: ergo relatione prædi-
camentali constituitur, quia so-
lum relativum prædicamentale
per se primò relationem impor-
tat, vt vidimus ex D. Thoma, ant.
prob. Signum per se primò im-
portat habitudinem ad signatum,
& est propter ipsum: ergò per se

primò relationem importat.

Vrgetur vterius: Relatio
substituti, prædicamentalis est,
quod aduersarij supponunt; sed
signum constituitur relatione sub-
stituti: ergò idem. Probat. min.
Signum constituitur per repræsen-
tare signatum tanquam ministrū
illius, & substituendo pro illo: er-
gò constituitur relatione sub-
stituti.

Respond. ad argum. negan-
do duo antecedentia prima, & ad
primam probat. dist. mai. purè
terminare puritate excludente
causalitatem effectivam, conc.
mai. causalitatem formalem, &
extrinsecam obiecti; neg. mai. &
dist. min. puritate excludente
causalitatem efficientem, conc.
min. causalitatem formalem, neg.
min. & conseq. Quia obiectum
purè terminativum, pro vt à mo-
tivo distinguitur, non importat
causalitatem efficientem, sicut
obiectum motivum, quod se ipso
per modum speciei, vel speciem
distinctam immittendo, & illa
mediante efficienter ad cogni-
tionem concurrat, importat ta-
men obiectum terminativum
causalitatem formalem obiecti
extrinsecè mensurantis, quando
id, quod ordinatur ad ipsum spe-
cificatur ab eo, vel ipsa respicit,
vt finem, qualiter signum ordi-
natur ad signatum.

Ad secundam probat. ante-
cedentis neg. min. & ad probat.
dist. ant. obiecti cognoscibilis,

aut

aut cogniti: conc. ant. repræsen-
tabilis aut repræsentati: neg. ant.
& conseq. Quia obiectum non so-
lum dicitur obiectum propriè,
respectu potentia cui obijcitur
attingendum, sed etiam dicitur
obiectum repræsentatum respectu
signi, quod ad ipsum repræsentati-
vè tendit; & ita respectu signi cau-
salitatem obiectivam exercet; si-
cut etiam non solum est finis po-
tentia, quæ ad ipsum cognoscen-
dum ordinatur, sed etiam est finis
signi, quod ordinatur ad ipsum re-
præsentandum.

Ad confirmat. verò, quæ vr-
getur argumentum respond. dist.
ant. relationem, & entitatem de-
pendentem, conc. ant. relationem
solum in recto, nego ant. & con-
seq. Quia omnia essentialiter res-
pectiva, sicut scientia, & potentia
important essentialiter, & in recto
relationem; siquidem constituuntur
per illam, & nomen primariò
significare debet formam rei con-
stitutivam; non tamen significat
signum relationem solam, sed re-
lationem, & dependentiam, vel
entitatem vt dependentem ab
alio, & ad ipsum ordinatam Prop-
ter quod aliqui dicunt relativa
transcendentali relatione consti-
tuta per se primo significare enti-
tatem; quia licet primariò vtrum-
que significant, prius tamen signi-
ficant entitatem, & ex consequen-
ti relationem entitatis; sed relati-
va prædicamentalia primariò, &
in recto solam relationem signifi-

Mag. Eroylan.

cant, & non ipsum relationis sub-
iectum, vel entitatem illius; sicut
Pater, & Filius. Et in hoc sensu Do-
ctor Sanctus intelligendus est.

Ad aliam confirmationem;
negamus maiorem; quia prima
relatio substituti est relatio rei in-
ferioris ab altero dependentis, &
intenta propter aliud; nam substi-
tutum propter illud, cuius vices-
gerit, intenditur. Et ideo relatio
substituti constitutiva, prædi-
camentalis non est. Et instantia in-
venitur in specie, quæ pro obiecto
repræsentato substituit, & relatio-
ne substituti constituitur; & ta-
men prædicta relatio non est præ-
dicamentalis.

Sed instabis: Relatio substi-
tuti debet esse prædicamentalis
formaliter. Ergò solutio nulla est.
Prob. ant. primò: Non alia ratio-
ne relatio servi prædicamentalis
est, nisi quia est relatio substituti.
Ergò relatio substituti necessario
prædicamentalis est.

Secundò prob. ant. Ita com-
paratur signum vt exercitè substi-
tuens in ordine ad signatum; sicut
scientia ad scitum, vel scibile se-
cundum quod dicit actum; sed re-
lationem scientia ad scitum esse
prædicamentalem docet D. Th.
1. p. q. 13. artic. antecedentè cita-
to. Ergò relatio signi vt substituē-
tis exercitè pro signato, necessario
prædicamentalis est.

Respond. ad replicam neg.
ant. & ad primam probat. nega-
tur suppositum antecedentis, quia

M

re-

relatio propria servi, non est formaliter substituti, & subordinati ad alterum, sed solum fundamentaliter, quatenus relatio servi supra relationem transcendentalem inferioris, & subordinati fundatur. Ratio autem quare relatio propria servi prædicamentalis est, habetur in promptu; quia, videlicet respicit terminum, ut purum terminum, & servus per se primo solum relationem importat, nec Dominus pro formali præcedit natura servum, aut e contra, sed simul se habent, & natura, & cognitione.

Ad secundam probat. ant. omiſſa maiori, disting. minor. relationem consecutam, conc. min.

constitutivam scientiæ, neg. min. & conseq. Quia scientia ad scitum, vel ad scibile, ut dicit actum, & cognitio ad cognitum, per se primo relationem transcendentalem important, & ea constituuntur, ex consequenti verò relationem prædicamentalem inferunt: quam tamen relationem prædicamentalem adhuc ex consequenti non importat necessario scibile ad scientiam existentem, quia potest existere scibile, quin scientia illius existat; & propterea sciens, & scitum appellavit D. Thomas relativa prædicamentalia, quatenus talis relatio necessario inter utrumque consequitur.



ARTICVLVS V.

UTRUM DETVR SIGNIFICARE effectivè?

§. PRIMVS.

*Sensus difficultatis aperitur, & statuitur
negativa conclusio.*

IN difficultate presenti sermo non est de concreto signi, aut signo pro materiali, nam res ipsa quæ signum

est, potest causalitatem effectivam habere; sicut imago dum speciem impressam propriam efficienter producit in sensu, vel in

po

potentia: Vnde difficultas solum est de signo sumpto formaliter, an videlicet secundum formalem significationem, vel rationem formalem signi possit exercere effectivam causalitatem, & partem negativam pro conclusione defendimus.

Eamque ratione communi probamus, quia obiectum terminativum formaliter, ut tale non potest causalitatem effectivam habere; eo quod obiectum terminativum, ut tale solum exercet causalitatem extrinsecam termini, vel obiecti; sed signum formaliter, ut tale est in linea obiecti medij terminantis, quamvis non ultimo, cognitionem: Ergo signum ut tale formaliter, non potest habere effectivam causalitatem.

Respondent adversarij, signum respectu propriæ cognitionis esse verè obiectum terminativum, & ideò non posse efficere illam, sed in ordine ad cognitionem signati, non esse terminum, sed principium, quatenus movet potentiam, & eam ducit ad signatum cognoscendum, & ita posse efficienter concurrere ad cognitionem signati.

Hæc tamen solutio efficaciter impugnatur. Primo, si signum effectivè concurreret ad cognitionem signati, eo esset quia movet ad cognitionem prædictam, & cum omne signum moveat ad cognitionem prædictam, omne

etiam signum efficienter ad illam concurreret; sed alicui signo talis concursus repugnat: Ergo nullum signum debet talem habere concursum. Prob. min. Ens rationis est vere signum naturale respectu potentiæ à qua fit, ut fatentur adversarij, & tamen non potest efficienter concurrere ad cognitionem potentiæ: Ergo alicui signo talis concursus repugnat. Prob. min. Prædicta cognitio est realis; sed ens rationis incapax est efficienter concurrendi ad effectum realem; aliàs posset realiter efficere: Ergo ens rationis non potest efficienter concurrere ad cognitionem potentiæ.

Secundo tradita solutio impugnatur. Signum movet ad cognitionem signati representando formaliter; sed representando formaliter, non potest efficienter movere. Ergo non movet efficienter.

Prob. min. Representatio formaliter ut talis, effectiva non est: ergo representando formaliter nequit movere efficienter. Prob. antec. primo: Causalitas effectiva est formaliter de genere entis; sed representatio ut talis non est de genere entis. Ergo ut talis effectiva non est.

Secundo prob. antec. Representatio ut talis non continet effectivè: Ergo ut talis effectiva non est. Prob. antec. Representatio ut talis solum representativè continet; sed conti-

M 2

nen-

nentia repræsentativa non est effectiva continentia, sed formalitèr ab ea distincta. Ergò repræsentatio vt talis, non continet effectivè.

Tertiò probat. antec. Omnis forma efficientèr activa est de genere substantiæ, vel de ordine qualitatis; sed repræsentatio formalitèr non est de genere substantiæ, aut de genere qualitatis; cum divisio formæ in repræsentantem, & non repræsentantem sit subiecti in accidentia. Ergò repræsentatio vt talis effectiva non est.

Tertiò impugnatur data solutio: Signum movet ad cognitionem signati purè extrinsecè terminando: Ergò non movet efficientèr concurrendo. Prob. antec. primo. In tantum movet ad cognitionem signati in quantum ipsum manifestat, sed ipsum manifestat purè extrinsecè terminando cognitionem intellectus percipientem ex parte termini repræsentationem signi. Ergò movet ad cognitionem signati purè extrinsecè terminando.

Secundò prob. antec. Quia præmissæ obiectivè, etiam obiectivè continent conclusionem obiectivam, non efficientèr, sed per modum obiecti extrinsecè terminantis, concurrunt ad assensum conclusionis; sed signum etiam obiectivè, & repræsentativè tantum continet

proprium signatum: ergò solum movet ad cognitionem signati purè extrinsecè terminando.

Tertiò prob. antec. Et efficientèr satis; quia si signum non moveret extrinsecè terminando, sed per modum principij effectivi concurreret ad cognitionem signati, iam signum in ratione terminantis, ultimo terminaret; sed signum ultimo terminare non potest: Ergò solum potest movere extrinsecè terminando. Prob. maior. Si non moveret extrinsecè terminando, iam in ratione terminantis non duceret ad aliud. Ergò ultimo terminaret, ac proinde si in ratione terminantis non movet ad aliud, in ratione terminantis non erit obiectum medium, consequenterque non erit signum formalitèr in ratione terminantis.

§. II.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA præfatam conclusionem arguitur primo. Sacramenta novæ legis in quantum Sacramenta, sunt signa formalitèr, vt 3. p. q. 60. art. 1. docet Angel. Doct. sed in quantum Sacramenta causant efficientèr gra-

gratiam: ergò signum vt tale potest efficientèr concurrere. Prob. minor. primo. In quantum Sacramenta, sunt signa practica gratiæ: ergò in quantum Sacramenta causant efficientèr illam; aliàs signa practica non essent, sed purè speculativa.

Secundò prob. min. Sacramenta novæ legis in ratione Sacramenti differunt formalitèr à Sacramentis antiquis; sed non per aliud, quam per effectivam causalitatem: ergò in quantum Sacramenta causant efficientèr.

Confirm. & vrgetur: Quia in voce prolata est virtus quedam ad excitandum, & movendum animum audientis vocem; sed virtus prædicta effectiva est; sicut 3. p. q. 64. art. 4. ad primum docet D. Thom. dum virtutem prædictam comparat cum virtute elevante Sacramenta: ergò vox vt significativa formalitèr, & est etià formalitèr effectiva.

Resp. ad argum. dist. min. causant ratione materiæ, in qua significatio fundatur, conc. min. ratione significationis fundatæ, neg. min. & conseq. Quia Sacramenta in quantum talia important significationem, & efficientiam, sed efficientiam quidem important, vt convenientem ratione virtutis, per quam à Deo elevantur ad gratiam producendam, & quia hæc efficientia imperfecta est, & ad effectum, & ad finem ordinatur, propterea ad

Mag. Froylan.

prædictam efficientiam consequitur ratio signi, quæ non convenit Sacramentis ea formali ratione, qua continent efficientèr, sed sub alia consecuta, & quatenus repræsentant effectum: Vnde quod elevatur ad agendum non est ipsa significatio, sed ipsa res, vel materia Sacramenti, in qua recipitur virtus à Deo communicata. Per quod constat. Ad primam probat. min. & doctrinam istam veram debent reputare Thomistæ; siquidem constituunt signum ad placitum per relationem rationis, & simul fatentur ens rationis non posse efficientèr producere effectum reale gratiæ.

Ad secundam probat. min. Poteramus etiam negare minorem, quia Sacramenta novæ legis perfectius, & expressius gratiam significant, & ideò etià in significando gratiam ab antiquis distinguuntur.

Secundò resp. dist. mai. in ratione Sacramenti pro substrato conc. mai. pro formali signi, neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Nam Sacramenta antiqua etiam ratione substrati non causabant Physicè efficientèr gratiam; nova verò quamvis vt signa non producant efficientèr, id tamen habent ratione subiecti, in quo significatio invenitur.

Et si dicas: ergò solum differunt pro substrato, & non in ratione formalissima signi; quod tamen videtur falsum, aliàs non

M. 3. bene

benè signa practica dicerentur.

Conc. conseq. Solum videlicet pro substrato differre, nec signa practica dicuntur, quia ratio practici importetur in signo formaliter, in qua quidem ratione antiqua, & nova habent univocam convenientiam; sed signa practica appellantur, quia præsuppositivè, & pro substrato simul elevantur ad agendum efficienter.

Ad confirmat. verò qua vrgetur argumentum resp. distin. mai. in voce vt tali applicatione, gestu, vel modo prolata, conc. mai. in voce vt significante formaliter, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Nam illa virtus effectiva vocis ad movendum, & excitandum audientem non cõpetit voci vt significanti formaliter, alias omnes significationem percipientes moveret æqualiter, quod falsum esse experimur, sed potius virtus prædicta voci convenit, quatenus tali gestu, vel pronuntiatione profertur: Vnde virtus illa præsupponitur ad rationem signi, & causatur à loquente eadem, vel diversa secundum diversam imaginationem, qua vocem producit, aut illam emittit.

Ex quo habes: quod dum D. Thom. affirmat verba Doctoris causare species, & signa sensibilia, intelligendus est de causare antecedenter, non verò formaliter, & quatenus significativa sunt, & similiter dum in opusc. 16. asserit

actionem speculi representativam causare imaginem, aut speciem diversam, est intelligendus de causare antecedenter, quatenus ex diversa modificatione speculi, & refractione lucis, quæ dicitur actio metaphysica, causatur diversa species, & imago representativa obiecti: Sicut dum Augustinus ait: signum esse quod præter species, quas ingerit sensibus, &c. non loquitur de signo formaliter, sed de signo materialiter præsuppositivè, & antecedenter producente species prædictas.

Secundò arguitur: Signum formaliter vt tale habet producere speciem: ergò efficienter concurrat. Prob. ant. Species impressa, qua cognoscimus signum, representat ipsum vt tale, & est ipsius similitudo, sed ita non esset, si non produceretur ab illo formaliter, eo quod species solum est similitudo obiecti à quo producit, & emittitur: ergò signum vt tale formaliter habet producere speciem.

Confirmat. Signum vt tale formaliter non solum terminat, sed etiam movet potentiam in cognitionem signati, sed de ratione obiecti motivi est concursus effectivus: ergò idem quod prius. Prob. min. primò. Ideò species impressa efficienter ad cognitionem concurrat, quia exercet munus obiecti motivi; ergò de ratione obiecti motivi, est concursus effectivus. Se-

Secundò prob. min. Substantia Angeli efficienter cum intellectu proprio ad sui cognitionem concurrat, sed concursus iste convenit illi vt obiectum motivum est, & quatenus per modum principij ad cognitionem determinat intellectum: ergò idem.

Tertiò prob. min. Obiectum motivum debet efficienter agere in potentiam quam movet; siquidem potentia ad ipsum comparatur vt mota, vel patiens: ergò de ratione obiecti motivi est effectivus concursus.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad probat. dist. min. Ab illo, vt in quo significatio exercetur, conc. min. ab illo, vt significante formaliter, neg. min. & conseq. Quia vt species prædicta sit similitudo signi, & ipsum formaliter representet, necessarium non est rationem formalem producendi esse significationem, sed satis est, quod signum dum causat, significationem involvat tanquam modum exercitum ex parte signi causantis.

Sed instabis: Effectus productus non assimilatur formæ coniunctæ cum producente, sed principio, vt effectivo formaliter; sicut Petrus non procedit similis Patri in conditione individua, & species à verbo producta non propterea est similis bono, nec species coloris, saporì coniuncto assimilatur: ergò si prædicta species representat signum formali-

ter, ab eodem etiam formaliter producenda est.

Respondetur dist. ant. Formæ coniunctæ materialiter, conc. ant. formaliter coniunctæ, sub distinguo, vbi non potest haberi prædicta similitudo, conc. ant. vbi haberi potest, neg. ant. & conseq. Nam si in naturalibus non assimilatur effectus in conditione individua, hoc ideò est, quia si in conditione individua evaderet similis, non esset distinctus, sed idem, & ita vt effectus possit esse diversus debet esse in conditione individua dissimilis, vel distinctus; species verò ab obiecto producta immittitur ab obiecto, vt representet etiam quod invenitur in illo, & illius modum, & ad hoc intenditur à natura, & ita etiam modum representare debet, cum aliunde ex identitate in esse representativo cum modo nulla implicatio sequatur. Exempla autem adducta non persuadent oppositum, quia si species veri non representat bonum, eorrit, quia non producit ab obiecto, vt modificato bonitate, sed purè materialiter se habente: Sicut sapor se habet etiam ad colorem immittentem speciem potentiam. Species verò ab imagine, vel à voce producta, immittitur ab illa, & representatione exercite formaliter modificata, & propterea representat utrumque, vt propter eandem rationem species rei absentis, rem absentem repre-

sentat, quamvis absentia non producat speciem.

Ad confirm. verò argumenti dist. mai. movet obiectivè, & extrinsecè purè, conc. mai. movet immittendo speciem, aut per modum speciei actuantis intrinsecè, neg. mai. & dist. min. motivi immittentis speciem, vel per modum speciei, conc. min. purè obiectivè se habentis, neg. min. & conseq. Quia signum purè movet extrinsecè specificando, & extrinsecè determinando potentiam ad cognitionem signati, & ad ita movendum præsuppositivè se habet specierum immittens: Unde de conceptu obiecti sic moventis non est effectiva causalitas, nec species impræssa illam habet, quia ita moveat, sed quia movet intrinsecè actuando, & complendo activitatem potentia. Que utique doctrina intelligenda est de specie non ut representante formaliter, sed quatenus est virtus physica, licet intentionalis obiecti, ut dicemus infra.

Ad secundam probat. min. Constat non convenire substantia Angeli effectivum concursum, ex conceptu communi obiecti motivi, sed quia movet intrinsecè intellectui coniuncta.

Ad tertiam prob. min. dist. ant. efficienter immittendo speciem, conc. ant. efficienter dum obiectivè extrinsecè movet, neg. ant. Quia obiectum motivum immittendo speciem movet effi-

cienter, sed dum movet extrinsecè determinando, non movet efficienter.

Sed instabis: Præter obiectum motivum ut emissivum speciei, datur aliud motivum quod specificat cognitionem, & ut tale movet formaliter, sed ut ita movens concurrat efficienter: ergo poterit signum ut extrinsecè specificans, & ut ita movens, efficienter concurrere. Prob. min. Ut ita movens se tenet ex parte principij: ergo efficienter concurrat.

Respond. ad replicam, neg. min. & ad probat. dist. ant. principij extrinsecè determinantis ad speciem actus, conc. ant. actuantis intrinsecè, neg. ant. & conseq. Nam obiectum specificativum etiam ex parte principij concurrat ad actum quatenus potentia ab obiecto formali movetur, sed concurrat dumtaxat extrinsecè determinando potentiam ad speciem actus, & nullo modo efficienter: Sicut ad actum voluntatis movetur voluntas ab ipso bono terminante actum, non tamen efficienter, sed formaliter tantum, & extrinsecè movetur.

Tertiò arguitur: Quamvis signum merè extrinsecè comparatur ad potentiam, potest cum illa efficienter concurrere ad cognitionem signati: ergo sic concurrere debet. Prob. ant. primò. Substantia genita extrinsecè comparatur ad actionem generantis, & ta-

men

men cum actione prædicta concurrat efficienter ad passiones à substantia genita dimanantes: ergo idem de signo dicendum in ordine ad cognitionem signati.

Secundò prob. ant. In præmissis obiectivis, quæ extrinsecè comparantur ad intellectum, & tamen cum illo concurrunt efficienter ad assensum conclusionis. Et phantasma concurrat efficienter cum intellectu agente ad speciem producendam, & causa secunda, cum prima efficienter agit, & bonum apprehensum concurrat efficienter ad amorem sui ipsius, & tamen nec phantasma intellectui inhæret intrinsecè, nec causa prima, secundæ, nec bonum apprehensum voluntati amanti.

Respond. ad argum. nego ant. & ad primam prob. dist. mai. extrinsecè formaliter, conc. mai. extrinsecè virtualiter, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia substantia genita formaliter extrinsecè comparatur ad actionem generantis, sed virtualiter comparatur intrinsecè, eo quod quamvis terminet extrinsecè, terminat tamen ut effectus primarius, & cum in effectu primariò agentis contineatur virtualiter agens ad hoc ut mediatè, & indirectè transeat ad terminum secundarium, indè fit generans in substantia genita sufficienter contineri, ut simul cum ipsa concurrat ad passio-

nes producendas. Signum verò non est effectus primarius, sed obiectum cognoscibile præcisè, & ita tam formaliter, quam virtualiter comparatur extrinsecè.

Ad secundam probat. ant. Negamus, præmissas obiectivas efficienter concurrere ad assensum conclusionis, hoc namque solum est verum in præmissa formali intrinsecè actuante, & determinante intellectum ad assensum conclusionis.

Ad exemplum de phantasmate dicimus, extrinsecè formaliter comparari, non tamen virtualiter, eo quod ad speciem producendam recipit ab intellectu agente virtutem, ratione cuius est intrinsecè virtualiter unitum cum intellectu.

Ad aliud de causa prima respond. Non esse intrinsecam secundæ absolute, esse tamen intrinsecam illi subordinativè; eo quod secunda intrinsecè subordinatur primæ causæ moventi illam ut agat, propterea utraque simul efficienter ad effectum concurrat, quod idem proportionabiliter omnibus causis subordinatis applicandum est.

Ad ultimum de bono apprehenso respond. esse contra D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. Quidquid asserat in contrarium Caiet. Sed quia argumentum poterat etiam fieri de voluntate efficienter concurrente cum intellectu, cui tamen intrinsecè non inhæret.

Prop.

Propterea respondemus, omnes potentias predictas intrinsecè inharere, & uniri cum eodem supposito, vel subiecto, & ratione unionis predicta posse unam efficienter cum alia concurrere, & propterea admittimus apprehensionem boni efficienter cum voluntate concurrere, sed non bonum apprehensum terminativè sumptum, & ratione sui, quod nec Caiet. affirmat. Signum verò est obiectum merè intelligibile, & nullo modo intrinsecè cum potentia coniunctum, & ita dispar est ratio.

Sed instabis primò: Quia signum movet ad cognitionem signati mediante specie expressa, hæc enim est quæ determinat, & movet quatenus signum repræsentat; sed species predicta intrinseca est: ergò potest signum ratione illius concurrere efficienter ad cognitionem signati.

Secundò instabis: Quando quis per conceptum reflexum cognoscit directum, ut imaginem obiecti quod repræsentat, conceptus ipse directus se habet ut signum instrumentale comparative ad obiectum; sed talis conceptus directus est intra intellectum intrinsecè: ergò poterit efficienter concurrere ad cognitionem signati.

Resp. ad prim. dist. mai. Mediante specie expressa, ut conditione ad movendum, conc. mai. Quia si signum non esset repræ-

sentatum, & cognitum non moveret, mediante illa tanquam ratione formali, neg. mai. Quia ratio formalis movendi est ipsa repræsentatio signi, quatenus manifestat signatum, & cum hæc pure extrinseca sit, inde fit quod efficienter non agat.

Ad secundam instantiam dist. min. intrinsecè materialiter, conc. min. formaliter, neg. min. Quia licet conceptus ille directus sit intra intellectum materialiter, formaliter tamen ita se habet ac si esset extra, quatenus se habet per modum obiecti pure terminantis cognitionem, & sic obiectivè cogniti manifestantis signatum. Quod utique sufficit argumento, & ab alijs, quæ poterant dici præcindimus, ne omnia ubique repetamus.

§. III.

Argumentum difficile solvitur, in quo plura notata digna inveniuntur.

TAndem arguitur contra conclusionem nostram: Quamvis signum formaliter, ut terminat cognitionem propriam non possit ad illam efficienter concurrere, debet tamen concurrere efficienter ad cognitionem signati: ergò signum ut tale formaliter effectivus est. Prob. ant. primò. De ratione instrumenti est concursus effectivus; sed

sed signum est instrumentum potentia cognoscitivè ad cognoscendum signatum: ergò debet ad cognitionem signati efficienter concurrere.

Secundò prob. ant. Id quod actuat, & determinat principium effectivum concurrat efficienter cum illo; sicut idæa concurrat efficienter ad effectum idæatum, quia ad ipsum determinat intellectum, sed signum determinat potentiam ad cognitionem signati: ergò concurrat efficienter ad illam.

Tertiò prob. ant. Cognitio signi concurrat efficienter ad cognitionem signati; quia determinat intellectum in genere causæ efficientis, & sicut sine assensu præmissarum non habet intellectus completam virtutem ad assensum conclusionis, ita intellectus illam completam non habet ad cognitionem signati, sine cognitione signi: ergò signum etiam debet efficienter concurrere media sui cognitione, ad cognitionem signati.

Quartò probat. Aliter concurrat signum ad propriam cognitionem, ac concurrat ad cognitionem signati; sed ad propriam pure terminando concurrat: ergò ad alteram efficienter.

Quintò prob. Assensus præmissarum respectu intellectus est causa formalis, & in ordine ad assensum conclusionis, causa est effectiva, & dispositiones respectu

materiae sunt causa formalis, & materialiter ad formam concurrunt: ergò quamvis signum sit causa pure obiectiva cognitionis propriae, poterit ad cognitionem signati efficienter concurrere.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. instrumenti proprie sumpti, conc. mai. late accepti, neg. mai. Et quamvis signum sit instrumentum late sumptum pro obiecto medio per quod venit potentia in cognitionem signati, non tamen est instrumentum proprium, quod accipiat à potentia virtutem ad signatum efficiendum.

Ad secundam prob. ant. dist. mai. quod actuat, & determinat activè, conc. mai. obiectivè, & extrinsecè pure, neg. mai. Quia signum non actuat potentiam cognoscitivam activè illi communicando virtutem, vel virtutem applicando, sed actuat pure obiectivè mediante repræsentatione cognita, extrinsecè determinando potentiam; sicut præmissa obiectivæ determinant ad assensum conclusionis: Idæa verò est forma intrinseca, & intrinsecè virtutem intellectus determinat ad opus artificiale, & propter ea efficienter concurrat.

Ad tertiam probat. neg. conseq. Quia cognitio signi est intrinseca intellectui, & intrinsecè illum determinat, quod tamen non contingit in signo.

Dices: Cognitio signi efficienter concurrat ad cognitionem signati, iuxta solutionem datam; sed cognitio signi est signum in ordine ad cognitionem signati, quia ad ipsam ordinatur ut finem: ergo signum aliquod concurrat efficienter.

Resp. dist. min. in cognitione reflexa, conc. min. directa, neg. min. & conseq. Quia licet admittamus cognitionem signi esse signum in ordine ad cognitionem signati, hoc tamen non habet in cognitione directa, sed solum in cognitione reflexa, & quatenus ipsa cognoscitur, ut continens, & representans cognitionem signati, in qua consideratione est formaliter pure obiectum, & pure obiective concurrat; & ita se habet ac si esset extra intellectum, quamvis intra ipsum materialiter sit.

Ad quartam prob. dist. mai. arietate modi diversi intra idem genus obiective causandi, conc. mai. arietate extrahente à linea obiecti, neg. mai. Quia signum non aliter causat cognitionem signati arietate extra genus obiecti, sed potius intra idem genus, diverso tamen modo causat utraque; nam propriam pure causat per modum termini, ad aliam vero comparatur ut principium quamvis extrinsecum, & obiectum sit.

Ad quintam prob. Respondetur latam esse disparitatem in-

ter signum, & exempla praedicta; quia assensus praemissarum licet sit causa formalis respectu intellectus, extrinseca tamen non est, sed intrinsece aetuat, & complet intrinsece virtutem intellectivam, & ita concurrat efficienter ad assensum conclusionis; sicut intentis finis ad electionem mediorum, eo quod intrinsece determinat virtutem voluntatis, quod quidem in signo non invenitur.

Dispositiones etiam intrinsece recipiuntur in materia ipsa coaptando, & intrinsece proportionando cum forma, & ita distant à signo, quod quidem pure extrinsecum est.

Rursus etiam se tenent ex parte materiae illius indifferentiam auferendo, & ipsam intrinsece coaptando, ut in genere causae receptivae completa sit: Unde materiae ut causam materiale determinat, & ita materialiter cum illa concurrunt.

Et si dicas, etiam signum determinare intellectum, quatenus effectivus est; siquidem movet ipsum ut efficiat cognitionem signati: ergo debet etiam efficienter cum illo concurrere.

Distinguo ant. Determinat se tenendo ex parte illius illum proportionando, aut applicando virtutem, neg. ant. Determinat ut illius obiectum, & ostensive pure, conc. ant. & primum erat necessarium, ut effectivè cum il-

lo concurreret. Et instantia est in fine movente voluntatem ut efficiat electionem mediorum, & tamen quia hoc pure obiective, & extrinsece facit, cum voluntate non concurrat efficienter.

Sed contra omnia supradicta efficaciter urgebis, primò: Non est contra rationem obiecti pure extrinseci causalitas effectiva: ergo poterit signum praedictam causalitatem habere. Probat. ant. Non est contra rationem obiecti pure extrinseci finalis causalitas; siquidem signatum pure extrinsece comparatur ad ipsum, & tamen est verè finis illius: ergo non est contra obiectum extrinsecum causalitatis effectiva.

Secundò instabis: Si semel aliqua similitudo, ut representativa formaliter, potest efficienter concurrere, hoc idem poterit habere signum; sed similitudo ut representativa formaliter, potest concurrere efficienter: ergo etiam signum. Probat. min. primò: Quia idèa ut representativa formaliter concurrat efficienter ad effectum idèalem; siquidem concurrat ut exemplar, & non est exemplar nisi quatenus representat: ergo similitudo representativa formaliter, potest efficienter concurrere.

Secundò prob. min. Species impræssa ut representativa formaliter concurrat ad intellectionem efficienter: ergo idem. Probat. ant. In tantum efficienter ad

intellectionem concurrat, in quantum determinat intellectum, ut cognoscat hoc obiectum; sed per ipsam representationem determinat; nam determinat obiectum manifestando, quod per representationem habet: ergo ut representativa concurrat.

Explicatur impugnationis doctrina; per id formaliter efficienter concurrat species, per quod habet facundare intellectum ad intellectionem obiecti; nam facundando concurrat ad intellectionem, vel partum; sed per ipsam representationem facundat: ergo idem. Probat. min. Per id facundat formaliter, per quod unit intellectum in actu primo cum obiecto cognoscendo; nam per id, per quod unit intellectum cum obiecto, reddit intellectum facundum, & potentem parturire intellectionem; sed per ipsam representationem, & non aliter unit intellectum in actu primo cum obiecto: ergo per illam facundat. Probat. min. Per id intellectus in actu primo unitur cum obiecto, per quod obiectum constituitur intra ipsum intellectum, sed per ipsam representationem constitui intra; siquidem ad intra solum representativè invenitur: ergo per solam representationem unitur in actu primo intellectus cum obiecto.

Respond. ad primam replicam, neg. ant. & ad probat. neg. conseq. Quia de ratione finis solum

lum est quod alia sint propter ipsum, alia autem esse propter ipsum, & ad ipsum ordinari non est contra rationem termini pure extrinsecè se habentis. Et quamquam de ratione causæ finalis fit communicare existentiam, non tamen de ratione illius est subiectivè illam communicare, & continere, sed solum eam continere obiectivè, quod utriquè extrinsecò termino non repugnat, dummodo sit apprehensus; sed principium effectivum debet necessario obiectivè continere dando virtutem agentis aut illam applicando, quod quidem termino pure extrinsecò repugnat.

Ad secundam instantiam, quæ satis subtilis est, respond. neg. min. & ad primam prob. neg. ant. Nam idea, & exemplar non est ipse conceptus representans, sed potius obiectum representatum, hoc enim solum imitatur effectus, non tamen est obiectum representatum in se ipso, sed ut deputatum à materia per ipsum conceptum purificantem obiectum, sub qua ratione involuit obiectum per modum modi conceptum, & realiter distinguitur à se ipso prout in re, & est intra ipsum intellectum, & propterea efficienter concurrere potest.

Ad secundam prob. Si Authoribus, prout habent credemus, respondere oportebat non esse de quacumque similitudine discurrendum eodem modo, eo

quod similitudo speciei impressæ est intrinseca intellectui, & ipsius representatio, & ita mirum non est, quod ut representativa efficienter cum intellectu concurrat. Sed revera forma representativa ut talis, solum ostensive movet, & obiectivè, & si semel cum tali ostensiva motione pro formali compatitur effectiva causalitas, eam poterit habere, quæcumque representatio sive intrinseca, sive extrinseca sit. Qua propter hac communi solutione de relicta.

Ad secundam probat. supra factam neg. ant. & ad prob. dist. mai. determinat efficienter, conc. mai. ostensive neg. mai. & dist. min. determinat ostensive conc. min. effectivè, & subiectivè neg. min. & conseq. Quia species impressa per suam representationem non determinat subiectivè, & effectivè, sed solum per suam physicam entitatem quatenus est virtus obiecti, & realiter ab illo producta. Sicut namque potentia generativa per suam entitatem virtualiter est substantia, quatenus à substantia dimanat, & ut virtus propria illi datur à natura, ita species quatenus ab obiecto emittitur tanquam virtus illius, secundum suam physicam entitatem est virtualiter ipsum obiectum, & virtualiter continet ipsum, & ita secundum suam entitatem determinat effectivè intellectum ad obiectum cognoscendum representatione se habente, ut quid

con-

consecutum ad entitatem ut virtutem obiecti, & ab illo diffusam, ac proinde supponente ipsam rationem formalem concurrendi effectivè.

Ad explicationem respondetur, neg. primam, & secundam min. & ad prob. dist. min. intra representativè, conc. min. physice virtualiter, neg. min. Nam licet obiectum constituatur intra intellectum representativè per ipsam speciem ut representantem formaliter, intra intellectum tamen physice virtualiter solum

ponitur per entitatem speciei ut virtutem obiecti, & ab illo diffusam representatione consecutivè se habente, & ideò physice facundatur intellectus, & unitur virtualiter cum obiecto, & redditur potens ad intellectionem efficiendam per entitatem formaliter, consequenterque sola hæc efficienter cum intellectu concurrat, quamvis representatio concomitanter, vel consecutivè, aut alio modo sit entitati prædictæ essentialiter anexa.

)(?)(



ARTICVLVS VI.

VTRVM SIGNVM FORMALE SIT VERE
signum?

§. PRIMVS.

Relatis sententijs, statuitur affirmativa conclusio.

VNUM in difficultate ista supponimus, & aliud in examen vocamus; supponimus quidem signum formale, vel conceptum intellectus esse signum in acceptio-

ne lata, quatenus omne quod alterum manifestat, & significat illius signum appellari solet; in examen verò reducimus an conceptus habeat omnes conditiones ad rationem signi in acceptione stricta,

sta,

ta, simpliciter necessarias, videlicet dependentiam, subordinationem, & alia, & ita sit verè signum in rigorosa acceptione.

In hac parte plurimi extra Scholam D. Thom. defendunt signum formale, vel conceptum mentis, non esse verè signum, sed dumtaxat esse signum in lata acceptione, quatenus significat aliquid. Eandem sententiam aliqui Thomistæ tuentur. Sed ferè communis inter Thomistas sententia affirmat signum formale esse verè, & proprie signum, & hæc est nostra conclusio.

Sententiam istam totaliter expressam non invenimus in Angel. Doct. satis tamen efficaciter possumus ex eius doctrina prædictam sententiam colligere; nam q. 4. de verit. art. 1. ad 7. ait quod: *Verbum interius per prius habet rationem significationis, quam verbum exterius, quia verbum exterius non instituitur ad significandum nisi per interius verbum.* Quæ verba adducit ut ex manifestatione significativa verbi creati probet verbum etiam Divinum esse significativum sublati imperfectionibus, subordinationis, & dependentiæ ad obiectum, & consequenter verbo creato, significationem cum imperfectione concedit, quod ad rationem signi sufficit.

Rursus etiam dum asserit verbum exterius non institui ad significandum, nisi per verbum interius, sentire videtur utrumque

verbum esse ad significandum institutum, & non esse propter se, & consequenter utrumque esse verè, & proprie signum.

Similiter etiam quodlibeto 4. art. 17. asserit quod: *Vox est signum, & non signatum, conceptus autem signum, & signatum.* Quæ verba de signo verè intelligenda sunt in conceptu, sicut intelliguntur in voce; cum rationem signi in utroque recognoscat, & eodem modo quantum ad hoc de utroque loquatur.

Respondet quidam Thomista, verba non fideliter referri, quia illud dictum non de conceptu, sed solum de intellectu affirmat D. Thomas.

Sed prædicta verba solum materialiter esse distincta constat ex eo, quod in eodem corpore articuli asserit D. Thom. quod: *Intellectus sunt rerum similitudines; sed intellectus qui est rerum similitudo, non est intellectiva potentia, sed conceptus intellectus, quid dicitur res intellecta in actu secundò: ergò D. Th. formaliter de conceptu mentis loquitur ibi, & si nomine intellectus utatur.*

Ratione verò conclusionem nostram suademus; nam quicquid aliud à se potentiæ cognoscitivæ representat, cum deficientia, & subordinatione, veram obtinet rationem signi; sed conceptus talis est: ergò verè, & proprie est signum. Prob. min. Conceptus verè representat obiectum; sed

ob-

obiectum est aliud à conceptu, & conceptus ipse obiecto subordinatur: ergò conceptus talis est. Prob. min. Conceptus specificatur essentialiter ab obiecto tanquam ab extrinseco termino: ergò obiectum est aliud à conceptu, & conceptus ipse obiecto subordinatur; nam specificativum extrinsecum est aliud à re, cui præbet speciem, & eam sibi subordinat, cum idem essentialiter non possit extrinsecè specificare se ipsū.

Respondet primò. Obiectum in esse intelligibili esse idem cum conceptu, & consequenter aliud à conceptu non esse, conceptum verò esse idem in esse intelligibili cum obiecto, ex eo constare quod conceptus est ipsa res representata per ipsum.

Sed contra primò: Quia obiectum in esse intelligibili specificat conceptum extrinsecè: ergò est aliud à conceptu; sicut propter eandem rationem obiectum extrinsecè specificativum est aliud ab habitu, vel potentia.

Secundò rejicitur: quia etiam admissio conceptum in esse representativo esse ipsum obiectum quo ad substantiam, & speciem, quod disputare præsentis loci non est, quamvis nos ita sentiamus cum PP. Carmel. semper tamen obiectum representatum quantum admodum, quem habet in se ipso, & in conceptu essentialiter est diversum: ergò semper obiectum est aliud à conceptu represen-

Mag. Froylan,

tante. Prob. ant. Modus quem obiectum habet in se ipso, est modus naturalis obiecto, modus verò quem in conceptu habet purè intentionalis est; sed modus naturalis, & intentionalis essentialiter differunt: ergò verum est ant.

Respondetis: Differentias individuales essentialiter esse distinctas, & tamen hæc diversitas essentialis in conditione individua ad rationem signi non sufficit: ergò ad rationem signi satis non est diversitas quoadmodum, si semel in natura, & substantia identitas invenitur.

Sed contra est: Quia ea diversitas sufficit ad rationem signi, quæ sufficit ut unum possit ab altero dependere, & illi subordinari; sed diversitas quo admodum, inter obiectum in se ipso, & obiectum prout in conceptu ad hoc sufficit, non tamen sufficit ad hoc diversitas quæ inter individua eiusdem speciei invenitur: ergò paritas nulla est. Prob. min. Propter talem diversitatem conceptus specificatur ab obiecto, & essentialiter pendet ab illo in esse, & in conservari, unum tamen individuum licet inferi, & per accidens dependeat ab alio, non tamen in esse specifico, nec in conservari dependet, nec specificatur ab alio, aut illi subordinatur, qua ratione dicitur unum perfectè simile non esse signum alterius: ergò vera est.

Respondet secundò ad rationem principalem, conceptum re-

N

præ-

praesentare aliud distinctum in modo non tamen ab eo deficere privativè, eo quod obiectum non potest in conceptu habere eundem modum, quem in se ipso habet, ad rationem verò signi deficientia privativa requiritur.

Sed contra est: Quod si daretur imago D. Th. quae non posset perfectiori modo depingi, aut ipsum perfectius praesentare, esset quidem verum signum illius, & tamen solum deficeret negativè eo, quod habere modum naturalem obiecti non esset illi possibile, & consequenter carentia illius privativa non esset: ergò ad rationem signi deficientia privativa necessaria non est.

Respondet tert. ad rationem nostram: Signum debere praesentare aliud à se per modum obiecti medij, quod conceptus habere non potest; quia inter potentiam cognoscentem, & obiectum, non mediat ipse conceptus; aliàs obiectum non terminaret immediatè intellectiōnem.

Sed contra est: quia conceptus terminat intellectiōnem, vt q. 9. de poten. art. 5. docet D. Th. expressè; sed non terminat ultimò: ergò non ultimò terminat, & per modum obiecti medij. Prob. min. primò: Conceptus ex natura sua institutus est, vt obiectum praesentet: ergò non terminat ultimò cognitionem, sed ipsa ad obiectum transit.

Secundò prob. min. Motus

non sistit in imaginè, sed transit ad ipsum imaginatum; sed conceptus terminat intellectiōnem, vt imago, & formalis, & expressa obiecti similitudo: ergò non ultimò illam terminat, sed ipsa transit ad aliud.

Tert. prob. min. Obiectum ad extra terminat intellectiōnem; quia obiectum ad extra specificat, & mensurat cognitionem, & ita ad extra terminat illam; sed obiectum ad extra non terminat immediatè, quia cognitio quantum ad terminum intrinsecum, completur, & terminatur ad intra, vt Arist. docet: ergò solus conceptus immediatè, & non ultimò terminat intellectiōnem, qua propter conceptus, & res concepta constituunt idem obiectum conflatum ex quo, & quod, non quidem ex quo constitutivè formalitèr, sed ex quo per modum medij, aut quatenus obiectum in conceptu tanquam in medio cognoscitur, differunt tamen in ratione terminandi; quia conceptus, vel medium in quo terminat immediatè, obiectum verò mediatè, & ultimò terminat intellectiōnem.

§. II.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram poterat in primis argui ex Ang. Doct. qui in

4. dist. 1. q. 1. art. 1. quaestione. 2. ad 1. asserit conceptum posse dici signum secundariò, & transumptivè, & quaest. 9. de verit. art. 4. ad 4. habet; quod forma intelligibilis potest dici signum communiter: ergò conceptus in via D. Th. verè signum non est.

Facilè tamen respond. D. Thomam appellare conceptum secundariò, transumptivè, & communiter signum comparativè ad primam impositionem, eo quod signum primò impositum est ad significanda sensibilia, per quae venimus in aliorum cognitionem. In quo etiam sensu intellegendus est 3. p. q. 60. art. 4. ad 1. dum ait: Primò, & principaliter esse signa, quae sensibus offeruntur, & August. de principiis Dialecticae cap. 5. dum asserit signum esse: quod species ingerit sensibus: sed quamvis signum primò impositum sit ad sensibilia significanda, usus tamen Philosophorum obtinuit, vt nomen extenderetur ad significandum propriè, quidquid praesentat alterum dependenter ab illo, & ipsi subordinatum: Verum quia ad hoc translatum est nomen, & non primò impositum, propterea signum formale non ex prima impositione, sed secundariò, & translative signum appellatur.

Secundò arguitur: Signum propriè tale non perficitur à potentia, sed potius perficit ipsam, tanquam illius mensura; sed sig-

num formale, vel conceptus perficitur à potentia; siquidem ab illa accipit esse, & ab eadem tanquam à causa principali producitur: ergò verè signum non est.

Confirm. & vrgetur: Signum verè tale praesentat aliud à se; sed signum formale non praesentat aliud à se: ergò non est verè signum. Prob. min. primò: Conceptus entis rationis non est aliud ad eo quod praesentat: ergò signum formale non praesentat aliud à se. Prob. ant. Ens rationis extra intellectum nihil est, sed solum habet esse in conceptu intellectus; sed conceptus non est aliud à se: ergò non est aliud ab eo quod praesentat.

Secundò prob. min. Obiectum non est signatum nisi reductivè vt actu praesentatum; sed provt actu praesentatum non est aliud à signo formali, vel à conceptu diverso: ergò signum formale non praesentat aliud à se.

Tertiò prob. min. Conceptus in esse praesentativo habet eandem essentiam, quam habet res à parte rei, vt asserit D. Thom. 2. de anima lect. 24. & 7. metaph. lect. 6. & 4. contra gent. cap. 14. & in 3. cap. 51. Ergò signum formale, vel conceptus non praesentat aliud à se; nam inter ea, quorum est eadem essentia, & natura, non est vnum aliud ab altero.

Respond. ad argum. dist. min. Perficitur à potentia in genere causæ efficientis, conc. min. vt à causa formali, vel finali, neg. min. & conseq. Quia non est contra rationem signi, quod habeat esse à potentia tanquam à causa efficiente, sed solum quod ordinetur ad ipsam, vt ad finem, & mensuram, & quamvis conceptus principaliter à potentia fiat, non tamen ad ipsam, sed potius contra, illa ad ipsum ordinatur vt finem.

Ad confirm. verò argumenti, neg. min. & ad primam probat. neg. ant. ad probat. verò dist. mai. nihil est subiectivè, & verè, conc. mai. obiectivè, & fictè, neg. mai. Quia licet ens rationis extra intellectum verè, & subiectivè non sit, est tamen extra intellectum obiectivè, & fictè ex parte rationis que; nam esse obiectivum quod fingitur, non est ipse conceptus, sed aliquid aliud, quod est conceptus obiectum, quamvis fictum, quod mediatè, & ultimò terminat cognitionem.

Ad secundam probat. dist. mai. ly vt dicente conditionem necessariam, conc. mai. rationem formalem constituentem signatum, neg. mai. & dist. min. ex parte conditionis, & medij, conc. min. ex parte rationis que, aut rei repræsentatæ, neg. min. & conseq. Quia licet vt obiectum sit signatum requiratur per modum conditionis, vel medij repræsen-

tandi conceptus, ratio tamen formalis signati constitutiva, non est conceptus ipse, sed propria, & intrinseca immaterialitas obiecti realiter, & formaliter à conceptu distincta.

Ad tertiam probat. dist. ant. eandem repræsentativè, conc. ant. eandem absolute, & simpliciter, neg. ant. & conseq. Conceptus namquè habet eandem essentiam, quam obiectum repræsentativè, quod est eandem habere pro obiecto, & eam repræsentare. In quo sensu intelligendus est D. Th. locis in argumento relatis; sed simpliciter, & absolute eandem essentiam non habet; nam res prout in conceptu essentialiter à se in se ipsa distinguitur, & est alterius naturæ: Undè homo in conceptu, non est homo simpliciter, sed solum secundum quid, videlicet in esse repræsentativo. Proptereaquè D. Th. q. 8. de veritat. artic. 11. ad 3. asserit quod: *Forma lapidis in anima est longè alterius naturæ, quam lapis in materia.* Et ita conceptus verè repræsentat aliud à se. Cæterum quia in via D. Th. probabilissimum est conceptum in esse repræsentativo esse eiusdem quidditatis cum obiecto, & eadem specifica prædicata, eandemque numeram naturam continere, cum illa quæ est in obiecto, non quidem sub eodem modo naturali, sed sub modo intentionali & diverso, nec specificè, nec numericè variante naturâ. Propterea, Ad

Ad tertiam probat. respond. dist. ant. eandem quo ad substantiam, & speciem, conced. ant. eandem quantum admodum, neg. ant. & conseq. Quia obiectum in seipso habet modum naturalem, in conceptu verò modo intentionali existit, & ita conceptus repræsentat aliud à se, alienitate modali, quæ sufficit vt sit verè signum obiecti; sicut eadem sufficit vt conceptus specificetur ab obiecto, ad ipsum ordinetur vt ad finem.

Sed instabis primò: Si solutio tradita vera est, non poterit conceptus relatione reali similitudinis ad obiectum referri: ergò non erit verè signum illius; quia signum naturale verum, vera etiam relatione reali refertur ad signatum. Prob. ant. Relatio realis similitudinis distinctionem realem requirit inter rationem fundandi, & rationem terminandi, eo quod in relationibus primi generis fundamenta per se primò referuntur, & ita debent distingui realiter: nam idem realiter non potest ad se ipsum, realiter referri. Quæ doctrina 1. p. q. 42. probat D. Th. relationem æqualitatis inter Divinas Personas non esse realem, sed rationis, quia ratio fundandi est natura Divina, quæ est eadem in Personis realiter; sed ratio formalis fundandi relationem similitudinis speciei ad obiectum est ipsa natura obiecti, quæ eadem realiter est in conceptu, &

Mag. Froylan,

obiecto: ergò non poterit conceptus relatione reali similitudinis ad obiectum referri, si doctrina tradita vera est.

Secundò instabis: Si doctrina vera est, non repræsentabit conceptus aliud à se, etiam alienitate modali: ergò non erit signum. Prob. ant. Eo conceptus non repræsentat aliud à se, quo ad substantiam, & entitatem obiecti, quia repræsentat eadem speciem, & numero prædicata, quæ in obiecto inveniuntur; sed quandoque conceptus ipsum etiam modum naturalem repræsentat: ergò non repræsentabit aliud, alienitate modali.

Tertiò instabis: Conceptus reflexus etiam quantum admodum non deficit à conceptu directo repræsentato per ipsum; cum modus utriusque conceptus, sit modus intentionalis: ergò non erit verè signum illius, si doctrina tradita vera est.

Quartò instabis: Signum propriè tale debet repræsentare aliud à se alienitate intra lineam intelligibilem, cum in tali linea, mensuretur à signato; sed alienitas in modo naturali de linea intelligibili non est; cum modus physicus, & naturalis essendi sit de genere entis formaliter: ergò alienitas prædicta ad rationem signi non sufficit.

Respond. ad primam replicam, neg. ant. & ad probat. dist. mai. Inter rationem fundandi, &

tionem terminandi, vel in modo ad utramque pertinente, conc. mai. in ipsa quo ad substantiam, & speciem, neg. mai. & dist. min. eadem quo ad substantiam, conc. min. quo admodum, neg. min. & conseq. Quia ad relationem realem similitudinis requiritur distinctio realis in ratione fundandi quo ad substantiam, vel in aliquo modo pertinente ad ipsam, & quia modus naturalis, & intentionalis pertinent ad lineam naturae, & se habent, ut complementum illius; siquidem modus naturalis essendi complet naturam in esse naturali; sicut alter in esse intentionali reddit naturam completam, diversitas realis in modo praedicto sufficit ad relationem realem similitudinis, quod non invenitur in ratione fundante relationem equalitatis, quia natura Divina pro priori ad relationes invenitur in sua linea completa, & completè de omnibus praedicatur, & ita relationes non pertinent ad ipsam lineam naturae.

Ad secundam replicam neg. ant. & ad probat. dist. min. modum naturalem, modo intentionali, conc. min. naturali modo, neg. min. Nam & si conceptus modum naturalem representet, non tamen ipsum representat modo naturali, sed dumtaxat intentionali ex parte modi representandi, & propterea conceptus semper deficit in modo.

Ad tertiam replicam, neg. ant. Quia licet modus utriusque conceptus comparativè ad obiectum, sit modus intentionali, eo quod uterque continet obiectum modo imperfecto, in quo quidem non potest proprias exercere operationes, modus tamen intentionalis conceptus directi comparativè ad ipsum naturalis est, & tali modo naturali, non est in conceptu reflexo, sed modo dumtaxat intentionali, cuius signum est, quod conceptus directus in reflexo non est medium in quo, nec exercitè representat ut quo, quem tamen modum essendi habet in se ipso directus.

Ad quartam instantiam respondent aliqui, quod licet modus physicus, & naturalis sit formaliter de genere entis, provenit tamen ab illo diversitas; quae intra genus intelligibile formaliter exercetur.

Sed contra: Distinctio essentialis intra genus intelligibile solum provenire potest à differentia essentiali pertinente ad tale genus; sicut diversitas essentialis intra genus animalis solum provenit à differentia intranea tali genere, & differentia essentialis intra genus relativum, solum provenit à forma de linea relativa, quod utique universaliter verum est; nam omnis differentia, quae non est intranea generi, solum causat accidentalem diversitatem; sed modus naturalis, &

phy.

physicus non est formaliter de genere intelligibili, ut concedit data solutio: ergo non potest distinctionem essentialem intra genus intelligibile causare formaliter, & ideo ommissa solutio praedicta.

Respondetur ad quartam instantiam neg. min. Quia licet modus physicus, & naturalis essendi, ut connotat existentiam physicam sit formaliter de genere entis, ut connotat tamen intellectum, & per ordinem ad ipsum est formaliter de genere intelligibili, & sub hac consideratione modus naturalis intra lineam intelligibilem, causat formaliter essentialem distinctionem.

Tertiò arguitur: Conceptus non est simpliciter imperfectior obiecto: ergo non est verè signum illius, quia signum simpliciter exceditur à signato, ant. prob. primò: Interea quae sunt eiusdem quidditatis non est dabilis excessus simpliciter; sicut inter Petrum, & Paulum talis excessus non datur; sed conceptus in esse representativo est eiusdem quidditatis cum obiecto: ergo non est simpliciter imperfectior.

Secundò prob. ant. Conceptus entis rationis non est simpliciter imperfectior ente rationis, quia conceptus est ens reale, quod non potest esse minus perfectum simpliciter ente rationis: ergo idem.

Tertiò prob. Conceptus est ultima actualitas obiecti in esse

intelligibili passivo, iuxta communem sententiam; sed ultima actualitas non est imperfectior, sed potius simpliciter superat rem actuatam per ipsam: ergo.

Quartò probat. Conceptus quidditativus est eiusdem immaterialitatis cum obiecto in esse intelligibili, iustam sententiam Thomistarum, vno, vel altero dempto, de quo curandum non est; & propterea species Dei quidditativa non potest esse creata: ergo conceptus non est imperfectior obiecto.

Quintò probat. Forma magis immaterialis in genere intelligibili debet esse in eodem genere perfectior; quia intelligibilitas ad immaterialitatem consequitur; sed conceptus magis immaterialis est obiecto saltem materiali: ergo non est imperfectior.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. excessus simpliciter in substantia, & specie, conc. mai. in modo illam habendi, neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia ex quo conceptus in esse representativo sit eiusdem quidditatis cum obiecto, solum infertur ab obiecto non excedi in substantia, & specie; non verò in modo habendi speciem praedictam, & excessum in modo sufficere ad rationem signi, diximus anteceder, & constat in corpore Christi in Sacramento, quod ratione modi diversi est signum sui, ut existens

tentis in Caelo, & existentis in Cruce.

Ad secundam probat. dist. ant. in esse entis, conc. ant. in esse representativo, neg. ant. & conseq. Quia ens reale in esse entis perfectius est ente rationis, sed in esse representativo ordinatur ad ipsum ut finem, & mensuratur ab eo, à quo etiam deficit quoadmodum, & ideo simpliciter superatur ab illo.

Ad tertiam prob. dist. mai. ultima accidentalis, conc. maior. ultima substantialis, neg. maior. & dist. min. ultima substantialis, conc. min. accidentalis, neg. min. & conseq. Admisso namque existentiam esse perfectiorem simpliciter essentia, quam substantialiter perficit, & actuat, cuius oppositum verius credimus in doctrina D. Thomae: Dicimus conceptus esse ultimam actualitatem accidentalem obiecto, & propterea non adaequare ipsum simpliciter; sicut nec operatio simpliciter adaequat substantialem naturam; quia ultima actualitas accidentalis est, & minorem exprimit potentialitatem in linea operativa, quamvis actualitas praedicta secundum quid perfectior sit.

Ad quartam prob. dist. ant. eiusdem immaterialitatis, & perfectionis ex conceptu formali, & communi, neg. ant. ex conceptu peculiari aliquando, vel in ordine ad determinatum obiectum, conc. ant. & neg. conseq. Quia spe-

cies quidditativa obiecti ex conceptu formali, & communi solum petit positivè continere quidditatem obiecti in esse representativo, & intelligibili, esse tamen eiusdem perfectionis, & immaterialitatis formaliter positivè non petit; potest tamen hoc habere ex conceptu materiali, qualiter contingit in specie Dei quidditativa, eo quod in Deo esse intelligibile est purissimum, & infinitum, & ideo species, quae est idem cum Deo in esse intelligibili, debet esse in tali genere formaliter actus purus, & ulterius idem etiam cum ipso Deo in genere entis; quia in Deo esse intelligibile non est distinctum ab esse. Simile exemplum habemus in intellectu, qui ex conceptu communi solum petit assimilare in esse intelligibili, sed ex conceptu peculiari potest assimilare etiam in esse naturali, ut contingit in intellectu Divino.

Ad quintam probat. respondent aliqui, rem magis immaterialem à toto genere entis, vel ex genere perfectiorem esse; posse tamen ex conceptu specifico à materiali superari; sicut fides ex conceptu communi generis intellectivi charitatem excedit, secundum conceptum tamen peculiarem superatur à charitate, & hoc idem in conceptu reperiri comparative ad obiectum materiale, quod conceptus representat.

Et si illis obijcias: Individuum ex specie perfectius, non posse

posse esse simpliciter imperfectius ex aliqua differentia: ergo forma ex genere suo perfectior non potest ex aliqua differentia, ab altera simpliciter superari.

Respondet individuum non superaddere differentiam essentialem, & perfectionem essentialem ad speciem, quae sola est simpliciter talis, sed dumtaxat superaddere materialem differentiam, & propterea individuum speciei perfectioris, non potest ab alio simpliciter superari; sed species superaddit differentiam essentialem ad genus, & ita sicut potest superaddere essentialem differentiam perfectiorem simpliciter, potest etiam aliam speciem generis superioris simpliciter superare. Sed quia haec in presenti necessaria non sunt propterea.

Ad quintam replicam, dist. mai. immaterialitate naturali, & in perfectione fundata, conc. mai. immaterialitate intentionali, & fundata in imperfectione formae, neg. mai. & sub eadem distinctione mino. neg. conseq. Quia licet maior immaterialitas physica, & naturalis in maiori actualitate fundata maiorem etiam perfectionem importet ut pat. In Angelo comparative ad animam rationalem, maior tamen immaterialitas intentionalis in imperfectione fundata, non debet esse perfectior, & talis est immaterialitas intentionalis conceptus, quae

fundatur in natura, & entitate imperfecta ad alterum ut ad finem ordinata; sicut simplicitas materiae non arguit perfectionem maiorem, quam compositio totius, quia materiae simplicitas in imperfectione fundatur.

Secundò ad eandem replicam respondemus distinguendo minorem, magis immaterialis est in esse entis, conc. min. comparative ad obiectum, neg. min. & conseq. Quia licet conceptus in esse entis immaterialior sit, non tamen immaterialior, & perfectior est, comparative ad obiectum; eo quod immaterialitas conceptus non est naturalis obiecto, sed ad obiectum ordinatur ut finem, & ideo formaliter minor est.

Sed instabis: Modus intentionalis, quem res habet in conceptu perfectior est, quam modus eius in se: Ergo ruit data doctrina. Prob. ant. primò: Modus spiritualis perfectior est modo corporeo, sed modus in conceptu spiritualis est, alter verò materialis: ergo modus intentionalis perfectior est, quam modus obiecti in se.

Secundò probat. ant. ex D. Th. 1. p. q. 82. art. 3. asserente: Res materiales esse in anima, & in conceptu intellectus perfectiori modo, quam in se, res verò quae sunt supra nos, perfectiori modo esse in se ipsis, quam in nobis: ergo modus intentionalis, quem res

materialis habet in conceptu, perfectior est.

Resp. ad replicam, neg. ant. & ad prim. probat. dist. mai. modus spiritualis in esse entis, conc. mai. comparativè ad obiectum, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. sub dist. maioris: Quia modus ille spiritualis, & intentionalis in esse entis, & absolutè perfectior est, sed non comparativè ad obiectum, ad quod ordinatur ut ad finem, & mensuram, & cui connaturalis non est; sicut status separationis absolutè perfectior est, quam status conjunctionis ad materiam, non tamen perfectior est comparativè ad animam rationalem, cui connaturalius est cum materia coniungi; sicut etià illi connaturale est intelligere cum conversione ad phantasmata, & propterea perfectius comparativè ad illam, quamvis absolutè perfectius sit sine conversione intelligere.

Ex eadem doctrina constat solutio ad secundam probat. innixam in doctrina D. Th. qui solum intendit res materiales perfectiori modo absolutè, & in esse entis, esse in anima, quam in se ipsis, non tamen esse in anima modo perfectiori comparativè ad ipsas, cum talis modus essendi in anima non sit illis connaturalis; res verò quæ sunt supra nos non esse in nobis perfectiori modo adhuc in esse entis, & absolutè loquendo, eo quod in se ipsis per-

fectiorem immaterialitatem habent intra ordinem, & gradum immaterialem.

Quartò arguitur: Conceptus habet conditiones repugnantes cum vera ratione signi: ergò verè signum non est. Probat. ant. Conceptus ordinatur ad ipsam intellectionem ut finem, nam ad hoc producit, ut intellectus cognoscat obiectum, & aliudè habet actualiter ducere essentialiter in cognitionem signati; cum non possit esse conceptus intra intellectum, quin intellectus percipiat in illo actualiter obiectum; sed prædictæ conditiones cum vera ratione signi repugnat; siquidem de ratione signi est esse terminum, & finem intellectionis, & non actualiter ducere essentialiter, sed solum posse ducere in cognitionem signati: ergò conceptus habet conditiones repugnantes cum vera ratione signi.

Confirm. Conceptus quandoque non deficit ab obiecto: ergò verè signum non est. Prob. ant. primò: Representatio deficiens, est representatio obscura, & confusa; sed conceptus quandoque clarè, & distinctè representat obiectum: ergò quandoque non deficit.

Secundò prob. ant. Conceptus comprehensivus albedinis, non deficit ab ea: ergò idem. Prob. antec. Representat ipsam in quantum representabilis est, & illius representabilitatem adæ-

quat;

quat; cum hoc sit de ratione formali conceptus comprehensivi: ergò non deficit.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad probat. Quo ad primam partem negatur maior, quia licet verbum producat, ut intellectus in eo cognoscat obiectum, solum infertur inde ordinari ad intellectionem, ut prædicatum requisitum ad ipsam, non tamen ut verum medium ad finem; sicut etiam obiectum necessarium est ut ipsum cognoscatur, quin inde inferas ad sui cognitionem, ut ad finem ordinari.

Addimus: quod si argumentum tantum intenderet conceptum ordinari, ut ad finem, ad intellectionem obiecti, ut terminatam ad ipsum, non verò ad illam, ut terminatur ad ipsum conceptum, nullius esset in convenientis; sed verius est esse prædicatum prærequisitum ad prædictam cognitionem, quamvis in ordine ad obiectum sit verè medium, & illi subordinatum.

Ad eandem probat. antis pro secunda parte respondemus, de conceptu signi in communi solum esse quod possit ducere, non verò quod actualiter ducat; ut constat in imagine D. Th. quæ verè signum est antequam ducat actualiter; posse tamen signum ex conceptu differentiali essentialiter habere quod actualiter ducat, quod nedum verum est in conceptu, sed etiam in signo ad placit-

tum, quod dum respectus rationis, quo constituitur in ratione signi, fingitur, etiam actualiter ducit.

Et si dicas: Exercitium signi accidentaliter signo competere, & ideò actualiter ducere, quod est exercitium signi, debere accidentaliter convenire.

Respond. exercitium signi accidentaliter competere signo non consistenti in exercitio, non verò signo in exercitio consistenti, qualiter contingit in signo ad placitum, & in conceptu, in quibus forma constitutiva signi, cum exercitio actuali essentialiter connexa est.

Ad confirmat. argumenti, resp. neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. deficiens in expressione, conc. mai. in modo exprimendi tantum nego mai. & concessa min. dist. consequens, in expressione, conced. conseq. in modo exprimendi, neg. conseq. Conceptus namque, qui representat obscurè deficit in expressione obiecti, quatenus non exprimit omnia prædicata illius quidditativa; sed ad rationem signi hæc deficiencia necessaria non est, sed sufficit deficiencia in modo exprimendi intentionali, quam habet omnis conceptus.

Ad secundam probat. dist. ant. Non deficit in exprimendo, quia exprimit substantiam, & modum albedinis, conced. ant. in modo exprimendi, nego ant.

Quia

Quia est modus intentionalis, non connaturalis albedini, sed potius ab illius modo naturali deficiens.

Sed instabis primò: Conceptus compræhensivus debet adæquare modum, & substantiam obiecti, quia debet esse tantus in repræsentando, quanta est cognoscibilitas obiecti quo ad substantiam, & modum: ergò conceptus compræhensivus etiam in modo non deficit.

Secundò instabis: Ex data doctrina sequitur conceptum non esse signum obiecti, sed solum illius modi: ergò obiecti verè signum non est. Prob. ant. Solum potest esse signum illius à quo deficit, sed solum in modo deficit: ergò solum erit signum modi.

Instabis tertio: Modum existendi in conceptu esse diversum à modo obiecto connaturali, non arguit defectum, & imperfectionem in conceptu, & modo repræsentandi: ergò non sufficit ad veram rationem signi. Probat. ant. primò: Modum prædictum esse diversum non arguit naturam à parte rei, & in conceptu esse distinctam: ergò non arguit defectum, & imperfectionem in conceptu, & modo repræsentandi.

Secundò prob. ant. Creaturæ in essentia Divina non habent modum connaturalem, quem in se ipsis habent, & humana natura per existentiam Divinam, modo

connaturali non existit, & tamen natura Divina non deficit in modo repræsentandi, nec natura humana imperfectiori modo existit per Divinam existentiam: ergò idem quod prius.

Respond. ad primam replicam dist. ant. modum, & substantiam expræssivè, conced. ant. in modo exprimendi, nego antec. Quia conceptus compræhensivus debet adæquare substantiam, & modum obiecti expræssando omnem substantiam, & modum in obiecto repertum, ad quod necessaria est convenientia in gradu immaterialitatis, non tamen adæquare debet modum obiecti in modo expræssionis, quia modus repræsentationis semper est intentionalis.

Ad secundam replicam negatur sequela, & ad probat. dist. minor. in modo propter se conced. minor. in modo absolute; nego minor. & consequentiam. Quia conceptus nedum deficit in modo, sed etiam deficit ab obiecto, non quidem ab obiecto propter se, sed ab obiecto propter modum à quo tanquam à ratione formali oritur ipsa diversitas, quæ tamen etiam facit ut quod ipsum obiectum diversum, quia modus ille naturalis, est modus proprius obiecti.

Ad tertiam replicam resp. neg. antec. & ad primam probat. conced. antecedenti, nego consequ. Quia modus essendi inten-

tio-

tionaliter in conceptu non multiplicat naturam realiter; sicut nec individualiter multiplicat illam, eo quod distinctio, & multiplicatio realis solum habetur per physica principia naturæ, & cum modus intentionalis non sit modus physicus naturæ obiecti, propterea non facit naturam à parte rei, & in conceptu esse distinctam, sed cum sit inferior admodum physicum, & naturalem obiecti, semper arguit defectum in conceptu, & modo repræsentandi.

Ad secundam probat. dist. mai. Quo ad utramque partem. modum connaturalem, & modo connaturali executivè, conced. maior. eminenter contentivè, nego maior. & concessa minori, nego consequ. Quia quamvis modus connaturalis creaturæ in essendo, & humanitatis in existendo diversus sit, à modo quo creaturæ sunt in Deo, & à modo quo humanitas existit per Divinam existentiam, & idè ille modus superior connaturalis executivè, & formaliter non sit; est tamen connaturalis modus ille superior eminenter contentivè, quatenus modum connaturalem eminenter perfectissimè continet, & propterea res cum modo superiori prædicto perfectiori modo invenitur, & absque vlla deficietia etiam comparativè admodum connaturalem.

Quintò arguitur: Species impræssa non est verè signum in

ordine ad cognitionem, quam principiat, ut fert communior sententia: ergò nec conceptus, vel signum formale erit verè signum. Prob. consequ. Eo primò est verum, quia species impræssa tenet se ex parte potentia, & cum illa constituit unum, & adæquatum principium; sed etiam conceptus tenet se ex parte obiecti, & constituit cum illo unum, & adæquatum terminum intellectio-

nis: ergò idem de conceptu dicendum. Confirm. Signum est obiectum medium ductivum potentia in cognitionem signati; sed conceptus non est verè medium in ordine ad cognitionem prædictam: ergò non est verè signum. Prob. minor. Conceptus terminat eandem cognitionem signati, & obiecti: ergò non est medium ad prædictam cognitionem; quia esse medium, & terminum respectu eiusdem, & in ordine ad idem implicatorium est.

Respond. ad argumentum, neg. consequ. & ad probat. dist. maior. ex parte potentia cum præcedentia ad omnem intellectio-

prop-

propterea non est signum; quia signum quamvis ducat potentiam in cognitionem signati, illamque precedat, propriam tamen cognitionem supponit, conceptus vero quamvis se teneat ex parte obiecti, aliqua tamen prioritate precedit cognitionem, quatenus ad obiectum terminatur: Unde intellectio prius terminatur ad verbum, & pro posteriori terminatur ad obiectum; consequenterque verbum terminat per modum medij in quo, & per modum imaginis per quam cognitio ad obiectum, vel imaginatum transit.

Ad confirmat. argumenti, neg. minor. ad probat. dist. ant. terminat intrinsecè, & non ultimò, conced. antec. extrinsecè, & ultimò, neg. antec. & conseq. Quia conceptus terminat intellectiōnem per modum imaginis, & similitudinis continentis obiectum; & ita non ultimò terminat, sed cognitio transit ad obiectum; sicut mutatum esse, in quo motus non finitur, est terminus motus non tamen ultimus, quia motus ultra progreditur.

Sed instabis: Conceptus in ratione termini non ponit in numero cum obiecto: ergo conceptus ultimò terminat, sicut ipsum obiectum. Prob. antec. primò: Ratio *quæ*, & ratio *sub qua*, non ponunt in numero in ratione terminandi; sicut patet in colore, & luce; in obiecto, & illius abstractio-

ne, in ratione *sub qua* boni, & bonitate terminante, sed obiectum est ratio *quæ*, & conceptus ratio *sub qua*; siquidem obiectum terminat ratione conceptus: ergo conceptus in ratione termini non ponit in numero cum obiecto. Quod insuper constare videtur ex eo quod ex intellectu, & re intellecta ratione conceptus fit magis vnum, quam ex materia, & forma: ergo conceptus, & obiectum non sunt duo; proindeque conceptus non ponit in numero cum obiecto.

Secundò prob. ant. Obiectum solum terminat ut intra conceptum, non tamen provt ad extra; sed conceptus cum obiecto ut ad intra non ponit in numero: ergo non ponit in numero cum obiecto in ratione terminantis. Prob. maior. Obiectum terminat, quatenus est à materia denudatum; sed solum ut intra conceptum est à materia denudatum: ergo terminat provt intra.

Tertiò prob. antec. Obiectum non terminat nisi, quatenus representatum formaliter; nam secundum rationem representati habet rationem signati, sed in ratione representati constituitur formaliter per conceptum, qui solus est formalis representatio: ergo idem quod prius.

Resp. ad replicam neg. ant. & ad primam probat. dist. maior. ratio *sub qua* substantialis, conced. maior. accidentalis, neg. maior.

&

& sub eadem dist. minor. conseq. Quia quamvis ratio *sub qua* substantialis obiecto, qualis est immaterialitas propria, per quam in actu secundo terminat formaliter intellectiōnem extrinsecè, non ponat in numero cum obiecto; ut constat per inductionem in omni ratione *sub qua*; ratio tamen *sub qua* non substantialis, & propria, sed solum accidentalis, quæ habet rationem medij, vel imaginis, & obiecto in se ipso extrinsecè est, verè ponit in numero cum obiecto; & constat ex eo quod conceptus intrinsecè terminat, obiectum autem terminat intellectiōnem extrinsecè.

Ad alteram probat. ibi inductam respond. conceptum esse idem quantum ad substantiam simpliciter cum obiecto in esse intelligibili, licet non quantum ad modum, vel saltem esse idem secundum quid in esse representativo; cumque inter materiam, & formam non detur aliqua idèntitas ex prædictis, sed sola realis distinctio; indè fit quod ex conceptu, & re concepta fit magis vnum; non tamen infertur indè conceptum non ponere in numero cum obiecto, quia licet sint vnum in esse intelligibili, & representativo, modo explicato, sunt tamen vnum per modum medij, & obiecti, vel imaginis, & imaginati, quæ ponunt in numero in ratione terminandi.

Ad secundam probat. dist.

mai. ly ut importante conditionem terminandi, conc. mai. rationem formalem, neg. mai. Quia obiectum esse intra intellectum per conceptum, & esse à materia segregatum, est conditio necessaria, ut cognoscatur obiectum, sed ratio formalis terminandi invenitur ad extra, hæc namque est ipsa immaterialitas intrinseca obiecto, quæ, sicut ipsum obiectum reperitur ad extra formaliter.

Ad tertiam prob. dist. mai. ly quatenus dicente rationem *quæ*, conc. mai. rationem sub qua accidentalem, vel medium representandi, neg. mai. & min. & illius conseq. Quia ratio quæ ad extra terminat est res ipsa representata, non verò conceptus, vel medium representandi: Unde obiectum à se ipso habet formaliter rationem *quæ* terminandi propriam videlicet immaterialitatem, quæ per se ipsam signatum est, & mensura conceptus; sicut bonum non movet nisi quatenus apprehensum, ipsa apprehensione se habente, ut conditio ad movendum, ratio tamen formalis movendi non est apprehensio, sed bonitas.

Instabis: Obiectum in ratione signati non habet alteram differentiam constitutivam nisi verbum, vel conceptum: ergo conceptus non ponit in numero cum obiecto formaliter in ratione signati, Prob. ant. Formalis differentia


tia

tia constitutiva signati est ratio obiecti ultimi: Sicut signum constituitur per rationem obiecti medij; sed in ratione obiecti ultimi constituitur per conceptum, qui solus est ultima actualitas in genere intelligibili passivo: ergo obiectum in ratione signati non habet aliam differentiam constitutivam, nisi verbum, vel conceptum.


Resp. ad replic. neg. ant. & ad probat. dist. min. ultimi accidentaliter, conc. min. substantialiter, neg. min. & conseq. Quia conceptus est ultima solum actualitas accidentalis, per quam obiectum redditur intellectum intrinsecè, vel cognitum in actu se-

cundo, sed ultima actualitas substantialis per quam ultimo terminat ad extra, & extrinsecè, & qua constituitur in ratione signati est intelligibilitas, aut immaterialitas propria. Cuius signum est, quod si propria immaterialitas non terminat ultimo, sed ordinatur ad aliud; ut constat in signo, talis immaterialitas non erit verè signatum, quamvis sit in actu secundo representata, & per verbum constituta, & propterea signum quamvis dum intelligitur sit intellectum in actu secundo per verbum, verè tamen signatum non est.

)(*)(



QVÆST.



QVÆST. TERTIA.

DE CONCEPTV, ET NOTITIA, ET IN EA.

ARTICVLVS PRIMVS.

*UTRVM AD COGNOSCENDVM CON-
ceptum directum requiratur reflexus distinctus
realiter?*

§. PRIMVS.

Quibusdam prelibatis statuitur affirmativa conclusio.

AD intelligentiam difficultatis præmittendum est primo, eam non procedere de conceptu directo, ut terminante cognitionem directam; nam per cognitionem prædictam conceptus ipse directus attingitur tantum ut *quo*, & per modum medij, in quo intellectus contemplatur obiectum: Undè

sicut conceptus est ratio formalis, ut intellectus cognoscat obiectum, ita etiam est ratio formalis, ut ipse cognoscatur ut *quo*, aut quatenus obiectum exercitè representat: & ita solum difficultas est de conceptu considerato signatè per modum cuiusdam rei, & obiecti particularis directè ut *quod* cognitionem terminantis.

Mag. Froylan.

Q

Ss.

Secundò notandum est, cognitionem directam realitèr debere esse à reflexa distinctam, quia cognitiones habentes obiecta primaria formaliter diversa, debent esse distinctæ realitèr; eo quod per obiecta primaria distinguuntur realitèr cognitiones: sicut etiam habitus, & potentia; sed cognitio directa, & reflexa habent obiecta primaria distincta formaliter: ergò sunt realitèr distinctæ. Prob. min. Cognitio directa hominis primariò terminatur ad hominem; cognitio verò reflexa non ad hominem, sed ad conceptum hominis primariò terminatur; ut per se manifestum est: ergò cognitiones prædictæ habent obiecta distincta formaliter: Undè 4. contra gent. cap. 11. affirmat D. Th. quod: *In nobis aliud est intelligere rem, & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super opus suum reflectitur.* Sicut ergò cognitio reflexa semper debet esse realitèr à directa distincta, ita etiam de conceptu directo quærimus an se ipso possit reflexè cognosci, vel semper debeat esse realitèr à reflexo distinctus?

Affirmat prima sententia, quod licet defacto, aut de lege ordinaria semper conceptus reflexus sit realitèr à directo distinctus, non tamen id necessarium esse de potentia absoluta, sed posse conceptum directum de potentia absoluta se ipso cognosci, etiam

consideratum ut quod, quam quidem per consequentiam legitimam in doctrina tenetur defendere Caiet. qui 1. p. q. 27. art. 1. §. ad 3. expressè defendit Angelos in cognitione propria non formare verbum, eandem Zumel, Nazarius, & aliqui Thomistæ sequuntur, ex quibus aliqui in eadem fuisse sententia Ferraram, affirmant; quia 1. contra gent. cap. 53. defendit intellectum defacto reflexè cognoscere conceptum directum absque alio conceptu distincto, sed Ferraram vidimus, & revera loquitur de reflexione non propria, sed communi, qua intellectus dum cognoscit obiectum in conceptu, etiam cognoscit se cognoscere obiectum, & tali conceptu cognoscere.

Secunda sententia Thomistarum communis constanter tueretur ad cognoscendum conceptum directum reflexe, modo explicato superius, conceptum reflexum realitèr distinctum requiri etiam de potentia absoluta. Quam defendunt Complut. Reverend. à S. Thoma, & ingeniosus Ortiz, & plures alij Thomistæ. Cum quibus.

)(*)(



§. II.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Ad cognoscendum reflexè conceptum directum requiritur reflexus distinctus realitèr.

VERITATEM istam non obscurè indicat littera D. Thomæ 1. p. q. 27. art. 1. & q. 4. de verit. art. 2. & in alijs locis, in quibus asserit: Omne nostrum intelligere circa obiectum creatum semper esse dicere, vel producere verbum, & consequenter reflexa cognitio debet producere novum conceptum, quo præcedentem attingat.

In 4. tamen contra gent. cap. 11. expressè pro nobis adest, dum dicit: *Perfectior igitur est vita intellectualis in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ab aliquo exteriori: sicut intellectus humanus, sed per se cognoscit se ipsum: non dum tamen ad ultimam perfectionem vite ipsorum pertingit, quia licet intentio intellecta sit in eis omninò intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, causalem nota, quia non est in eis idem intelligere, & esse; cumque per intentionem intellectam, intelligat verbum, vel conceptum; ut etiam regulariter ipsi adversarij fatentur, manifestè sentire videtur conceptum, vel speciem ex-*

pressam realitèr ab obiecto distinguui; vbi cumque non est idem intelligere, & esse, quod etiam de potentia absoluta solum in Deo reperiri potest.

Respondent adversarij primò: D. Thomam tantum intendere, Angelum formare verbum in ordine ad alia obiecta distincta, quæ per se ipsa non possunt esse intra Angeli intellectum: non tamen formare verbum ad se ipsum intelligendum; nam ut ait Caiet. vanè verbum, aut similitudinem formaret de substantia propria, quam per se ipsam præsentem habet.

Secundò respondent: D. Th. per intentionem intellectam non intelligere verbum, sed ipsam intentionem per quam obiectum dicitur extrinsecè intellectum in actu secundo.

Vtramque tamen solutionem impugnat littera D. Thomæ, primam quidem; quia D. Tho. affirmat: quod intellectus Angeli non est sicut humanus intellectus, sed per se cognoscit se ipsum, non tamen pervenit ad ultimam perfectionem, eo quod intentio intellecta, aut verbum non est illius substantia, & ita in ordine ad idè obiectum, quod Angelus per se ipsum cognoscit, affirmat intellectum non pertingere ad ultimam perfectionem; sed primum asserit de Angelo ad se ipsum cognoscendum: ergò etiam secundum, & consequenter de verbo formato

ad ipsum Angelum cognoscendum intelligendus est.

Secundò: Quia D. Thomas ibidem asserit intellectum humanum ad se ipsum cognoscendum distingui ab intellectu Angeli, non quidem in hoc, quod intentio intellecta in homine non sit de illius substantia, bene tamen in Angelo, sed in eo præcisè distinctionem ponit, quod intellectus humanus primum suæ cognitionis initium ab extrinseco sumit: quod manifestum erit cuicumque textum legendi: ergò sentit intentionem intellectam nec in homine, nec in Angelo esse de illius substantia, alias etiam in hoc constitueret distinctionem.

Secundam etiam solutionem ipsa littera impugnat; nam post verba relata præsequitur D. Thomas: *Dico autem intentionem intellectam id quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta*, illud autem quod intellectus concipit de re intellecta non est intellectio, sed conceptus.

Insuper etiam de intentione intellecta affirmat esse quandam similitudinem quam voces exteriores significant per ea verba: ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum; sed intellectio nec est similitudo, nec verbum; ergò per intentionem intellectam conceptum intelligit, non tamen intellectionem; qua propter quod fundamento adversarij prædic-

tam solutionem adhibeant, totaliter ignoramus.

Ratione verò conclusionem nostram probant aliqui Thomistæ; si conceptus verbum identificaret, etiam esset idem cum intellectione mediante; sed intellectionem sine infinitate identificare non valet: ergò conceptus creatus nequit identificare verbum, aut se ipso cognosci. Probant maior. Si conceptus verbum identificaret, etiam identificaret rationem speciei impræssæ cum ipso verbo: ergò etiam esset idem cum intellectione mediante; siquidem extrema magis distant inter se, quàm à medio, & idè quidquid extrema identificat, etiam medium identificare debet.

Hæc tamen ratio in forma proposita, vera non est; quia Deus in ordine ad intellectum Beati est species impræssa, & expressa per se ipsum, & tamen idem non est cum visione Beata mediante, ergò ex identitate speciei impræssæ, & expressæ non bene infertur intellectionis mediantis identitas.

Secundò conclusionem probant alij: Quia quidquid identificat verbum, habet etiam per se ipsum esse intrinsecè intellectum, sed quod per se ipsum est intrinsecè intellectum, est etiam ipsa intellectio quâ terminat: ergò ex identitate cum verbo infertur ipsius intellectionis identitas, quæ soli potest in obiecto infinito cõcedi.

Sed

Sed etiam hæc ratio sub hac forma, vera non est; quia Deus in ordine ad visionem beatam habet etiam esse intrinsecè intellectum; cum sit verbum sui ipsius; & tamen non est per se ipsum ipsa intellectio quam terminat, sed realiter ab ea distinguitur.

Tertiò probant alij: Quia quidquid identificat terminum intrinsecum actualis intellectionis, petit essentialiter semper esse in actu secundò intellectum, vel nunquam esse sine ipsa intellectione, sed verbum est terminus intrinsecus actualis intellectionis: ergò si conceptus identificaret verbum, nunquam posset esse sine ipsa intellectione, quod utique soli obiecto infinito convenire potest.

Sed ratio hæc etiam vera esse non potest; quia Deus comparative ad visionem beatam identificat terminum intrinsecum actualis intellectionis; siquidem per se ipsum est verbum, & tamen non petit essentialiter esse simul cum ipsa visione, quia potuit nullam creaturam producere, vel nullam beatificare.

Si tamen in rationibus prædictis sermo fiat de intellectione connaturaliter exacta ab obiecto intelligibili, veræ sunt rationes prædictæ; nam si obiectum identificat verbum erit obiectum purum esse, & infinitum in esse intelligibili, ex quo bene infertur ab intellectione propria non dis-

Mag. Evelyn.

tingui, sed ipsam identificare, id tamen rationes factæ non convincunt sub forma, qua proponuntur, & ita quidquid sit de forma prædicta arguendi.

Conclusionem nostram efficaciter probamus. Quidquid identificat verbum est infinitum simpliciter in genere intelligibili; sed conceptus creatus non potest esse infinitus: ergò cognosci non potest sine verbo distincto realiter. Prob. mai. primò: Quidquid verbum identificat est suum esse in genere intelligibili: ergò in prædicto genere simpliciter infinitum est. Consequentia constat, & ant. prob. quidquid identificat existentiam est suum esse in genere intelligibili; nam sicut existentia est ultimum de linea entis; ita verbum in linea intelligibili ultimum est.

Utique etiam eadem ratio convincit; quia quidquid identificat existentiam caret vera compositione in genere entis; eo quod identificat ultimum in tali linea, & consequenter identificat intermedia: ergò quod identificat verbum, caret vera compositione in genere intelligibili, quia debet identificare intermedia, & consequenter erit simpliciter infinitum.

Secundò prob. mai. Quidquid identificare ultimam actualitatem in genere dicente perfectionem

tionem simpliciter, vel imperfectionem non importante ex conceptu formali, est infinitum simpliciter; sicut esset simpliciter infinitum quod identificaret existentiam, & operationem, quarum quaelibet est ultimus actus in suo genere, & tam genus entis, quam genus operativum ex conceptu formali, nullam imperfectionem important; sed genus intelligibile passivum ex conceptu formali nullam imperfectionem importat; cum in Deo formaliter reperitur, & aliunde verbum est actualitas ultima in genere isto: ergo quod verbum identificat, est in genere intelligibili simpliciter infinitum. Min. quantum ad secundam partem prob. prim. Ea est ultima actualitas in genere intelligibili passivo, per quam obiectum intelligibile constituitur in actu secundo intellectum intrinsecè; sed ratione verbi constituitur obiectum intrinsecè intellectum in actu secundo: ergo verbum in genere intelligibili passivo ultima actualitas est.

Secundo prob. min. Sicut intellectio se tenet ex parte intellectus, ut intelligat activè, ita verbum se tenet ex parte obiecti, ut passivè intelligatur; sed intellectio est vera actualitas ultima in intellectu: ergo verbum respectu obiecti, est vera actualitas ultima.

Tertiò prob. min. Species impræssa est verè proxima actua-

litas obiecti, verèque constituit ipsum proximè intelligibile: ergo verbum, aut species expressa est vera actualitas ultima; cum de utraque in sua linea eadem ratio sit, & verè utraque ab obiecto realiter distinguatur.

Respondent contrarij primò: Ultimam actualitatem obiecti in genere intelligibili non esse verbum, sed esse physicam existentiam non quidem absolute consideratam, sed connotativè sumptam cum ordine ad intellectum.

Hæc tamen solutio falsissima est; quia quoties intelligitur obiectum in actu secundo, invenitur intelligibile passivum adæquatè constitutum, & reductum ad actum secundum; sed quandoque physicam existentiam non habet; ut quando intelligimus possibilis, & chymeras, & rosam non existentem, & in mathematicis constat, quæ à physica existentia præcindunt: ergo physica existentia non est actualitas ultima intra genus intelligibile.

Secundo data solutio impugnatur: Quia genera adæquatè diversa requirunt in creatis actualitates distinctas realiter: sicut constat in genere absoluto, & genere relativo, in communiorsententia in genere entis respiciente existentiam, & in genere substantiæ respiciente substantiam realiter ab existentia distinctam; sed genus entis, & genus

in

intelligibile adæquatè differunt in creatis: ergo ultima actualitas generis intelligibilis non debet esse existentia, sed alia actualitas realiter ab existentia distincta.

Magis tamen communiter respondent adversarij secundo ad rationem supra factam: verbum, videlicet, solum esse ultimam actualitatem purè denominativam, & extrinsecam per quam redditur obiectum intellectum extrinsecè, & tale denominatur, non tamen esse ultimam actualitatem veram, & verè perfectivam rei, quam denominat, & ideo ex identitate obiecti cum verbo nullam posse infinitatem inferri.

Sed hæc solutio ultra ea, quæ supra diximus, efficaciter impugnatur, & primò: Quia verbum verè ultimò actuatur in genere intelligibili passivo: ergo vera ultima actualitas est. Prob. ant. primò: Illud verè ultimò actuatur in prædicto genere, quo obiectum intelligibile verè terminat intellectionem formaliter, & intrinsecè; sed ratione verbi terminat obiectum intrinsecè, & formaliter intellectionem ipsam: ergo verbum verè terminat genus intelligibile passivum. Prob. min. Obiectum ad extra terminat intellectionem intrinsecè per aliquid extrinsecum sibi, videlicet, per ipsum verbum ratione cuius obiectum intra intellectum est, & propterea obiectum dicitur intrinsecè intellectum ratione verbi, extrinsecè

verò terminat obiectum per se ipsum, & suam immaterialitatem intrinsecam: ergo ratione verbi terminat obiectum formaliter intrinsecè intellectionem ipsam.

Secundo prob. ant. Illud ratione cuius passivum verè redditur ultimò constitutum, & ultimò passivè unitum cum agente, verè etiam ultimum passivum actuatur; sed obiectum in linea intelligibili passiva redditur in actu secundo, & ultimò constitutum, & passivè unitum cum intellectu ratione verbi: ergo verbum verè ultimò actuatur genus intelligibile passivum, quamvis actualitas prædicta non substantialis, sed accidentalis sit, & propterea imperfectionior obiecto, quod accidentaliter perficit.

Principaliter impugnatur secundo data solutio: Quia magis distat actualitas ultima extrinsecam ab obiecto ipso, quam actualitas intrinsecam, & propria; sed si verbum esset vera actualitas ultima, & intrinsecam obiecto, ex identitate obiecti cum verbo vera sequeretur infinitas: ergo vera etiam infinitas sequitur ex identitate obiecti cum verbo, quamvis verbum actualitas extrinsecam sit; sicut quia ex identitate cum operatione arguitur infinitas in agente, etiam ex identitate cum termino operationis infertur infinitas, quia terminus magis distat ab agente, quam operatio ipsa.

Tertiò solutio data impugnatur:

natur: quia genus intelligibile passivum habet aliquam ultimam actualitatem, quae verè ultima actualitas sit; sed aliam quam verbum habere non potest: ergò verbum vera ultima actualitas est. Prob. mai. Si passivum intelligibile non haberet ultimam actualitatem veram, nunquam esset verè ultimò actuabile, & consequenter nunquam esset in potentia vera ad ultimam actualitatem; quia quando actus verus non datur, nec datur potentia vera; sed intelligibile passivum increatis veram potentiam importat: aliàs verè potentiale, & consequenter verè limitatum non esset: ergò genus intelligibile passivum aliquam habet ultimam actualitatem, & veram.

Respondetis: Genus intelligibile passivum solum habere potentiam grammaticalem per negationem, videlicet, exercitij extrinseci, vel defectum intellectio- nis, & praedictam potentiam ad actum reduci, per hoc quod intellectio ponatur: Nunquam tamen habere actualitatem veram, & intrinsecam, & realem potentialitatem ad ipsam.

Sed contra est: Quia si veram potentialitatem non habet, verè erit actus purus; sed intelligibile passivum actus purus in creatura non est: ergò debet habere veram potentialitatem.

Nec obstat quod indigeat aliquo distincto realitèr, ut redu-

catur ad actum, si semel per se ipsum verè potentiale non est; quia etiam Verbum Divinum in ratione terminantis humanitatem sine humanitate non est, & tamen, quia non indiget aliquo distincto verè actuante, nec habet potentialitatem veram in ratione terminantis, est simpliciter infinitum: ergò idem in nostro casu dicendum.

§. III.

Solvitur primum argumentum, contra rationem praedictam.

CONTRA praefatam rationem arguitur primò: Verbum aut conceptus non est actualitas ultima obiecti: ergò ratio praedicta nititur principio falso. Prob. ant. primò: In conceptu representante ens rationis, quia conceptus ille est realis; sed implicat formam realem intrinsecè realitèr actuare entitatem rationis: Sicut etiam implicat entitatem rationis esse realitèr actuatam: ergò verbum, aut conceptus actualitas ultima non est.

Secundò prob. ant. Intellectus, & obiectum eadem ultima actualitate actuantur; sicut materia, & forma in sententia concedente unicum modum unionis ad actuandum utramque, eo quod ex intellectu, & re intellecta fit magis unum, quam ex materia, & forma; sed sola intellectio
est

est ultima actualitas intellectus, non erò verbum: ergò idem.

Tertiò probat. Sicut intellectus fertur ad obiectum mediante verbo, ita voluntas ad obiectum inclinatur mediante impulsu, quo vitaliter percipit ipsum; sed impulsus productus per amorem voluntatis, non est actualitas obiecti: ergò nec verbum, vel conceptus.

Quartò prob. Quaecumque potentia specificatur ab ultima actualitate; sicut intellectus specificatur ab intellectu obiecti; sed obiectum non specificatur à conceptu, sed potius è contra conceptus speciem accipit ab obiecto: ergò idem.

Quint. prob. Ultima rei actualitas perficit intrinsecè rem, & est illius mensura, sed obiectum non perficitur intrinsecè per conceptum, nec mensuratur ab illo: aliàs dum hominem intelligimus ipsum perficeremus intrinsecè: ergò idem.

Sext. prob. Verbum comparari non potest ad obiectum, sicut actus ad potentiam: ergò verbum, vel conceptus actualitas ultima non est. Prob. ant. Verbum est ipsum obiectum in esse intelligibili: ergò comparari non potest ad obiectum, sicut actus ad potentiam. Quia potentia debet ab actu distingui.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad primam probat. dist. min. in esse rei, con. min. in esse intelli-

gibili, nego min. & conseq. Quia licet implicatorium sit entitatem rationis in esse rei actuari forma reali, aliàs entitas rationis esset ens reale formalitèr, non tamen implicat entitatem rationis actuari per formam realem in esse intelligibili, & in eodem genere realitèr actuari: nam sicut obiectum reale capax est essendi in re cum modo naturali, & essendi intra intellectum cum intentionali modo, ita etiam entitas rationis capax est essendi intra intellectum cum modo intentionali, qui quidem realis est, & realitèr actuatur in tali genere, sed nullam hoc implicationem involuit: sicut nullam etiam involuit implicationem entitatem rationis realitèr ab intellectu cognosci.

Ad secundam probat. ant. neg. maior. Quia intelligibile passivum, & activum sunt genera adaequatè diversa, & ita debent habere actualitates distinctas, cuius oppositum in materia, & forma contingit, quae sunt essentiae partiales, & inadaequatè per se ordinatae ad unam totalem essentiam, & ita mirum non est eandem ultimam actualitatem habere.

Dum autem dicitur, ex intellectu, & re intellecta fieri magis unum, quam ex materia, & forma. Non est intelligendum axioma de intellectu secundum entitatem suam, sed de illo ratione speciei impressae, vel expressae, in qua est

per identitatem ipsa quidditas obiecti, sed materia nunquam fit idem cum forma. Ex quibus constat ad doctrinam in probatione contentam, quia per intellectionem solum redditur obiectum intellectum extrinsecè, & ad extrinsecam denominationem solum datur potentia grammaticalis; inde fit intellectionem solum esse actualitatem grammaticalem obiecti, non verò intrinsecam, & propriam, qualis est ipse conceptus.

Sed instabis primò contra doctrinam prædictam: eadem forma potest reddere intellectum proximè potentem intelligere, & obiectum intelligibile proximè, ut constat in specie impræssa, quæ præstat utrumque: ergò eadem intellectione poterit reddere intelligentem in actu secundò, & obiectum in actu secundò intellectum.

Instabis secundò: Ea quæ subordinatur ad invicem, per eandem actualitatem actuari possunt; sicut possunt etiam per eandem speciem repræsentari formalitèr, ut constat in ente reali, & rationis; in natura, & proprietatibus uis, quæ repræsentantur per eandem speciem, sed intellectus subordinatur obiecto: ergò poterit obiectum actuari eadem actualitate potentia.

Resp. ad prim. dist. ant. Proximè formalitèr obiectivè, & expeditivè ex parte potentia, conc.

ant. proximè formalitèr subiectivè, neg. ant. Quia cum ab obiecto, & potentia pariatur notitia, ex obiecto, & potentia fit vnum adæquatum intellectionis principium, ex quibus obiectum constituitur proximè potens intelligi per speciem, sed intellectus redditur proximè potens intelligere per virtutem suam, & per speciem expeditivè tantum, quatenus intellectus sine virtute obiectiva non est ad intelligendum expeditus, & fecundus.

Ad secund. facile dicitur, maiorem esse veram, quando ea, quæ subordinantur non pertinent ad lineas adæquatè distinctas; sicut obiectum, & species impræssa per eundem conceptum ultimò actuantur, intellectus autem, & obiectum sunt de linea adæquatè distincta, & ita diversam actualitatem requirunt, quia ultima actualitas complet lineam propriam, & ultimò eam constituit: Undè quamvis substantia subordinetur existentia, ultima tamen actualitas substantia, videlicet, subsistentia ab existentia distincta est, eo quod linea entis, & linea substantia differunt adæquatè; sed ens reale, & rationis, & natura, & proprietates adunantur in linea obiecti, & ita eadem specie repræsentari possunt. Et rursus actualitas ultima se tenet ex parte termini, species verò impræssa ex parte principij, & quod se tenet ex parte principij, in

con-

continendo, vel repræsentando univèrsalius est.

Ad tertiam probat. princ. ant. dist. mai. impulsu mediante ut ratione formali inclinandi voluntatem completè, conc. mai. obiectum proportionandi, nego maior. Quia conceptus requiritur ut obiectum sit ultimò proportionatum cum intellectu, & intra ipsum perfectè, & ideò ex parte obiecti se tenet verè ipsum actuando; impulsus verò solum necessarius est, ut voluntas quantum est ex se perfectè inclinetur ad obiectum, & feratur ad ipsum, & ita complet vitalem tendentiam voluntatis, & ex parte illius se tenet, cuius signum est quod impulsus non potest esse vaitus sicut verbum, sed semper vitalitèr est productus.

Ad quartam probat. distin. maior. actualitate de genere entis, conced. maior. de genere intelligibili, neg. mai. Nam potentia proxima est propter ultimam actualitatem existentem in genere entis, & ad ipsam ordinatur ut finem, & ita specificatur essentialitèr ab ea; sed ultima actualitas de genere intelligibili, licet accidentalitèr, vel secundum quid perficiat, non tamen est finis cuius gratia, vel mensura. Instantia est in intellectione, quæ in plurium contrariorum sententia est ultima obiecti actualitas, & tamen obiectum non ordinatur ad illam tanquam ad veram mensuram,

Ad quintam dist. maior. intrinsecè accidentalitèr, & mensura accidentalitèr, conc. maior. substantialitèr, nego maior. Quia conceptus solum perficit intrinsecè accidentalitèr, & accidentalitèr complet, & mensurat obiectum, & accidentalitèr per conceptum perficimus intrinsecè ipsum, dum actualitèr intelligimus; cum quo tamen compatitur conceptum essentialitèr specificari ab obiecto, & ab illo substantialitèr mensurari.

Ad sext. probat. neg. ant. & ad probat. dist. ant. ipsum quo ad substantiam, conc. ant. ipsum quoadmodum, nego ant. Quia licet conceptus sit ipsum obiectum quantum ad substantiam, differt tamen quoadmodum intentionalem, & hæc diversitas sufficiens est, ut obiectum quod ad extra invenitur, verè, & realitèr, in esse intelligibili per conceptum aduetur.

Sed instabis primò contra omnia prædicta: Verbum actuare non potest obiectum, provt ad extra, nec obiectum provt ad intra: ergò nullo modo potest actuare obiectum. Prob. ant. Obiectum provt ad extra non est in verbo; siquidem dum est in verbo iam est ad intra. Rursus obiectum provt ad intra non est distinctum à verbo: ergò verbum actuare non potest obiectum provt ad extra, nec obiectum provt ad intra.

Secundò instabis: Ultima actua-

actua-

actualitas ulterius actuabilis non est, nec potest ad alterum ordinari, ut constat in existentia; sed conceptus per se ordinatur ad obiectum: ergo ultima actualitas obiecti non est.

Tert. instabis: Ultima actualitas veram facit compositionem cum potentia, quam terminat; sed conceptus non facit veram compositionem cum obiecto: cum obiecto realiter non unia- tur, nec in illo realiter recipia- tur, sed solum in intellectu: ergo idem.

Quart. instabis: Obiectum media sui specie impressa concurrat efficienter ad productionem verbi; sed nihil potest efficienter producere ultimam sui actualita- tem in genere intelligibili; sicut nihil potest in genere entis pro- ducere efficienter existentiam sui ipsius, cum existentia supponatur ad agendum efficienter: ergo verbum non est actualitas vl- tima.

Quint. instabis: Verbum non potest denominare obiectum in- tellectum intrinsecè in actu se- cundo: ergo non est actualitas vl- tima in genere intelligibili passi- vo. Prob. ant. Id habet obiectum passivè à verbo quod verbum à se habet activè, sed verbum à se non habet intelligere, sed solum re- presentare, & unire: ergo non po- test denominare obiectum intel- lectum intrinsecè.

Resp. ad primam replicam

dist. ant. Provt ad extra redupli- cativè, conc. ant. specificativè, neg. ant. & conseq. Quia quam- vis obiectum vt per verbum ac- tuetur debeat esse intra ipsum in- tellectum; id tamen quod per verbum actuatur est idem obiec- tum, quod invenitur ad extra, nam hoc, & non aliud est signa- tum, & representatum, & ab in- tellectu cognitum.

Ad secundam, dist. mai. vl- tima absoluta, conc. mai. respec- tiva, nego mai. Quia conceptus non est actualitas ultima absoluta qualis est existentia, sed solum respectiva, quæ non est vt sit, sed vt alterum representet, & ideo hæc actualitas potest ad alterum ordinari: Sicut plures afferentes in- tellectionem esse ultimam actua- litatem obiecti, id ipsum de intel- lectione fatentur.

Ad tertiam negatur minor. Quia licet conceptus non faciat compositionem cum obiecto in esse rei, cum sint extrema realiter separata, veram tamen facit com- positionem cum obiecto in esse intelligibili, non quidem per in- trinsecam receptionem, sed per identitatem realem in esse intel- ligibili cum obiecto: Sicut modus naturalis essendi est idem realiter cum obiecto, vt naturaliter exis- tente, & ita conceptus, & obiec- tum in esse intelligibili vera com- positione metaphysica compo- nunt absque reali extremorum distinctionem in esse intelligibili,

&

& cum sola reali distinctione in esse rei, quæ sufficit, vt absolu- tè physicè etiam compositum sit.

Quomodo autem duplex mo- dus realiter distinctus, intentio- nalis, videlicet, & naturalis, rea- liter cum eadem natura identifi- cari possit, presentis loci non est, sed hac via respondemus ne doc- trinam restringamus: Nec tamen mirum est modos prædictos esse distinctos realiter cum non sint idem cum natura sub modo es- sendi naturaliter, sed cum illa vt præscindente, & potente esse ex- tra, & intra intellectum per iden- titatem realem.

Ad quart. instantiam, nega- tur minor. Quia cum ultima ac- tualitas in genere intelligibili pas- sivo supponat obiectum realiter, & speciem impressam illius, po- test realiter ab utroque produci: Sicut Christus præsuppositus ab- solutè producit efficienter corpus proprium, vt ex pane, sed res non supponitur in genere entis abso- lutè ante suam existentiam, & propterea non potest efficienter existentiam producere.

Ad quint. respond. negand. ant. & ad probat. dist. mai. acti- vè per modum formæ, conc. mai. per modum causæ efficientis, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia vt verbum denominet ob- iectum intellectum intrinsecè non debet esse efficienter intellecti- vum, sed potius debet esse de ge-

nere intellecti passivè, quod ita est cum verbum sit intellectum vt quo, & per modum imaginis, & propterea constituit per modum formæ, & vt quo intellectum ob- iectum; sicut existentia existit vt quo, & reddit substantiam existen- tem vt quod, & universaliter om- nis forma, vt quo constituit rem cuius est.

§. IV.

Aliud argumentum contra rationem diluitur.

SECUNDO arguitur contra rationem prædictam: Ex identitate obiecti creati cum ultima actualitate in genere intel- ligibili nulla sequitur infinitas: ergo ratio etiam ex hac parte nititur falso principio. Prob. ant. pri- mò: Obiectum creatum, & vl- tima illius actualitas sunt aliquid limitatum, & finitum; sed fini- tum additum finito non facit in- finitum; sicut indivisibile addi- tum indivisibili, non facit divisi- bile, & extensum: ergo ex identi- tate obiecti creati cum ultima actualitate nulla sequitur infi- nitas.

Secundò prob. ant. Essentia existentiae secum identificat exis- tentiam ultimum actum: nam existentia habet suam essentiam realiter à se ipsa indistinctam, & tamen hoc fit absque vlla infini- tate: ergo idè à pari de obiecto.

Tertiò

Tertiò probat. Materia, & forma secum identificant ultimam actualitatem, in sententia communiore asserente non dari modum unionis distinctum ab utraque realiter, sed materiam per suam met entitatem recipere formam, & tamen hoc fit sine vlla infinitate: ergò idem.

Quartò prob. Ex identitate causæ finalis cum sua ultima actualitate nulla sequitur infinitas, in sententia probabili affirmante finem per se ipsum movere, & causare voluntatis amorem: ergò idem.

Quintò prob. Quamvis obiectum creatum identificaret ultimam actualitatem, esset tamen realiter ab intellectu distinctum, quod tollit infinitatem: ergò idem.

Sextò prob. Quamvis obiectum creatum identificaret ultimam actualitatem, adhuc esset compositum ex genere, & differentia; cum univocè conveniret cum alijs in ratione communi obiecti, & esset distinctum essentialiter ab illis: ergò non haberet infinitatem.

Septimò prob. argumento, quod semper relinquitur in solutum, ut asserit linee, quia obiectum visibile identificat ultimam actualitatem per quam formaliter constituitur visum in actu secundò, non enim indiget aliquo medio distincto, ut in actu secundò attingatur à potentia visiva;

& tamen hoc fit absque vlla infinitate: ergò idem.

Respond. ad argument. neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. finitum ex conceptu materiali, conc. mai. ex conceptu formali, nego mai. & dist. min. finitum ex conceptu formali, conc. min. ex conceptu tantum materiali, neg. minor. Quia licet obiectum creatum, & illius actualitas ultima ex conceptu materiali, & creato, sint aliquid limitatum; ex conceptu tamen formali, nullam limitationem important, cum genus intelligibile à prima usque ad ultimam actualitatem sit formaliter in Deo, & ideò non possunt fieri idem realiter in creatis sine vlla infinitate; sicut esset simpliciter infinitum quod identificaret existentiam, vel propriam operationem; quia genus entis, & genus operativum ex conceptu formali nullam imperfectionem involunt.

Ad secundam probat. dist. mai. Ultimum actum respectu essentiae completæ, conc. mai. ultimum respectu sui verè, & propriè, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia existentia solum est verus actus respectu essentiae completæ, quam solam actualitatem, & tanquam veram potentiam, & proprium limitativum, & propterea ex identitate cum essentia completa, vera infertur infinitas. Cæterum per se ipsam est verus actus, & ideò se ipsam

non

non respicit ut veram potentiam, nec se ipsam verè ultimò actualitatem; ac proinde ex identitate cum se ipsa nulla infertur infinitas; sicut ex identitate essentiae intellectio- nis cum ultima actualitate, intellectiva infinitas non infertur, eo quod intellectio- nis essentia per se ipsam est intellectio, & ultima intelligendi actualitas.

Ad tert. neg. conseq. Quia actualitas materiæ, & formæ est in genere imperfecto ex proprio conceptu formali, videlicet in genere causæ realiter recipientis, aut in genere causæ realiter informantis, & propterea dispar est ratio.

Ad quart. prob. respondent aliqui causalitatem finis non esse veram actualitatem, sed solum quantum ad explicari, vel quatenus bonitas finis dum movet in actu secundò explicatur.

Sed contra est: Quia causa finalis non est vera pura potentia, nec purus actus: ergò debet habere aliquam ultimam actualitatem, & veram.

Rursus etiam: Vera causalitas, quamvis sit motio metaphorica tantum, vera actualitas est; sed causalitas finis est quidem vera causalitas, quamvis sit metaphorice tantum motio: ergò causalitas finis nedum quo ad explicari, sed verè actualitas ultima est: vnde aliter.

Respond. ad 4. dist. antec. Causæ finalis metaphorice cau-

antis, conc. ant. non causantis metaphorice, neg. ant. & conseq. Quia genus metaphorice causandi ex conceptu formali imperfectionem importat, & ideò causam finalem metaphorice causantem identificare ultimam actualitatem, non arguit infinitatem, quod tamen intelligendum est non quia causalitas metaphorica sit, sed quia per motionem metaphorice cam habetur.

Dices: Deus provt in nobis metaphorice solum causat nostræ voluntatis affectum; ergò genus metaphorice causandi reperitur in Deo formaliter, & consequenter tale genus ex conceptu proprio nullam imperfectionem involuit.

Respond. dist. consequens: In Deo provt in se, nego conseq. ut imperfectè existente intra intellectum creatum, conc. conseq. Quia modus metaphorice causandi est proprius finis creati, & solum convenit ipsi Deo ut imperfectè, & intentionaliter existenti intra intellectum creatum, imperfectione proveniente ab intellectu nostro, & ideò Deum provt sic metaphorice causare, non arguit, genus prædictum non dicere imperfectionem; cum etiam ipse Deus provt sic imperfectè causet nostræ voluntatis affectum. Iuxta quam doctrinam intelligenda sunt ea, quæ in proprio loco physice nostræ dicta relinquimus.

Ad 5. probat. princip. ant. neg. ant. Quia potentia per se primo limitatur per ordinem ad actum proprium, & hac limitatione deficiente, omnes alia deficiunt, cumque ultimus actus proprius obiecti intelligibilis sit conceptus, inde fit quod si obiectum identificaret conceptum, esset etiam idem realiter cum intellectione ipsa: sicut quia existentia est actus proprius essentia, si semel essentia materia identificaret existentiam, identificaret formam, nec illam posset recipere. Ex quo habetur obiectum cum conceptu identificatum non posse produci ab aliqua causa efficiente, quia non intelligeretur per ordinem ad actum proprium intrinsecè limitatum, & ita non posset cum limitatione per causam efficientem produci; nam causa efficiens solum potest efficienter, & extrinsecè limitare, ea quæ ab intrinsecò limitata sunt.

Ad 6. prob. respond. Compositionem ex genere, & differentia, non esse primam, sed necessario supponere physicam compositionem, vel ut *quo*, vel ut *quod*; cumque obiectum non esse physicè compositum etiam ut *quo* per ordinem ad actualitatem distinctam realiter saltem quoadmodum, si semel identificaret conceptum, inde fit non posse metaphysicè componi ex genere, & differentia.

Ad 7. probat. Respondent

aliqui: Obiectum visibile secum identificare ultimam actualitatem, & esse proportionatum per se in actu secundo cum potentia, non quidem ab intrinsecò, sed ab extrinsecò, & ex imperfectione potentia, quæ perfectiorem actualitatem non requirit, ut obiectum attingat, nec actualitatem perfectiorem producere valet. Unde si potentia non esset ita imperfecta, sed posset Idolum producere, per ipsum actuaretur obiectum, proindeque tota identitas, & proportio ad imperfectionem potentia reducitur, & ideo non arguit infinitatem.

Sed hæc solutio, vel debet ad nostram reduci, vel in efficax est; quia vnde cumque proveniat, quod obiectum sit ultimo actum sufficienter sive à se, sive à potentia, sive per se, sive per accidens ultimam actualitatem identificet, si semel hoc potest fieri absque vlla infinitate, cur etiam non poterit hoc etiam in verbo absque infinitate contingere: & obiectum saltem per accidens non poterit per se ipsum in actu secundo cognosci, quamvis Deus productionem verbi impediret: unde hac ommissa solutione.

Ad 7. & ultimam probat. respond. Genus visibile, & sensibile ex conceptu formali imperfectionem involuere, quia obiectum à materia, & accidentibus segregatum sensibile non est:

Vn-

Unde ex conceptu sensibilis positivè includit materiã, & accidentia, & propterea identificare ultimam actualitatem in prædicto genere nullam infinitatem importat.

Sed instabis primò: Si semel ex identitate ultimæ actualitatis probatur infinitas, etiam in genere simpliciter imperfecto infinitas inferenda est: ergò nulla est data solutio. Prob. ant. primò: Potentia sensitiva, & viliva ex conceptu formali sensitivæ potentia imperfectionem importat; & tamen si potentia viliva, vel sensitiva identificaret visionem, vel sensationem, esset infinita simpliciter: ergò si semel ex identitate ultimæ actualitatis probatur infinitas; etiã in genere simpliciter imperfecto, infinitas inferenda est:

Secundò prob. ant. Si semel in aliquo genere probatur infinitas, eo erit quia limitatio ultimæ actualitatis per se primò desumitur à potentia in qua recipitur; sed hoc, vel in nullo genere, vel in omni genere probat: ergò in omni genere infinitas inferenda est.

Tertiò prob. ant. Si daretur albedo in nullo subiecto receptibilis, esset infinita in tali genere, quia propria potentia, vel proprio limitativo careret, & tamen albedo reperitur in genere simpliciter imperfecto: ergò idem.

Quartò prob. Si semel probatur infinitas in aliquo genere, eo erit quia quod identificat ultimam actualitatem, perfectionem

Mag. Froylan.

etiam totius generis per identitatem continet; sed hoc, vel in nullo, vel in omni genere probat: ergò idem quod prius.

Secundò contra principalem solutionem instabis: Nam obiectum esse amabile à voluntate, & illius appetitum terminare, est in genere non dicente imperfectionem simpliciter; cum hoc ipsi Deo conveniat formaliter; & tamen obiectum creatum per se ipsum absque vlla infinitate terminat in actu secundo voluntatis amorem: ergò idem de obiecto dicendum, quamvis genus intelligibile non dicat imperfectionem ex conceptu formali.

Resp. ad prim. replicam, neg. ant. & ad primam prob. dist. min. ex identitate sensationis, ut existentis in genere imperfecto, neg. min. ut in genere perfecto existentis. conc. min. & neg. conseq. Quia potentia sensitiva non potest identificare sensationem nisi identificet operationem, quæ est ultima actualitas in genere non dicente imperfectionem simpliciter, eo quod sensatio est realiter operatio, & ita vel utramque, vel nullam debet identificare potentiam, & propterea evaderet infinita simpliciter non ex identitate sensationis, ut sensatio est, sed illius quatenus est operatio: Unde si per impossibile posset identificare sensationem absque identitate operationis, non evaderet simpliciter infinita.

P

Ad

Ad secundam prob. dist. mai. Quando actualitas ex conceptu formali sui generis limitata non est, conc. mai. quando ex illo limitatur, neg. mai. min. & conseq. Quia si actualitas ex conceptu formali sui generis limitata est, non limitatur per se primò per hoc, quod in potentia recipiatur, sed ex genere limitata manet, & per ordinem ad potentiam ex genere limitatam; sicut causalitas materiae non limitatur per ordinem ad materiam in qua recipiatur, quia in materia non recipitur, sed ex genere limitata est talis causalitas, & per ordinem ad materiam ex genere limitatam: verum actualitas ex genere non limitata, solum limitari potest per receptionem in potentia, quam actualat.

Ad 3. dist. mai. proprio limitativo dividente perfectionem; conc. mai. absolute, nego mai. & concessa minori negatur consequentia, quia divisio perfectionis intra eandem speciem solum provenit à materia; vnde quia Angelus materia caret propterea habet omnem perfectionem speciei, & ideo est intra speciem infinitus negativè; qua propter cum albedo à materia separata careat materia dividente, erit quidem in suo genere infinita negativè, quod tamen non potest obiectum habere visibile, quod licet identificet ultimam actualitatem, adhuc tamen non identificat materiam, & ideo adhuc in genere suo infinitum nega-

tivè non est, sed intra eandem speciem obiecti visibilis inveniuntur plura obiecta materialiter distincta.

Ad 4. prob. neg. min. Quia in genere dicente imperfectionem ex identitate ultimae actualitatis, non sequitur identificare materiam, aut formam realiter informantem; cumque à materia diversa proveniat perfectionis divisio, & multiplicatio, propterea ex identitate ultimae actualitatis in genere importante imperfectionem, non infertur continentia per identitatem totius perfectionis, ad idem genus formaliter pertinentis.

Ad secund. replic. princip. conc. mai. neg. min. Quia bonum, & ens participialiter, formaliter convertuntur, & eadem forma, qua ultimò constituitur ens participialiter, constituitur etiam bonum; cumque ens participialiter constituitur ultimò per existentiam realiter ab essentia distinctam, per eandem etiam constituitur obiectum in ratione ultimò terminantis voluntatis amorem, & propterea dicitur bonum idem esse quod perfectum, & bonum, & perfectum esse aliquid secundum quod est in actu: Vnde dicitur quod licet existentia exercitè non sit in futuris prout in propria mensura, dum amorem terminant, in illis tamen est obiectivè, & quia hoc modo in possibilibus non est, possibilia pure non possunt amorem aliquem terminare.

§. V.

§. V.

Aliud argumentum contra conclusionem solvitur.

TANDEM contra conclusionem arguitur: Conceptus directus potest se ipsum reflexè representare: ergò non indiget conceptu reflexo realiter à se ipso distincto. Prob. ant. primò: Ad unam rationem formalem, altera ratio formalis necessaria non est; sicut ad lucem videndam, non requiritur altera lux; sed conceptus directus est ratio formalis representativa obiecti: ergò potest etiam se ipsum reflexè representare.

Secundò prob. ant. Eadem entitativa cognitio potest esse directa, & reflexa, ut patet in cognitione entis in communi, qua se ipsam in ente cognoscit, & urgentius adhuc in visione beata, qua se ipsam in verbo etiam attingit ut quod: ergò etiam conceptus directus poterit se ipsum reflexè representare.

Confirm. primò: Substantia Angeli per se ipsam habet rationem verbi in ordine ad cognitionem propriam: ergò idem possumus affirmare de conceptu directo; nam ratio facta pro nobis equaliter utrumque; probat. Ant. prob. Substantia Angeli per se ipsam habet rationem speciei impraesse ad cognitionem propriam: ergò etiam habet rationem verbi, cum

utrumque, vel nullum sit extra spheram illius.

Confirm. secundò: Conceptus directus per se ipsum est intra intellectum in actu secundò: ergò verbo distincto non indiget; nam ad hoc illo indigeret, ut in actu secundò intra intellectum poneretur. Ant. prob. primò: Conceptus directus per se ipsum est immaterialis, & intra intellectum in actu primò: ergò etiam in actu secundò, utriusque enim eadem videtur ratio, nec ipse conceptus est minus immaterialis in actu secundò, aut per modum terminantis, quam in ratione moventis.

Secundò prob. ant. Eo modo conceptus directus intra intellectum est, quo intra intellectum poneretur per dictionem, si se sola poneretur absque vlla intellectione; nam per dictionem, qua non esset intellectio poneretur in esse rei intra ipsum intellectum, non tamen in esse obiecti, quod solum per intellectionem habetur, & modo talis conceptus etiam est in esse rei intra ipsum intellectum, consequenterque ita defacto est intra, sicut per dictionem poneretur; sed per dictionem, qua non esset intellectio poneretur intra intellectum in actu secundò: ergò etiam modo praedicto defacto est intra ipsum intellectum.

Tertiò prob. ant. Conceptus directus se ipso est proportionatus in actu secundò cum potentia

intellectiva: ergò per se ipsum est intra intellectum in actu secundò. Prob. ant. Conceptus directus non est minus immaterialis, quam conceptus reflexus; sed per conceptum reflexum esset directus proportionatus in actu secundò: ergò hoc idem per se ipsum habet.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad primam prob. dist. consequens, se ipsum quatenus ratio formalis, & ut *quo*, conc. conseq. se ipsum ut *quod*, & ut speciale obiectum, nego conseq. Nam ex quo ad unam rationem formalem altera necessaria non sit, solum infertur conceptum reflexum distinctum necessarium non esse ad cognoscendum directum ut *quo*, & quatenus est ratio formalis representativa obiecti, quod utique verum est; nam dum obiectum cognoscimus, & conceptum, etiam cognoscimus reflexè virtualiter, nos cognoscere, & mediante conceptu; non tamen infertur inde ad cognoscendum directum, ut *quod*, & obiectum speciale, non requiri reflexum distinctum realiter; sicut etiam dum obiectum cognoscimus ipsam cognitionem ut *quo*, per se ipsam attingimus, & tamen ad illam cognoscendam ut *quod*, altera cognitio distincta realiter necessaria est.

Ad secundam prob. ant. nego ant. Quod non bene exempla inducta suadent, quia cognitio reflexa solum dicitur illa, quæ est

cognitio ipsius cognitionis in se; & ratione sui, & secundum ultimam differentiam; cumque cognitio entis in communi non terminetur ad se ipsam in se, & secundum ultimam differentiam formaliter, & ut *quod*, quando quidem non desumit speciem à se ipsa secundum rationem propriam, sed potius prædicta cognitio terminetur ad se prout in ratione communi specificativè, & formaliter: inde fit illam cognitionem non esse sui reflexam.

De visione etiam similis ratio procedit, quia non ad se ipsam in se, & ratione sui, & primariò, sed ad se ipsam secundariò, & in alio terminatur, videlicet, in essentia Divina propterea quod propriè reflexa non est: sicut etiam cognitio comprehensiva, qua Angelus se ipsum cognoscit, terminatur ad se ipsam, vel ut possibilem, vel ut existentem, quia cognitio comprehensiva naturæ Angelicæ terminatur ad omnia, quæ in illa continentur, & tamen prædicta cognitio reflexa non est, quia non ad se in se, vel ratione sui, sed ad se in essentia, & natura Angeli terminatur. In qua mediata, & secundariò cognoscitur.

Ad primam confirm. argum. neg. ant. & ad prob. neg. conseq. Quia esse speciem impressam per se ipsam solum arguit, substantiam prædictam esse per se ipsam intelligibilem in actu primò, cum-

cumque compatitur adhuc esse potentialem ad actum secundum, & ideò esse per se ipsam speciem impressam non tollit esse potentialem, & creatam; immò hoc debet habere substantia, quæ per se ipsam est immaterialis complete, & consequenter se ipsa est in actu primò proportionata intellectui.

Instabis: Si principium radicale operativum secum identificaret potentiam proximè operativam, etiam identificaret ipsius operationem: ergò si substantia aliqua identificat speciem impressam, etiam verbum identificare debet.

Sed negatur conseq. Quia potentia proximè operativa non est ad se, sed per se ad operationem ordinata, & ita ab operatione specificatur: ac proinde non debet esse substantia, sed accidens, quia substantia est ens ad se: unde si principium radicale identificat potentiam proximè operantem, etiam identificabit illius operationem; cum tam potentia proximè operativa, quam operatio sit æqualiter accidens, & extra spheram substantiæ; substantiam tamen esse per se ipsam speciem impressam, non extrahit à linea substantiæ, cum species impressa non exigat esse accidens ex conceptu creatæ; nec insuper per hoc extrahitur à conceptu creatæ: cum maneat ulterius potentialis in ordine ad speciem expressam

Mag. Froylan.

distinctam realiter; si tamen hanc identificaret, esse in genere intelligibili passivo excludens omnem potentialitatem, ut vidimus, & consequenter simpliciter infinita.

Et hoc argumentum non potest urgere valde, siquidem plurimi contrariorum affirmant intellectionem esse ultimam actualitatem obiecti, & tamen concedunt Angelum identificare speciem impressam, & ipsam intellectionem identificare non posse.

Ad secundam confirm. affirmant plures conceptum directum solum entitativè, aut in esse rei existere intra ipsum intellectum, non tamen intra illum intentionaliter esse adhuc in actu primò, sed ad hoc indigere specie impressa distincta, sicut eadem indiget anima rationalis, habitus intellectivus, & alia physicè cum intellectu coniuncta. Quod insuper ex eo colligunt, quod transacta intellectione, & conceptu recordatur intelligens obiectum antea cognovisse; & cum conceptus directus non perseveret, sed cum ipsa intellectione transferit, signum est perseverare aliam speciem impressam formatam ab intellectu, & à conceptu distinctam. Sed quia hoc examinare presentis loci non est, & quia mentem nostram in 3. de anima (Deo auxiliante) aperiemus, propterea faciliori via modo.

Ad secundam confirm. respond. neg. ant. & ad primam probat. conc. ant. neg. conseq. Quia conceptum esse per se ipsum immaterialem, & intra intellectum in actu primo, aut in rationem moventis, nullam arguit infinitatem, qualem tamen arguit esse per se ipsum intra intellectum in actu secundo, & in ratione exercite terminantis, ut vidimus, & ideo in ratione exercite terminantis minus immaterialis est per se ipsum, quam in ratione moventis.

Ad secundam probat. neg. mai. Quia conceptus per se ipsum solum est applicatus intellectui, & illi vnitus in actu primo, sed per distinctionem, quae non esset intellectio, esset conceptus in actu secundo intra ipsum intellectum, non quidem in ratione cogniti, sed in ratione applicati, licet namque non esset in actu secundo cognitum, esset tamen in actu secundo vnitum, & applicatum, quod per se ipsum nequit habere, propterea, quae satis explicata relinquimus.

Ad tertiam probat. neg. ant. & ad eius probat. dist. mai. in eadem consideratione, conc. mai. in diversa, neg. mai. Quia si uterque considereretur ut *quo*, vel ut *quod*, aequalem immaterialitatem sortiuntur, vel perfectiorem iuxta excessum obiecti representati; si tamen conceptus directus consideretur ut *quod*, reflexus vero con-

sideretur ut *quo*, & quatenus in actu secundo exercite representat, magis immaterialis est conceptus reflexus, qui reddit obiectum in actu secundo, & ultimo constitutum, quam conceptus directus, qui solum in actu primo intelligibilis est.

Sed instabis primo contra praefatam doctrinam: Quia ut conceptus directus per se ipsum terminet in actu secundo, sufficit habere tantam immaterialitatem, quantum habet ipsa potentia in actu secundo intelligens, quia si in immaterialitate adaequantur, etiam proportionantur aequaliter; sed immaterialitas potentiae constitutae in actu secundo infinita non est: ergo conceptus directus per se ipsum terminare potest in actu secundo absque vlla infinitate.

Secundo instabis: Immaterialitas conceptus directi reddit ipsum cognoscibilem ut *quod* in actu secundo: ergo non indiget ad hoc alio distincto realiter, probat. ant. primo: Immaterialitas conceptus directi magis propria illius est, quam obiecti representati per ipsum; cum conceptui per identitatem conveniat; sed praedicta immaterialitas reddit obiectum representatum cognoscibile ut *quod* in actu secundo: ergo etiam ipsum conceptum; nam effectus quem forma praestat subiecto minus proprio, potest etiam subiecto magis proprio commu-

nicari,

nicari, si illius capax est, qualiter est capax conceptus, ut constat in quantitate, quae non solum substantiam, sed etiam se ipsam, & prius reddit extensam ut *quod*.

Secundo prob. ant. Immaterialitas conceptus directi perfectius representat ipsum, quam conceptus reflexus: ergo reddit ipsum in actu secundo cognoscibilem ut *quod*; sicut faceret conceptus reflexus. Prob. ant. Ibi datur perfectior representatio, ubi maior invenitur identitas; sed immaterialitas conceptus directi, est idem cum illo realiter, quod reflexus non habet: ergo perfectius representat ipsum, quam conceptus realiter a directo distinctus.

Ad primam instantiam dist. min. ut habita defacto, conc. min. si per identitatem haberetur, neg. min. & conseq. Nam immaterialitas potentiae in actu secundo, & quatenus habetur defacto importat actum secundum realiter a potentia distinctum, & ita infinita non est; si tamen actum identificaret, esset infinita simpliciter: Verbum vero si per se ipsum haberet tantam immaterialitatem, non haberet illam cum distinctione reali ab ultimo actu, sed per identitatem cum illo, & ita haberet immaterialitatem praedictam modo infinito, & non modo limitato; sicut perfectio substantiae actualiter operantis defacto finita est, si tamen aliqua creatura hanc

perfectiorem per identitatem haberet, esset infinita simpliciter.

Ad secundam instantiam, neg. ant. & ad primam probat. concessis praemissis, neg. conseq. Quia forma communicat subiecto magis proprio effectum, quem minus proprio communicat, quando subiectum magis proprium capax est habendi effectum praedictum ab eadem forma, ut in quantitate contingit; sed conceptus directus capax non est habendi effectum praedictum a propria immaterialitate, eo quod si per illam esset in actu secundo intellectum ut *quod*, esset etiam formaliter suum esse: Unde capax solum est recipiendi praedictum effectum ab immaterialitate distincta; sicut intellectio reddit obiectum extrinsece intellectum ut *quod*, & tamen eodem modo se ipsam intellectam reddere non potest.

Ad secundam probat. eiusdem antecedentis, neg. ant. & ad probat. dist. mai. identitas in ordine ad intellectum, vel in esse intentionali, conc. mai. in esse rei, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia perfectior, & maior representatio, non fundatur in maiori identitate in esse rei, quae quidem de materiali se habet in ordine ad intellectum, sed maior representatio fundatur in maiori identitate in ordine ad conceptum, & intellectum, &

in ordine ad intellectum, maiorem identitatem habet conceptus reflexus cum directo, quam directus per se ipsum; siquidem conceptus reflexus est idem cum directo in actu secundo intelligibili, redditque illum intellectum intrinsecè in actu secundo. quod tamen directus per se ipsum habere non potest, cum per se ipsum non sit depuratus ab omni potentialitate, nec in actu secundo uni-

tus cum intellectu. Et quidem si probatio convinceret, perfectius quodcumque obiectum per se ipsum representaretur, quam per speciem impræssam realitèr distinctam, & realitèr ab illo distinctam, & consequenter nullum obiectum indigeret specie impræssa distincta realitèr.

(9)



ARTICVLVS II.

UTRUM POSSIT DARI

intuitiva notitia rei physicè non presentis?

S. PRIMVS.

Relatis sententijs, statuitur negativa conclusio.

NOTITIAM rei præsentis physicè, aut physicè existentis esse verè intuitivam, nullus dubitare potest; quia prædicta notitia abstractiva non est; cum non abstrahat ab exercita existentia, con-

sequenterque debet esse intuitiva: cum inter vnam, & alteram non sit assignabile medium.

Sed instabis: Deum per aliquam notitiam attingere negationem impossibilium, suo modo physicè necessario existentem; nam

nam prædicta negatio necessario existit, cum impossibilibus repugnet esse: proindeque per aliquam Dei notitiam attingitur; sed prædicta notitia intuitiva non est, alias daretur in Deo scientia visionis necessaria ad extra: ergo non omnis notitia rei præsentis intuitiva est.

Secundò instabis: Omnia futura, physicè Angelo præsentia sunt, & tamen Angelus non ea intuitivè cognoscit: ergo idem quod antea. Prob. mai. Omnia futura physicè præsentia sunt ævo mensuranti Angeli substantiam: ergo ipsi Angelo physicè præsentia sunt. Prob. ant. Ideo futura omnia sunt physicè præsentia æternitati Divinæ, quia æternitas Divina indivisibilis est, & ita nihil potest esse illi præsens aliquando, quod semper illi præsens non sit; sed ævum Angeli est mensura omninò indivisibilis: ergo omnia futura, quæ aliquando erunt etiam defacto ævo præsentia sunt.

Vtraque tamen instantia facilis est, & ad primam respond. neg. min. Quia prædicta notitia verè est intuitiva, quod tamen vllius inconvenientis non est, sed necessario dicendum, & dum Theologi affirmant non posse dari scientiam visionis necessariam ad extra, loquuntur de scientia visionis entis positivi, eo quod de essentia entis positivi non est existentia, nec datur aliquid positi-

vum extra Deum æternum.

Ad secundam instantiam, neg. mai. & antecedens probativum illius, ad cuius probat. explico causalem maioris, *ly quia* dicente causam requisitam, conc. mai. causam sufficientem, nego mai. Nam ratio quare, ea quæ aliquando erunt, defacto physicè præsentia sunt æternitati Divinæ, non est indivisibilitas sola, sed indivisibilitas per modum mensuræ infinitæ in mensurando, & continendo omnem durationem inferiorem, & ideo debet esse omnî durationi præsens, quod tamen ævum Angelicum non habet: nam hoc non coexistit omnî mensuræ ab initio, sed successive mensurat res dum in propria mensura ponuntur. Vnde antequam sint, non cognoscuntur intuitivè ab Angelico intellectu.

Indè tamen controversia inter Metaphysicos, & Theologos orta est, qualiter, videlicet, præsentia requisita ad notitiam intuitivam intelligenda sit, & an sufficiat notitiam intuitivam ad rem præsentem obiectivè, vel ut existentem obiectivè terminari, perfectè tamen, & clarè, & per propriam rei speciem, vel necessarium sit notitiam intuitivam terminari ad rem in se ipsa physicè existentem, aut physicè præsentem, non quidem secundum locum, quod non requiritur ad veram intuitionem, sed tantum se-

secundum durationem, ita quod res intuitivè cognita, & cognitio intuitiva debeant existere in eadem duratione, vel saltem vtriusque duratio debeat còexistere simul.

Affirmat prima sententia rem absentem physicè induratione, & præteritam, vel futuram respectu cognoscentis, posse intuitivè cognosci. Ita Illust. Herrera in tractatu speciali de scientia animæ Christi, & Cornejo 3. p. q. 11. §. ad secundum dubium, & Suarez, quem communiter sequuntur recentiores Iesuitæ, quibus in 3. de anima q. 21. adhæret M. Prado, Caietanum, & Capreolum pro eadem referendo.

Sed communiter Thomistæ defendunt esse implicatoriam notitiam intuitivam rei physicè non præsentis, etiam attenda plenitudine potestatis Divinæ. Ita Bañez 1. p. q. 14. art. 13. concl. 4. Nazarius controversia vnica. Illust. Godoy 3. p. q. 11. art. 1. § 13. concl. 5. Ferrara, & Salmanticenses, & alij, quos causa brevitatatis omittimus. Cum quibus sit.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

CONCLUSIONEM prædictam undecimo confes. cap. 18. August. expressit illis verbis: *Videri non potest quod non est; sed quod physicè non existit, ab-*

solutè non est: ergò videri non potest, aut notitiam intuitivam terminare. Obiter tamen præ oculis habendum est Augustinum asserentem, videri non posse quod non est, non loqui de reali existentia, sed de ea existentia, quam res habere potest: Undè ens rationis dum fictè, & per rationem existit, intuitivè etiam cognoscitur, & existentia prædicta potest physica appellari, non quidem philosophicè, vel realitèr, sed solum metaphysicè, vel contrapositivè ad existentiam merè apprehensam, & cognitam.

Eandem sententiam habet Angel. Doctor. in 1. sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 2. illis verbis: *Quia cognitio Divina æternitate mensuratur, ideo vnum quodque contingentium videt.* Et 1. p. q. 14. art. 9. & 13. Vbi cognitionem Divinam intueri futura ad id reducit, quod omnia futura sunt physicè Divinæ æternitati præsentia, & propterea quæst. 13. de veritat. art. 3. ad 8. affirmat simplicem notitiam excludere admixtionem eius quod est extra genus notitiæ: *Sicut est existentia verum, quam addit scientia visionis:* Ergò scientia visionis, vel notitia intuitiva terminari petit ad rem physicè extra causas existentem.

Ratione verò poterat probari conclusio, ex nominis ethymologia, quod derivatum fuit à vilione corporali, quæ solum potest rē physicè præsentē attingere.

Prob.

Prob. tamen ulterius: De ratione intuitivæ notitiæ, vt ab abstractiva distinguitur, est terminari ad rem physicè existentem, vel ad rem præsentem physicè: ergò implicat dari notitiam intuitivam rei physicè non præsentis. Prob. ant. primò: Ex diffinitione notitiæ intuitivæ, in qua dicitur quod est notitia rei præsentis; sed prædicta præsentia, de physica præsentia intelligenda est, & non solum de obiectiva; cum etiam notitia abstractiva rem obiectivè præsentem attingat: ergò de ratione notitiæ intuitivæ est terminari ad rem præsentem physicè, aut physicè existentem.

Secundò prob. ant. Si semel aliqua notitia præscindit à præsentia physica obiecti, erit notitia abstractiva: ergò de ratione notitiæ intuitivæ est terminari ad rem prout physicè præsentem. Prob. ant. Si semel notitia aliqua præscindit à præsentia physica obiecti, ipsum obiectum respectu tali notitiæ erit absolutè absens; nam id, quod physicè non est præsens respectu notitiæ, absens est absolutè comparativè ad illam: ergò prædicta notitia, erit notitia abstractiva, quæ diffinitur per notitiam rei absentis.

Tertiò prob. ant. Ita comparatur præsentia obiecti ad notitiam intuitivam; sicut obiecti possessio comparatur ad gaudium; nam sicut gaudium diffinitur esse de bono possessio, ita notitia intuitiva

dicitur esse de obiecto præsentis; sed ad rationem gaudij requiritur physica, & exercita possessio: ergò ad notitiam intuitivam physica obiecti præsentia necessaria est.

Respondent adversarij: Ad notitiam intuitivam sufficere, quod terminetur ad rem clarè, & distinctè quantum ad essentiam, & existentiam, singularitatem, & alia accidentia, quæ illius propria sunt, qualiter quisque potest per speciem sibi infusam cognoscere rem absentem in duratione.

Sed solutionem istam impugnat communis doctrina Thomistarum asserentium, quod quamvis futura physicè præsentia non essent in æternitate Divina, adhuc tamen Deus in decreto suo ipsa futura, quantum ad essentiam, & existentiam, & omnia illorum accidentia, clarè, & distinctè cognosceret.

Uterius tamen impugnatur data solutio: quia notitia prædicta, est notitia rei absentis absolutè: ergò intuitiva non est. Prob. ant. Prædicta notitia, est notitia rei futuræ formaliter in ordine ad cognitionem; siquidem futurum est, quod non est in eadem mensura, vel in alia còexistente cum mensura cognitionis, qualiter obiectum physicè non existens se habet in ordine ad cognitionem: ergò prædicta notitia non est rei præsentis, sed rei absentis formaliter; nam esse futurum formaliter

ter, & vt tale formaliter præsens, implicationem involuit.

Secundò impugnatur solutio data: Quia Angelus in causis naturalibus pluviam futuram, & venturam serenitatem, & ecclipsim, quantum ad accidentia propria, essentiam, & existentiam clarè, & distinctè cognoscit: siquidem omnium eorum habet cognitionem scientificam evidentem, & tamen prædicta notitia intuitiva non est, aliàs nedum de possibili, sed etiam de facto, & secundum ordinariam providentiam daretur notitia intuitiva rei physicè non præsentis: ergò non sufficit ad notitiam intuitivam id, quod asserit prædicta solutio.

Tertiò impugnatur: Si possessio physica boni deficiat, quamvis cætera adsint, non tollitur ratio desiderij, & salvatur ratio gaudij: ergò si deficiat physica obiecti præsentia, non salvatur intuitiva notitia. Nam sicut ad gaudium comparatur possessio, ita ad notitiam intuitivam obiecti præsentia comparatur.

9. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram poterat in primis argui ex D. Thoma, qui q. 12 de veritat. art. 6. ad finem corp. ait. *Ipsæ species simul cum lumine Pro-*

phético speculum æternitatis dicuntur, quia Divinum intuitum repræsentant, prout in æternitate futurorum eventus præsentialiter inspicit. Et ad 2. respondet. Dicendum quod quamvis omnis cognitio à Divina præscientia derivetur, non tamen omnis cognitio repræsentat eam, vt ratione æternitatis etiam futura præsentialiter intuetur. Unde non potest dici quælibet scientia speculum æternitatis, sed in hoc privilegiata ostenditur cognitio Prophetarum.

Et conformiter ad hæc 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. asserit: *Quod quandoque revelatio Prophetica est impressa quædam similitudo Divinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis.*

Ex quibus constare videtur, Prophetam videre futura, prout Deus videt illa in sua æternitate, & consequenter intuitivè, sicut Deus illa videt; sed futura respectu Propheticæ cognitionis non sunt physicè præsentia, sed potius physicè futura sunt; cum prædicta cognitio non mensuretur æternitate: ergò cognitio intuitiva non requirit essentialiter physicam præsentiam obiecti.

Ad hæc tamen non difficilè responderetur: D. Thom. in prædictis locis tantum intendere species, lumen, & cognitionem Propheticam repræsentare, vel respicere Divinum intuitum ex parte obiecti certissimè, & quandoque evidenter, non tamen cum cõ-existentia physica ad obiectum cognitum, qualem habet Divi-

nus

nus intuitus, quodque ad notitiam intuitivam necessarium erat.

Et similiter cognitionem prædictam esse impræensionem, & participationem Divinæ præscientiæ quantum ad certitudinem, & evidentiam, non tamen quantum ad rationem intuitionis; sicut fides ab intellectu Divino participat certitudinem, & non claritatem.

Et si dicas: Charitatem participantem amicitiam Divinam, esse formaliter amicitiam, & visionem beatorum participantem formaliter visionem Divinam esse intuitionem formaliter: ergò si cognitio Prophetica est impræensio, & participatio Divinæ præscientiæ, debet esse intuitiva formaliter futurorum, sicut præscientia Divina.

Respond. neg. conseq. Quia charitas participat formaliter amorem Divinum, quatenus est amor Dei in se, & propter se, & cum ex hac ratione Divinus amor sit amicitia, indè fit, charitatem creatam participare formaliter Divinam amicitiam: sed cognitio Prophetica non participat Divinum intuitum, vel præscientiam Divinam, vt cõ-existentem futuris in Divina æternitate, cum cognitio Prophetica, nec æternitate mensuretur, nec illam intuitivè cognoscat, & ita non est intuitiva formaliter. Per quod ad aliud exemplum clarissimè

constat solutio, præter eam, quæ infra de prædicto exemplo dicemus.

Secundò contra conclusionem arguitur. Notitia habita per speciem propriam rei clarè, & distinctè terminata ad illius quidditatem, existentiam, & accidentia, est notitia intuitiva, quamvis duratione præcedat obiectum; sed talis notitia est possibilis: ergò possibilis est intuitiva notitia obiecti physicè non præsentis. Min. const. Ex eo quod potest Deus infundere mihi speciem propriam per quam ego clarè, & distinctè cognoscam Antichristum, & omnia accidentia illius, & clarius fortasse iudicem de omnibus his, quàm si physicè præsentia essent, in quo quidem nulla implicatio invenitur; cum omnia prædicta constituent vnum obiectum finitum, & limitatum, quod non repugnat per speciem creatam mihi infusam clarè, & distinctè cognosci: ergò minor vera est.

Mai. autem probat. primò: Prædicta notitia terminatur ad obiectum, vt in aliquo tempore formaliter extitutum, vel futurum, & ita non abstrahit ab existentia obiecti, sed illam attingit, cõsequenterq̄ abstractiva non est: cum notitia abstractiva præscindat ab existentia: ergò prædicta notitia intuitiva est.

Secundò probat. mai. Prædicta notitia perseverare potest in præsentia physica obiecti, eo quod

quod cum illa nullam habet repugnantiam: siquidem talem presentiam physicam defacto representat: ergo ante presentiam physicam obiecti verè erat intuitiva.

Tertiò prob. mai. Cognitio infusa alicui existenti compluti clara, & distincta alterius obiecti existenti Vallis-Oleti, est intuitiva obiecti Vallis-Oleti existentis; quamvis obiectum distet ab ipso cognoscente localiter: ergo pariter supra dicta notitia erit verè intuitiva, quamvis duratione precedat obiectum.

Confirm. & vrgetur: Potest intuitiva notitia terminari ad obiectum physicè absens: ergo notitia clara obiecti erit verè intuitiva, quamvis duratione precedat obiectum. Prob. ant. primò: Notitia qua per conceptum reflexum cognosco directum est intuitiva directi, & maximè in sententia asserente conceptum directum esse speciem impræssam ad se ipsum cognoscendum in cognitione reflexa, quia conceptus directus dum est; potest intuitivè se ipsum representare; sed conceptus directus physicam presentiam non habet, quando reflexè cognoscitur; siquidem talis conceptus in instanti antecedenti transivit: ergo potest intuitiva notitia terminari ad obiectum physicè absens.

Secundò prob. ant. Quando videmus aliquod animal moveri,

cognoscimus intuitivè motum, & tamen motus non est in eo instanti, in quo elicitur notitia secundum aliquam partem; aliàs daretur in aliquo instanti præsens pars aliqua motus, quod enti successive repugnat: ergo idem quod prius.

Tertiò prob. ant. Notitia intuitiva, qua quis quatuor homines intuetur, eadem numero manet omnibus destructis: ergo idem. Prob. ant. Prædicta notitia eadem numero manet vno destructo: ergo, & omnibus destructis, cum omnium sit eadem ratio. Prob. ant. Relatio Patris ad quatuor filios, eadem numero manet vno destructo: ergo notitia, qua quis quatuor homines intuetur eadem numero manet vno destructo; quia sicut relatio dependet à termino, ita notitia & vtraque in exercitio consistit.

Quart. prob. ant. Notitia abstractiva terminari potest ad obiectum physicè præsens; nam si quis non attenderet ad presentiam physicam obiecti, abstractivè ipsum cognosceret, quamvis obiectum in se physicam presentiam haberet: ergo notitia intuitiva poterit etiam terminari ad obiectum physicè absens; nam sicut presentia comparatur ad notitiam intuitivam, ita ad notitiam abstractivam comparatur absentia.

Quint. prob. ant. Angelus cognoscit intuitivè Petrum antequam

quam Petrus physicè existat: ergo idem quod prius. Prob. ant. Species Angeli intuitivè representat Petrum antequam physicè existat: ergo etiam Angelus intuitivè ipsum cognoscit. Prob. ant. Species Angeli intuitivè representat Petrum quando Petrus physicè existit: ergo etiam antequam existat Petrus; aliàs transiret de non representante in representantem intuitivè, quod est transire de vno contradictorio ad alterum, consequenterque species mutaretur intrinsecè, & esset species numero distincta, & de novo Angelo infusa, quod implicat.

Ad hoc argument. resp. neg. mai. & ad primam probat. dist. ant. Non abstrahit ab existentia vt habenda. Conc. ant. vt exercitè habita, neg. ant. & conseq. Quia quamvis illa notitia existentiam vt habendam attingat, abstrahit tamen ab existentia, vt exercitè habita pro tempore cognitionis, cuius oppositum ad notitiam intuitivam necessarium erat. Nec obstat clariùs, & perfectiùs iudicare de existentia, & accidentibus obiecti, quam si videret ipsum, quia hoc non sufficit ad rationem intuitivæ, quamvis sufficiat ad rationem evidentis, sed ad notitiam intuitivam requiritur ultra, physicam presentiam exercitam attingere, & ipsam existentiam vt exercitè afficientem obiectum.

Et si dicas: Inter notitiam

intuitivam, & abstractivam assignari differentiam in eo, quod prima clarè, & distinctè iudicat de re, & illius accidentibus, non verò habet hoc abstractiva notitia: ergo notitia supra dicta intuitiva erit, si clariùs iudicat de accidentibus obiecti, quam si ea viderentur.

Resp. differentiam prædictam inveniri inter notitiam intuitivam, & abstractivam, quæ regulariter habentur, secundum providentiam communem, iuxta quam clariùs de obiecto præsentis, quam de absentis iudicamus, attendita tamen speciali, & extra ordinaria providentia aliter evenire posse. Et differentiam essentialem non esse, constat in Deo, in quo scientia simplicis intelligentiæ æqualiter certa, & æqualiter clara est cum scientia visionis, & tamen scientia simplicis intelligentiæ intuitiva non est.

Ad secundam probat. mai. negatur ant. Quia implicat notitiam illam obiecto præsentis durare, si presentiam obiecti percipiat, eo quod videre obiectum intuitivè, & abstractivè simul, implicationem involuit.

Sed ad propositum omisso antecedenti, neg. conseq. Quia quamvis obiecto præsentis perseveret illa notitia, non tamen erit eadem cum alia notitia, quæ physicam presentiam attingat, sed potius erit diversa. Et ita ex quo secunda intuitiva sit, non infer-

tur primam esse intuitivam.

Ad 3. probat. conc. ant. neg. conseq. Quia cum distantia locali salvatur obiectum, & cognitionem coexistere simul, quod ad notitiam intuitivam requiritur, sed cum praecedentia in duratione non salvatur cognitionem, & obiectum simul existere, & consequenter non salvatur obiectum esse physicè praesens: Unde cum absentia durationis non potest salvari intuitiva notitia, bene tamen cum absentia locali, & ita Angeli existentes in Coelo Empyreo intuitivè cognoscunt existentia in hoc mundo, à quibus localiter distant.

Et si dicas: Quod sicut Angeli cognitio non dependet à praesentia locali, ita non dependet à tempore, nec tempore mensuratur, hoc namque est mensura materialis, & Angelo inferior, & non proportionata cum illo; sed propter primum potest Angelus cognoscere intuitivè ea, quae distant localiter: ergo etiam quae tempore distant.

Resp. dist. mai. à tempore, ut mensura cognitionis, conc. mai. ut mensura obiecti, nego mai. Quia cognitio Angeli dependet à tempore ut mensura obiecti, eo quod si obiectum non est in rerum natura exercitè, & in actu dum elicitur cognitio, non erit obiectum praesens in ordine ad cognitionem, & ita notitia intuitiva non erit.

Ad confirm. verò argumen. princip. negat. ant. & ad prim. probat. negatur mai. Quia dum conceptum directum reflexè cognoscimus per modum rei, & ut quod, iam conceptus directus physicè non existit, & ideo non potest intuitivè videri. Nec vera est sententia, quae asserit ipsum esse speciem impraessam sui; siquidem non perseverat entitativè, & physicè, dum elicitur cognitio reflexa, & propterea verius est cognosci reflexè per speciem impraessam ab intellectu productam.

Admissio tamen ipsum esse speciem impraessam sui, resp. repraesentare se ipsum solum, ut praeteritum, & antea existentem, non tamen ut physicè modo existentem, & ideo non repraesentare se ipsum intuitivè.

Ad secundam probat. dist. min. non est ratione sui, conc. min. ratione instantis, neg. min. & conseq. Quia ut intuitivè cognoscatur motus, satis est cognosci in aliquo sui, vel in sui complemento, aut mutato esse, ratione cuius existit, & solum habet physicam existentiam.

Ad 3. probat. poterat responderi, relationem Patris terminari ex parte rationis quae, ad rationem filij, & producti, & alia materialiter se habere, quae tamen ratio eadem perseverat in tribus, & ita etiam perseverat, quavis aliquis destruat; sed terminus formalis notitiae ex parte

ra

rationis quae, est praesentia propria cuiuscumque, nam omnes simul terminant attentionem actualem notitiae, & ita sicut quocumque deficiente variatur attentio, ita notitia variatur, quamvis ratio sub qua, sit praesentia physica in qua omnia conveniunt comparative ad notitiam.

Secundò resp. idem asserendo de relatione, & notitia utramque, videlicet, perseverare aliquo individuo destructo, quia sicut eadem ratio filij, & producti perseverat in alijs vno filio destructo, ita physica praesentia, in qua omnes illi quatuor conveniunt, & quae formaliter notitiam terminat, perseverat in alijs vno destructo, & propterea manet eadem notitia, quamvis non perseveret quantum ad exercitium materiale intuendi hominem destructum.

Et si dicas: Ergo quamvis non perseveret quo ad exercitium materiale intuendi hominem destructum, eadem tamen numero perseverat: ergo notitia intuitiva in suo esse, & unitate numerica non dependet à praesentia physica obiecti, cuius erat intuitiva, & consequenter sine physica praesentia obiecti poterit salvari intuitiva notitia.

Resp. dist. 2. conseq. à praesentia physica obiecti materialis, conc. conseq. obiecti formalis, neg. conseq. Quia obiectum formale est physica praesentia, in qua

Mag. Froylan.

omnes illi conveniunt, & cum hac perseveret, etiam perseverat notitia. Homo verò destructus solum est terminus materialis, & à praesentia termini materialis non dependet in suo esse notitia; sicut nec à termino materiali pendet unitas numerica relationis.

Ad quartam probat. antec. princ. dist. ant. physicè praesens materialiter, & entitativè, conc. ant. formaliter, & in esse obiecti, neg. ant. Quia si quis clausis oculis ad Petrum praesentem non attendat, praesentia ipsa de materialiter se habet, & formaliter in esse obiecti ita se habet, ac si esset absens: siquidem praesentia non percipitur, nec terminat ipsam notitiam, & ideo mirum non est quod notitia abstractiva sit: Verum si obiectum est physicè absens, non poterit potentia ipsum attingere, ut physicè praesens, nisi tantum fictitiè, & ita non habebit notitiam intuitivam obiecti verè praesentis, sed tantum intuitivam praesentiae quam fingit, cum praesentia ficta existat eo modo quo existere potest.

Ad 5. prob. resp. Quod dum Petrus physicè existit, physicè etià coexistit speciei, & ita species potest intuitivè repraesentare ipsum, quod tamen non poterat antea, non quidem ex defectu speciei, cui ex parte sua nihil deficiebat ad repraesentationem intuitivam, sed solum ratione, &

Q

def.

deffectu obiecti, quod adhuc non existerat.

Indè tamen non inferas speciem Angeli intrinsicè mutari, quia quando formæ connotative, aut respectivæ sunt, potest fieri transitus de vno in alterum contradictorium absque intrinseca mutatione per solam mutationem connotati; sicut materia transit de non unita in unitam per connotationem causæ efficientis, modo applicantis exercitè, & antea non applicantis.

Sed instabis: Species quæ transit de non representante in representantem intuitivè, necessariò mutatur intrinsicè: ergo si species Angeli non mutatur intrinsicè, talem transitum non admittit, sed eadem modo, & ante, intuitivè representat obiectum. Prob. ant. primò: Intuitiva representatio non est denominatio extrinseca in specie, sed potius intrinseca perfectio: ergo species quæ transit de non representante, in representantem intuitivè, necessariò mutatur intrinsicè.

Secund. prob. ant. Natura representata mutatur intrinsicè dum physicè participatur ab hoc individuo: ergo species mutatur intrinsicè, dum transit ad representandam naturam, ut physicè iam contractam in individuo existenti.

Tertiò prob. ant. Notitia qua Angelus intuitivè cognoscit Petrum existentem diversa reali-

tèr est ab ea, qua Petrum abstractivè cognoscebat: ergo species quæ intuitivè representat Petrum, diversa realitèr erit à se ipsa, si antea intuitivè Petrum non representabat; nam de specie, & notitia eadem ratio videtur.

Resp. ad replic. neg. ant. & ad primam probat. dist. ant. intrinseca connotativa, conc. ant. absoluta, neg. ant. Quia representatio intuitiva est connotativa obiecti physicè existentis, & ita potest transire species ad representandum intuitivè, per transitum præcisè obiecti ad physicam existentiam.

Ad 2. prob. neg. conseq. Quia dum natura contrahitur, verè, & realitèr acquirit, & recipit existentiam, & ita mutatur intrinsicè, sed species per transitum obiecti ad physicam existentiam, solum habet connotare de novo obiectum existens quod antea non connotabat, & propterea solum quo ad obliquum, vel connotatum mutatur.

Ad 3. prob. neg. conseq. Quia notitia secundum conceptum individualem intuitivè accipit speciem ab obiecto, ut exercitè existenti, & propterea si mutatur obiectum, eadem numero non est; species verò secundum unitatem numericam, & conditionem etiam materialem habet pro termino primariò quidditatem, aut singularitatem obiecti signatè confi-

de-

deratam, & ab hac recipit speciem: Undè quando obiectum fit præsens, perseverat notitia eadem numero, & solum quo ad obliquum mutatur.

Tertiò arguitur, & contra omnia præcedentia replicatur: Salvatur benè intuitiva notitia absque physica obiecti præsentia: ergo potest dari in absentia obiecti. Prob. ant. primò: Negationem realem futuritionis omnium possibilem, quæ Deus liberè decrevit non fore, cognoscit ipse Deus intuitiva notitia, in veriori Thomistarum doctrina; & tamen negatio prædicta physicè non existit: ergo salvatur benè intuitiva notitia absque physica obiecti præsentia. Prob. min. Negatio futuritionis, aut existentia nunquam habenda, non est aliquid, sed purum nihil; sed quod non est aliquid, non potest existere physicè: ergo negatio prædicta physicè non existit.

Secundò prob. ant. Sicut existentia comparatur ad obiectum notitiæ intuitivæ, ita etiam comparatur ad obiectum voluntatis; quia bonum dependet ab existentia saltem ut à conditione; sed salvatur actus voluntatis, quin obiectum actualitèr existat, per hoc præcisè quod ordinem ad existentiam importet; siquidem futura, & non dum existentia terminant amorem voluntatis Divinæ: ergo idem de notitia dicendum.

Tertiò prob. ant. Scientia visionis per quam Deus res ad extra producit est notitia illarum intuitiva, & verbum in Divinis procedit ex notitia intuitiva sui, & Spiritus Sancti; & tamen proprii scientiæ Divinæ non dum intelliguntur existentes creaturæ, nec verbum, & Spiritus Sanctus intelliguntur existere pro priori, quo verbum procedit: ergo idem quod prius.

Quart. prob. ant. Sicut notitia intuitiva pendet ab obiecto præsentia, ita species impræssa dependet ab obiecto illam efficienter producente; sed salvatur species sine obiecto producente efficienter, ut pat. in Angelis, in quibus species non immittuntur ab exteriori obiecto, sed infunduntur à Deo: ergo idem.

Quintò prob. Vt salvetur intuitiva notitia sufficit exigentia præsentia physicè: ergo salvatur benè sine physica, & exercita præsentia. Prob. ant. Per exigentiam prædictam sufficienter notitia intuitiva, ab abstractiva distinguitur; siquidem exigentia ista notitiæ abstractivæ repugnat; sicut etiam cognitio scientifica Theologiæ sufficienter à fide distinguitur per exigentiam claritatis, & habitus à dispositione per hoc quod exigat esse difficile mobile à subiecto: ergo etiam salvatur benè notitia intuitiva absque physica obiecti præsentia.

Sext. probat. Relatio trans-

Q2 cen-

cidentalis non requirit in termino physicam existentiam; siquidem in hoc à relatione prædicali inter alia, distinguitur; sed notitia intuitiva relatione transcendentali respicit proprium obiectum: ergò salvatur absque physica præsentia illius, & exercitata existentia.

Confirm. & vrgetur argum. Non implicat notitia intuitiva sine physica obiecti præsentia: ergò benè sine illa de possibili salvatur. Prob. ant. primò: Non minus dependet lumen à medio, quàm notitia intuitiva ab obiecto præsentis; sed non implicat Deum lumen sine medio conservare, ut per se patet: ergò non implicat intuitiva notitia sine physica obiecti præsentia.

Secundò prob. ant. Sicut notitia intuitiva specificatur ab obiecto præsentis, ita species potentiae visivæ specificatur à colore præsentis; sed non implicat Deum in pupilla oculi conservare speciem coloris deficiente colore: ergò idem.

Tertiò probat. Non minus pendet visio corporalis à potentia visiva, quàm notitia intuitiva ab obiecto præsentis: siquidem visio corporalis specificatur à potentia, sicut omnis actus vitalis à principio vitalis; sed non implicat Deum visionem corporalem in lapide ponere, & ibidem conservare destructa potentia: ergò idem.

Quartò probat. Visio, qua

beati intra verbum cognoscunt futura, verè intuitiva est futurorum, & tamen futura prædicta non sunt physicè præsentia visioni: ergò non implicat intuitiva notitia sine physica obiecti præsentia. Prob. min. Futura non sunt physicè præsentia visioni in propria duratione, cū adhuc in propria duratione non existant, nec physicè præsentia sunt in mensura visionis: ergò nullo modo. Prob. ant. Quantum ad 2. partem, quia mensura propria visionis est aliquid creatum, & consequenter non continet eminenter durationes futurorum: ergò futura præsentia non sunt in mensura propria visionis, ad hoc enim continentia eminentialis supradicta necessaria erat; sicut Deo physicè præsentia sunt, quia æternitas, quæ est propria duratio Dei, continet eminenter durationes futurorum.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad princ. prob. neg. min. Quia quamvis negatio prædicta non sit aliquid, sed parum nihil, quatenus nihil apponitur enti reali positivo, verè tamen est aliquid reale negativum, vel privativum, quod etiam suo modo existere potest, & consequenter per notitiam intuitivam attingi, per quam etiam attinguntur negationes existentes.

Sed instabis: Ergò sufficit ad notitiam intuitivam rem existere, eo modo, quo existere potest: ergò qualibet notitia abstra-

ctiva,

ctiva, est etiam intuitiva respectu absentia obiecti, quia essentialiter respicit absentiam prædictam, & talis absentia existit, modo quo existere potest; nam solum existere potest dum obiectum est absens, & physicè non existit.

Resp. tamen negando secundum consequens, quia ut notitia esset intuitiva absentia, debebat attingere illam ut quod, & per modum rei existentis suo modo, notitia verò abstractiva non attingit absentiam, ut obiectum quod, sed solum illam attingit ut quo, & exercitè, & ut modum efficientem obiectum: Sicut quando quis lucem absentem cognoscit, lucem attingit ut quod, & absentiam solum attingit ut quo, & ita solum habet notitiam abstractivam; si verò attingat aliquis absentiam, vel tenebras per modum obiecti, quod, & suo modo existentis, absentiam prædictam cognoscet intuitivè.

Ad 2. prob. ant. princ. dist. min. subiectivè, & in se conc. min. obiectivè nego min. & consequ. Nam quidquid sit de Deo, respectu cuius omnia futura physicè præsentia sunt, & existentiam physicam habent in mensura æternitatis: in ordine tamen ad nos, dum futura diligimus, ea omnia cum existentia, quam habebunt, existunt de præsentis obiectivè, in apprehensione operantis. Quatenus ea cognoscimus, & cum existentia quam habe-

Mag. Froylan.

bunt, proponimus voluntati, ut eorum existentiam quarat: Proptereaque possibile non amamus, quia existentiam habendam, non possumus de præsentis proponere, & obiectivè habere.

Si tamen aliqui Thomistæ simplicem complacentiam concedunt Deo in ordine ad possibile non opponitur eorum sententia, cum doctrina quam in præsentis defendimus. Quia Auctores prædicti sentiunt rationem formalem boni, non dependere ab existentia ut habenda, & existente de præsentis obiectivè in apprehensione operantis, sed vnicè dependere ab essentia rerum, ut ex prædicatis essentialibus constituta.

Ad 3. probat. resp. Quod licet cognitio, qua Deus creaturas producit, præcedat illas prioritate nature, non tamen eas præcedit tempore, vel duratione, sed in eodem instanti, quo scientia terminatur ad creaturas, ipsa creatura existunt. Et similiter Patrem præcedere Filium, & Spiritum Sanctum prioritate tantum originis, non tamen temporis prioritate. Ad rationem verò notitia intuitive sufficere cōexistentiam termini, & cognitionis in eodem temporis instanti, & cōexistentiam in eodem priori originis, vel nature necessariam non esse.

Ad quartam prob. neg. mai. Quia species non dependet essentialiter ab obiecto producente,

Q3

sed

sed ab illo, vel ab alio in quo eminenter continetur; cumque Deus naturam cuiuscumque obiecti contineat eminenter, inde fit Deum posse speciem cuiuscumque obiecti efficienter producere, & hoc in Angelis fecit, quibus à principio omnes infudit species.

Ad 5. probat. negantur duo illius antecedentia, quia per exigentiam physice presentie non constituitur debite notitia intuitiva, nec debite, sed potius modo repugnanti ab abstractiva distinguitur, eo quod intuitiva notitia, quantum ad denominationem intuitionis, consistit in exercitio intuendi, & sicut sine exercitio intuendi non est, ita etiam non est sine physica, & exercita presentia; nam quod non est, non videtur. Exemplum adest in homine, qui per exigentiam rationalitatis distingueretur ab equo, cui rationalitas repugnat, & tamen quia non modo debito, sed modo tantum repugnanti, & in proprio per illam ab equo distingueretur, propterea homo non constituitur exigentia predicta. Nec simile est de scientia, & habitu, quia scientia consistit in eo, quod rem per causam certo, & infallibiliter attingat, & ideo non exigit claritatem, ut sit, sed solum ut perfecta sit, qualis est Theologi à dum in Patria cum visione clara coniungitur: habitus etiam non consistit in exercitio, vel in difficile move-

ri, alias nunquam facile moveretur, sed consistit in eo, quod ex natura sua petat esse difficile separabilem à subiecto: sicut accidens non consistit in exercitio inhaerendi, sed in sola aptitudine ad inhaerendum, & terminus non in actuali compositione, sed in aptitudine ad componendum essentialiter consistit.

Ad 6. probat. dist. mai. ex conceptu communi, conc. maior. ex conceptu differentiali, nego mai. Quia licet relatio transcendentalis ex conceptu communi non requirat existentiam sui termini, illam tamen ex conceptu peculiari exigere potest; sicut relatio transcendentalis visionis beatae ad Deum, existentiam Dei requirit, quod etiam contingit in notitia intuitiva.

Nec ex eo, quod ex conceptu communi existentiam termini non requirat, infertur talem non repugnantiam in omni specie relationis transcendentalis salvari, quia predicata negativa, quae rationi superiori conveniunt, non debent inferioribus convenire; nam animali secundum communem conceptum non repugnat irrationalitas, quae tamen homini essentialiter repugnat.

Ad confirm. vero argument. princip. neg. ant. & ad prim. probat. neg. mai. Quia lumen non dependet essentialiter à medio in quo recipitur, sed potest sine illo salvari; sicut accidentia possunt de

de potentia absoluta sine subiecto reperire; oppositum autem de notitia intuitiva firmamus.

Ad 2. probat. dist. mai. à colore presenti, presentia sumpta signate, conc. mai. exercite, neg. mai. Quia notitia intuitiva essentialiter est intuitio in actu, & ita accipit speciem ab exercita presentia, vel cum illa connectitur essentialiter; species vero cum sit actus primus solum specificatur à presentia signata, vel possibili, non tamen à presentia exercita, & existente; & propterea salvatur cum presentia possibili, quamvis verum sit, quod exercite solum representabit presentiam existentem; sicut ipsa potentia visiva salvatur cum obiecto possibiliter presenti, quamvis non possit exercite videre, nisi quod exercite existit.

Ad 3. probat. dist. min. visionem per modum qualitatis, conc. min. per modum actionis vitalis, nego min. & conseq. Ex quo solum sequitur Deum posse conservare notitiam intuitivam secundum rationem, vel per modum qualitatis sine physica presentia, non vero per modum intuitionis; quia sub hac formalitate essentialiter cum presentia connectitur; sicut actio vitalis cum principio vitali, sine quo per modum actionis vitalis nunquam conservari potest.

Ad 4. probat. Quae revera difficilis est, & de qua plura Tho-

mistæ r. p. q. 9. & 10. & 3. p. q. 11. respondetur dist. min. Visioni in propria mensura, aut in mensura futurorum, conc. min. visioni in mensura superiori, neg. min. & conseq. Quia ut visio verè sit futurorum intuitiva, necessarium non est visionem, & futura coexistere in mensura futuri, vel in mensura visionis, sed satis est, quod tam visio, quam illius mensura coexistent alicui superiori mensurae, in qua futura physice continentur, & visionem intuitivam predictam mensuram superiorem attingere; nam hoc ipso ipsa futura physice presentia sunt ipsi visioni in illa mensura superiori, quam visio attingit intuitivè: quod utique ita defactio contingit, eo quod dum visio beata incipit esse, incipit etiam coexistere aternitati, & ipsam aternitatem intueri, & ita videt intuitivè futura in aternitate contenta, & coexistit illis quatenus in aternitate contentis.

Sed instabis: Si semel futura non coexistunt visioni in mensura propria visionis, erunt iam verè futura comparative ad visionem cum non existant in mensura ipsius visionis, nec in illa contineantur; sed esse verè futura, & simul physice presentia visioni incompatibilia sunt: ergo futura comparative ad visionem, physice presentia non erunt.

Respond. dist. mai. Comparative ad visionem secundum

propriam mensuram, conc. mai. comparativè ad visionem vt intuitivam superiorem mensuram, neg. mai. & dist. min. secundum eandem mensuram, conc. min. diversam, neg. min. & conseq. Quia quamvis futura comparativè ad mensuram visionis, vt defecto mensuram, verè futura sint, non tamen verè futura sunt comparativè ad aeternitatem, & ad visionem beatam, vt videntem intuitivè, aeternitatem Divinam; sed potius sicut aeternitas est physicè præsens visioni, ita futura vt contenta in aeternitate visa, physicè præsens sunt.

Quartò tandem arguitur: Notitia intuitiva non specificatur à præsensia physica obiecti, quod intuitivè attingit: ergò sine physica præsensia obiecti subsistere valet. Prob. ant. primò: Cognitio Divina intuitiva est futurorū; & tamen ab illis nullam accipit speciem, aliàs cognitio Divina ab aliquo creato dependeret: ergò notitia intuitiva non specificatur à præsensia physica obiecti, quod intuitivè attingit.

Secundò prob. ant. In visione beata, quæ futura intuitivè cognoscit in essentia Divina; & tamen à solo Deo speciem accipit, non verò à futuris, quæ secundario tantum intuitivè cognoscit: ergò idem.

Tertiò prob. ant. Cognitio intuitiva intellectus secundum se inspecta, non terminatur forma-

liter ad physicam præsensiam obiecti, eo quod intellectus ad differentiam sensus, à physica præsensia præsenscindit, & à conditionibus individualibus, quæ ad obiecti singularitatem concurrunt: ergò prædicta cognitio intuitiva non specificatur à præsensia physica obiecti.

Quartò prob. ant. Notitia intuitiva specificari non valet ab eo, quod est formaliter extra genus notitiæ; sed physica præsensia, in doctrina D. Th. est formaliter extra genus notitiæ: ergò idem quod prius.

Confirm. & vrgetur fundamento principali contrariorum: Quia potest Deus per se ipsum supplere concursum obiecti physicè præsensis in terminando eandem notitiam intuitivam: ergò potest notitia prædicta salvari sine physica obiecti præsensia. Prob. ant. primò: Non minus pendet intuitiva notitia à specie repræsensante physicam præsensiam obiecti, quam ab ipsa physica præsensia terminante notitiam; sed potest Deus per se ipsum supplere speciem repræsensantem uniendo se ipsum loco speciei ad repræsensandum Petrum physicè præsensentem, in quo quidem nulla implicatio invenitur: ergò potest per se ipsum supplere concursum obiecti physicè præsensis in terminando eandem notitiam intuitivam.

Secundò prob. ant. Potest Deus per se ipsum facere, quidquid facit

facit mediante causa secunda; sed physica præsensia creata terminat intuitivam notitiam: ergò poterit Deus per se ipsum eandem notitiam terminare.

Tertiò prob. ant. Physica præsensia obiecti creati terminat notitiam intuitivam in genere causæ formalis extrinsecæ; sed Deus absque vlla imperfectione potest supplere genus causæ formalis extrinsecæ; siquidem per se ipsum terminat in genere isto visionem beatam: ergò idem.

Quartò prob. Potest Deus per se ipsum supplere munus subsistentiæ, & existentiæ creatæ, vt constat in Mysterio Incarnationis, quia continet eminenter subsistentiam, & existentiam creatam; sed etiam continet eminenter physicam præsensiam obiecti: ergò potest Deus per se ipsum supplere concursum obiecti physicè præsensis in terminando eandem notitiam intuitivam.

Resp. ad argum. dist. ant. à præsensia in se ipsa, & semper conc. ant. à præsensia, vel ab aliquo cum præsensia connexo, nego ant. & conseq. De duplici namque notitia potest argumentum procedere, de Divina videlicet, & creata, & quidem si de Divina loquamur, certum est eam non posse specificari à præsensia physica obiecti creati, etiam attenda secundaria formalitate notitiæ prædictæ, eo quod Divina cognitio secundum nullam formalitatem

dependere potest ab obiecto creato; semper tamen notitia intuitiva Divina speciem accipit ab aliquo connexo cum obiecto creato, quod intuitivè attingit, & ita cognitio illa secundum formalitatem intuitivæ specificatur ab essentia Divina, vt futura continente, & repræsensante, connexa que cum illis in ratione terminandi; sicut scientia simplicis intelligentiæ specificatur ab essentia Divina, vt connexa cum possibilibus, sine quibus esse non potest etiam in ratione terminandi, per quod ad primam probat. habetur manifesta solutio.

Si autem de notitia intuitiva creata sermo sit, semper specificatur à præsensia physica obiecti, vel secundum primariam speciem, & entitatem suam, vel saltem secundum denominationem intuitivam, in quo sensu visio beata futurorum intuitiva secundum primariam formalitatem, & essentiali speciem, specificatur ab essentia Divina, sed secundum terminationem secundariam specificatur à futuris sine quibus denominatio secundaria intuitivæ perseverare non potest.

Sed instabis: Cognitio Divina futurorum intuitiva eadem invariata maneret, quamvis Deus futura non decrevisset, sicut ipse facere potuit: ergò non accipit speciem ab essentia, vt connexa cum illis, aliàs ipsis deficientibus non maneret invariata.

Respond. dist. ant. invariata quo ad rectum, & essentialem speciem, conc. ant. quantum ad munus intuitivæ futurorum, neg. ant. & dist. consequens: Speciem essentialem, & primariam, conc. consequ. secundariam, & accidentalem, neg. consequ. Quia si futura non essent, cognitio quæ modo est futurorum intuitiva, quantum ad speciem essentialem maneret invariata, talem namque speciem accipit ab essentia Divina accepta secundum se; verum quantum ad secundariam denominationem intuitivæ prædicta notitia varietur, non tamen propter defectum recti, sed solum ob defectum connotati, videlicet propter defectum futuri, ex quo potius inferatur notitiam sub denominatione prædicta dependere ab essentia Divina connotante creaturas, & ab eadem provt sic speciem secundariam desumere.

Et si rationem inquiras cur visio creata secundum denominationem secundariam specificatur à creaturis; visio verò increata secundum denominationem prædictam non accipit speciem ab illis, sed tantum ab essentia ut cum creaturis connexa.

Respond. Rationem esse, quod denominatio secundaria in visione beatifica, & quacumque visione creata, respicit creaturam ut finem, & illi subordinatur, & ita ab ea specificari debet, sed in visione increata nulla denomina-

tio quantumvis secundaria respicit creaturam ut finem, aut illi subordinatur, & idèd. à creatura specificari non valet.

Ad tert. probat. Duplici via respondere poteramus, in opinione, videlicet, afferente divisionem notitiæ in abstractivam, & intuitivam esse accidentalem in qua dicitur, notitiam intuitivam intellectus secundum specificum conceptum, & primariam terminationem notitiæ non terminari formaliter ad physicam præsentiam obiecti, terminari tamen ad physicam præsentiam obiecti formaliter secundum conceptum intuitivæ, aut denominationem secundariam accidentalem notitiæ.

In altera verò sententia affirmante essentialem esse divisionem prædictam. Respond. ad replicam notiam intuitivam intellectus formaliter terminari ad physicam præsentiam, ut modum essentialis obiecti in ratione terminantis, & ex conceptu intuitivæ prædictam præsentiam exigere, quamvis non exigat illam ex conceptu communi notitiæ intellectivæ; eo quod intellectus secundum se etiam non existentia cognoscit, & ab existentia præscindit, in quo à potentia sensitiva distinguitur.

Ad 4. probat. Eodem modo respond. dist. mai. secundum primariam, & essentialem speciem, conc. mai. secundum speciem

accidentalem, neg. mai. Quia secundum speciem, & denominationem accidentalem bene potest notitia specificari ab eo, quod est formaliter extra genus notitiæ, & ita concessa minori, negatur consequ. sub dist. maioris.

Poterat etiam aliter responderi, præsentiam physicam obiecti esse extra genus notitiæ quantum ad exigentiam essentialem ipsius, eo quod notitia intellectus ex conceptu communi præscindit à præsentia physica obiecti, nec illam exigit positivè; sed ex conceptu peculiari notitiæ illam exigere tanquam differentiam essentialis, aut modum necessarium essentialis differentie, & primum solum intendere D. Th. dum ait: Præsentiam physicam esse extra genus notitiæ. Tertio etiam poterat dici, præsentiam physicam obiecti esse extra genus notitiæ per modum differentie substantialis, non tamen per modum modi essentialis, substantialis differentie, & sufficere esse modum essentialis substantialis differentie, ut illam respiciat notitia formaliter per modum modi essentialis in obiecto, & quo variato ipsa etiam notitia substantialiter varietur.

Ad confirm. verò argum. princip. resp. neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. à specie secundum conceptum continentis obiectum, conc. mai. à specie individualiter, & numericè sumpta,

neg. mai. & dist. min. Supplemento equivalentiæ, conc. min. supplemento identitatis, neg. min. & consequ. Quia notitia intuitiva non dependet essentialiter à specie individualiter sumpta, alias Deus illam supplere non posset, sed solum dependet notitia prædicta à specie secundum rationem continentis obiectum. Et cum Deus omne obiectum creatum perfectissimè contineat, potest per se ipsum omnia repræsentare, & per modum speciei supplere concursum speciei creatæ supplemento equivalentiæ, vel æquivalendo pro illa ad notitiam principiandam; sed ut suppleret Deus concursum obiecti interminando eandem intuitivam notitiam, debebat fieri idem obiectum creatum, quod implicationem involuit.

Ad 2. prob. dist. mai. mediante causa secunda terminante essentialis dependentiam effectus, neg. mai. illam non terminante, conc. mai. & dist. min. terminat cum dependentia essentiali, conc. min. sine illa, nego min. & consequ. Quia quando effectus essentialiter à causa secunda dependet, non potest Deus sine causa secunda prædictum effectum producere; sicut Deus producere non valet intellectum, & amorem creatum, sine intellectu, & voluntate creata, quia operationes prædictæ essentialiter dependent ab intellectu, & volunta-

te creata, nec producere potest relationem predicamentalem Paternitatis creatae, sine creata filiatione cum qua Paternitas creata essentialiter connexa est.

Ad 3. prob. dist. min. respectu actionis, quae primario terminatur ad ipsum: conc. min. quae primario ad creaturam terminatur: neg. min. & conseq. Deus namque absolute exercere potest genus causae formalis extrinsecae respectu visionis Beatae, aut alterius actionis, quae primario tendit ad ipsum, & ita actum fidei, & spei, & charitatis specificat ipse Deus; sed respectu actionis, quae primario terminatur ad aliquam creaturam, non potest Deus praedictum exercere concursum, eo quod actio ista specificatur a creatura, & propterea non potest Deus talem speciem praestare, nisi fiat creatura, quod implicat, & talis est notitia intuitiva obiecti creati, quae ab illo sumit speciem.

Ad 4. prob. solutione communi resp. neg. causulem maioris, ut adequatam, sed ulterius addendum est, quia in unione per modum existentiae, & subsistentiae, nulla imperfectio importatur, nec in formationis, nec dependentiae, nec identitatis; verum ut Deus suppleat concursum physicae praesentiae creatae eandem terminando notitiam, necessarium erat Deum fieri per identitatem ipsam praesentiam creatam, quae imperfectio, maxime Deo repugnat.

Ratio autem doctrinae traditae est, quod notitia intuitiva obiecti creati, est notitia illius in se ipso ex parte rei, aut illius secundum modum proprium formaliter, & actualis attentio ad modum praedictum per se primo, & ita a modo proprio obiecti creati in se ipso desumit speciem: Consequenterque, ut perseveraret eadem notitia debebat Deus fieri ipsum obiectum creatum in se ipso, & secundum modum proprium, quod est fieri creaturam; nam Deus in quantum talis solum est eminenter creatura, non autem est creatura secundum modum proprium formaliter. Unde ad terminandam notitiam intuitivam specificatam ab obiecto creato, necessaria erat in Deo imperfectio identitatis. Ex quo autem Deus praesentiam physicam obiecti creati contineat eminenter, solum infertur eam efficienter producere posse; sicut Deus eminenter continet ens mobile substantiale, & filiationem creatam, ex quo tamen non sequitur loco filiationis creatae posse terminare relationem, nec loco entis mobilis specificare phylosophiam, sed solum quod ea omnia possit efficienter producere.

Sed instabis: Potest Deus in genere causae formalis extrinsecae, praestare eundem numero concursum obiecti creati, & eandem terminare notitiam, quin fiat ipsum creatum obiectum.

Et

Ergo solutio tradita nulla est. Prob. antec. Primo. Potest praestare Deus in genere causae formalis intrinsecae eundem numero effectum subsistentiae, & existentiae creatae, quin fiat subsistentia, & existentia creata. Ergo pariter praestare poterit eundem concursum obiecti creati, & eandem terminare notitiam, quin fiat ipsum obiectum creatum.

Secundo prob. antec. Sicut notitia intuitiva obiecti creati specificatur essentialiter ab obiecto creato, ita natura humana specificatur ab existentia creata; sed potest Deus eandem numero terminare naturam, quam terminaret existentia creata, quin fiat Deus existentia creata. Ergo idem quod prius. Minor. cum conseq. constat, & prob. mai. Quantum ad secundam partem in qua difficultas est: quia omnis potentia specificatur ab actu proprio, & primario; sed natura humana est verè potentia in ordine ad existentiam creatam, & eam respicit tanquam primum, & proprium actum in linea entis formaliter. Ergo specificatur ab existentia creata.

Respond. ad replic. neg. antec. & ad prim. probat. neg. etiam antec. Quia cum effectus intrinsecus causae formalis, sit ipsa forma communicata sub-

iecto, dum variatur forma, variatur talis effectus; & ideo Divina existentia quamvis terminet eandem numero naturam, quam terminaret creata, non tamen praestat eundem numero effectum formalem, sed aliud entitativè diversum, finitum solum ex parte modi, propter defectum subiecti, quod est incapax ad infinite existendum. Quod clarius patet in Divina subsistentia, ex qua cum humana natura resultat infinita Persona, quae tamen non resultaret ex natura humana, & creata subsistentia.


Ad secundam probat. Poteramus dicere, potius existentiam creatam specificari a natura, quam e contra, quia quando potentia radicaliter, & per se primo continet principaliter actum, & non est propter illum, non specificatur ab actu; sicut ob hanc rationem natura radicaliter operativa, non specificatur ab operatione, quam respicit ut actum proprium, eo quod illam radicaliter continet, & non est propter illam, sed e contra ipsa operatio est propter naturam, ut finem; cumque natura creata radicaliter, & per se primo contineat existentiam, & propter illam non sit, sed eam sibi subordinet, inde fit ab ea specificari non posse.

Verum quia his non indi-


ge-

genus. Respondet. aliter neg. mai. & ad probat. disting. min. secundum conceptum existentia: conced. minor. Secundum conceptum creatæ: neg. minor. & consequent. Licet namque actus connaturalis, & proportionatus naturæ creatæ sit existentia creatæ, actus tamen specificativus, & primarius illius, est existentia secundum concep-

tum communem formæ constituentis rem extra causas, sub quo conceptu communi continetur etiam ipsa Divina existentia, eo proportionali modo, quo intellectus specificatur ab ente secundum rationem communem, sub qua Deus clarè visus formalitèr continetur.
(9)



QVÆST.



QVÆST. QVARTA.

DE TERMINO, ET ILLIVS QVIDDITATE, ET IN EA.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆNAM SIT DIFFERENTIA TERMINI constitutiva?

§. PRIMVS.

Quibusdam prælibatis, statuitur nostra conclusio.

IN difficultate ista, quæ ad omnes alias dialecticas, instrumenta præparat, & fundamēta ministrat; præmittendum est primò, terminum metaphysicè consideratum debere diffiniri per esse secundo intentionatum rationis, per se ad propositionem componendam ordinatum, in qua diffinitione secundo intentionatum, est metaphysicum genus, in quo omnia artificia dialectica conve-

niunt univocè, esse autem per se ad propositionem componendam ordinatum, differentia metaphysica est, per quam terminus ab omni alio intentionato dialectico metaphysicè distinguitur.

Verùm quia concreta accidentalia regularitèr physicè diffiniuntur per id, quod est magis notum in eis, videlicet, per subiectum, & subiectum secunde intentionis partis terminum constitu-

tuen-

tuentis est signū, propterea terminus communiter diffinitur per esse signū *Categoricae propositionis constitutum*, cuius diffinitionis bonitatem. Probat Authoritas D. Thomae, qui 2. per Hierem. lect. 12. similem diffinitionem tradit. Suadet etiam bonitatem regula generalis; siquidem in ratione signi convenit terminus cum omnibus alijs, & in ratione constitutivi propositionis, ab omni alio distinguitur, consequenterque diffinitio traddita constat genere, & differentia, ac proinde bona est.

Terminus verò non bene sic diffiniri per ordinem ad propositionem, sed potius diffiniri debere per resolutionem, aut per esse id, in quod propositio resolvitur. Deffendunt aliqui, quorum assertum improbat D. Thom. 1. per Hierem. lect. 1. dum dicit: *Quod simplices dictiones possunt considerari, ut sunt partes enuntiationis, & sic determinatur de eis in hoc libro.* Ergò terminus diffiniri debet per ordinem ad propositionem, quā componere potest.

Insuper etiam id ipsum ratio convincit: nam dum terminum diffinimus, viam ad propositionem, & syllogismum paramus, & dialecticos ad hae instrumenta componenda artificiosè dirigimus; sed ad finem praedictum congruentior, & aptior est notitia compositionis, quam resolutionis notitia. Ergò terminum per compositionem diffinire debemus.

Probat. min. Ad propositionem conficiendam, & construendum syllogismum, requiritur terminus per modum componentis, & partis: ergò congruentior, & aptior est notitia compositionis, quam resolutionis notitia, ut dialecticos ad instrumenta dialectica artificiosè componenda dirigamus.

Confirm. ratio praedicta: Terminus diffiniendus est, per id, quod est primum in ipso; siquidem diffinitio explicat essentiam, & essentia rei est primum in ipsa, & quod nos prius in ipsa concipimus; sed in termino prius est compositio, quam resolutio: ergò per compositionem diffiniri debet. Prob. min. In quacumque parte prius est formalitas partis, quam formalitas termini, vel prius est, quod componat, quam quod terminet resolutionem, eo quod totius resolutio supponit compositionem; sed terminus est pars per se: ergò prius est in ipso compositio, quam resolutio.

Respondebis: Prius esse terminum componere, quam resolvere physica resolutione, & etiam resolutione mentali de toto iam fabricato, eo quod prius est compositum esse compositum, quam in partes resolutum; non tamen esse priorem compositionem, resolutione mentali de toto componendo; nam antequam quis propositionem componat, debet prius examinare partes, quibus illa componenda est, & sic prius illam

illam resolvit in partibus examinando.

Hac tamen solutio inefficax est, quia in toto prius est mentaliter ipsum esse compositum, quam in partes resolutum: vnde totum non per resolutionem, sed per compositionem diffinitur, videlicet, per esse constitutum ex partibus. Ergò etiam in parte totius, prius est componere, quam resolvere resolutionem mentali. Pat. conseq. Quia de toto per ordinem ad partes, & de partibus in ordine ad totum, proportionabiliter loquendum est; siquidem totum, & partes correlativè dicuntur.

Secundò impugnatur data solutio; qui quærit, & examinat partes totius componendi, non dicitur propriè resolvere. Ergò examen praedictum impropiè dicitur resolutio. Probat. ant. primo: Solum dicitur propriè resolvere, qui partium dissolvit unionem; sed partes examinat, & quærit ad componendum, non dissolvit unionem; sed illam procurat ponere. Ergò non dicitur propriè resolvere.

Secundò prob. ant. Qui quærit, & examinat partes domus, ut domum rectè componat, non propriè dicitur resolvere domum; cum potius domum fabricare intendat. Ergò qui quærit, & examinat partes totius componendi, impropiè resolvere dicitur.

Tertiò prob. ant. Dum quis intendit totum componere, & ad

hoc præparat partes, non potest dici totum resolvere; nam quando intendit componere, resolvere nō intendit; sed dum quis quærit, & examinat partes totius fabricandi, intendit totum componere: ergò impropiè resolvere dicitur.

Contra præfatam doctrinam instabis: Arist. 1. priorum cap. 1. Diffinisse terminū per resolutionem, dum ibi ait: *Terminum voco in quem resolvitur propositio tanquā in subiectum, vel prædicatum.* Ergò terminus per resolutionem diffiniendus est.

Confirm. Terminus in presenti diffinitur, ut terminus; sed ut terminus fuit resolutionem. Ergò per resolutionem diffiniri debet. Pat. min. Quia terminus dicitur à terminando; sed terminare est resolutionem finire, & propterea finem agri, vel fundi, illius terminum vocamus. Ergò terminus ut talis finit resolutionem.

Resp. tamen facile: Nos in presenti tantum loqui de termino enuntiativo, & ita bene ipsum diffinire per ipsam compositionem nuntiationis; sicut ipse Arist. lib. de interpret. praedictum terminum per compositionem diffinivit: si tamen loco in argumento relato terminum per resolutionem diffinivit, eo hoc fecit, quia ibi loquebatur de termino in via resolutionis, vel ut deserviente resolutioni syllogisticae, & propterea solum ibi meminit subiecti, & prædicati, à quibus solum pender formaliter vis inferendi, & ex quibus constat

sylogismus, ut dispositis in modo, & figura secundum debitam subiectionem, & prædicationem; unde copula, ut talis non est terminus syllogisticus, quia copula nec subijcitur, nec prædicatur.

Ad confirm. Verò argumenti respondetur dist. mai. ut terminus, ly ut reduplicante primum significatum ex usu dialecticorum: conc. mai. primum ex vi primæ impositionis: neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia terminus primò impositus est ad significandum illud, in quo resolutio finitur, sed ex usu dialecticorum extensus est ad significandum primò simpliciter partem, potentem propositionem componere, & in præfenti solum diffinitur secundum id, quod primò significat ex usu dialecticorum.

Dices: Quod terminus quatenus potest propositionem componere, est compositionis principium, non verò terminus compositionis. Ergò ut diffiniatur secundum aliquam rationem propriam termini, non debet per compositionem diffiniri.

Dices secundò: Terminus diffiniri debet sub ea ratione, quæ maiorem explicat simplicitatem; sed ratio termini maiorem simplicitatem explicat, quam ratio partis, quia ut terminus est finis, & non est resolabilis ultra. Ergò per resolutionem diffiniri debet.

Respond. tamen ad prim.

dist. ant. Non verò terminus secundum id, à quo nomen imponitur, vel quod ex primeva impositione significat: conc. antec. Secundum id, quod primò significat ex usu dialecticorum: neg. ant. & neg. conseq. Quia licet terminus sit impositus à terminando, & hoc significet ex primeva impositione, ex usu tamen dialecticorum simplicem partem compositionis enuntiationis per se primò significat.

Ad secundam instantiam, negat. min. Quia ratio partis simplicis, & ratio termini æqualem simplicitatem important, & id ipsum quod est pars simplex, & prima in componendo, est terminus infiniendo resolutionem, & aliunde ratio partis simplicis in consideratione dialectica prior est; & ideò terminus per rationem partis simplicis potest componere, primò diffiniendus est.

Secundò supponendum est; conceptum simplicis dictionis non esse differentiam termini constitutivam: quia differentia essentialis termini constitutiva non potest esse communis termino dialectico, & alijs distinctis ab ipso; sed conceptus dictionis simplicis communis est termino dialectico, & alijs ab illo diversis. Ergò differentia illius constitutiva non est. Prob. min. Conceptus simplicis dictionis est communis termino, ut pertinenti ad Grammaticam, & Rethoricam, cum utraque ex dictionibus

sim.

simplicibus proprias locutiones efformat. Ergò conceptus simplicis dictionis communis est termino dialectico, & Grammatico, & Rethorico, & consequenter alijs ab eo diversis.

Confirm. Simplex dicitio non convenit omni termino dialectico, sed est propria determinatè alicuius. Ergò differentia termini dialectici constitutiva non est. Prob. ant. Simplex dicitio significat dictionem in compositam, & incomplexam; sed hæc termino complexo non convenit, sed est incomplexi propria. Ergò non convenit omni termino dialectico, sed est propria determinatè alicuius. Min. pat. Quia terminus incomplexus, est una dicitio, cui vnicus etiam correspondet conceptus, cuius oppositum terminus complexus habet.

Sed instabis contra rationem prædictam: Conceptum simplicis dictionis non esse communem termino Rethorico, & Grammatico, sed determinatè ad dialecticam pertinere. Ergò ratio prius facta nititur principio falso. Prob. ant. Conceptus simplicis dictionis pertinet ad librum prædicamentorum; nam secundum D. Thom. 1. per Hierem. lect. 1. *Simplicium dictionum triplex potest esse consideratio, una quidem secundum quod absolute significant simplices intellectus, & sic earum consideratio pertinet ad librum prædicamentorum.* Ergò conceptus dictionis simplicis ad dia-


lecticam determinatè pertinet.

Resp. ad replic. istam neg. antec. & ad probat. dist. antec. ad librum prædicamentorum obiectivè per modum substrati: conc. antec. formalitè: neg. ant. Quia simplices dictiones significant simplices quidditates, aut res, quæ sunt subiecta secundarum intentionum generis, speciei, & individui, quibus prædicabilia formalitè in prædicamento ordinantur, & ideò obiectum dictionis simplicis pertinet ad prædicamentum per modum subiecti secundæ intentionis tantum, consequenterque simplices dictiones non formalitè, sed obiectivè per modum substrati ad dialecticam, vel ad Logicam pertinent, quod solum loco allegato Doct. Angelicus intendebat.

His ergò prælibatis modò difficultas est an differentia termini constitutiva sit intentio partis per se ordinatæ ad propositionem categoricam componendam, vel ratio signi partialis, qua terminus obiectum partiale significat? Secundum pluri mi docent, quibus aliqui ex nostris favere videntur. Primum

verò communitè Thomista descendunt.

Cum quibus sit.



NOSTRA CONCLUSIO.

Conclusionem istam probant aliqui ratione sequenti: Differentia termini constitutiva ea est, quæ pertinet ad lineam dialecticam, & omni termino convenit; sed secunda intentio partis pertinet ad dialecticam, ut adversarij fatentur, & omni termino convenit; siquidem nullus est terminus qui non possit propositionem componere, & consequenter, qui non habeat intentionem partis per se ordinatæ ad propositionem componendam. Ergo intentio partis per se ad propositionem componendam ordinatæ, est differentia termini constitutiva.

Authorum intentionem cognoscimus, sed rationem in forma proposita approbare non debemus, quia dabilis est secunda intentio pertinet ad lineam dialecticam, & alijs omni termino communis, quæ tamen non sit differentia termini constitutiva. Ergo ratio facta nititur principio falso. Prob. ant. Intentio dialectica communis ad omnem intentionem dialecticam totius, & partis, pertinet formaliter ad dialecticam, & alijs omni termino convenit, ut per se manifestum est, & tamen non est differentia termini constitutiva, cum etiam orationi, & propositioni conveniat.

Ergo dabilis est secunda intentio pertinet ad dialecticam, & alijs omni termino communis, quæ tamen non sit differentia termini constitutiva, qua propter omnia ratione prædicta.

Prob. conclusio nostra ratione: Quia ea est differentia termini constitutiva, per quam distinguitur essentialiter terminus ab omni alio instrumento Logicali; nã differentia distinctiva rei ab omnibus alijs, est constitutiva illius; sed per intentionem partis distinguitur terminus intra genus Logicum ab omni alio instrumẽto dialectico. Ergo secunda intentio partis per se potest componere propositionem, est differentia termini constitutiva. Min. prob. Intentio partis per se est formaliter intra genus dialecticum, ut concedunt adversarij, & aliudẽ omnia alia instrumenta Logicalia præter terminum habent rationem totius. Ergo per secundam intentionem partis distinguitur terminus intra genus dialecticum ab omni alio instrumento dialectico.

Conf. primò. Terminus in linea artificiali dialectica est prima entitas, & elementũ primum ex quo cætera componuntur. Ergo differentia illius constitutiva debet esse ratio partis per se ordinatæ ad propositionem componendam, quæ in linea dialectica totũ est; sicut quia materia in linea substantiali est prima entitas, differentia constitutiva materiæ, est ratio puræ potentiæ, &

& partis per se ordinatæ ad propositionem componendam.

Urgetur: Differentia termini constitutiva debet esse prima differentia inter omnes ad dialecticam pertinentes, siquidem terminus est prima species de linea dialectica, & ita per primam differentiam constituendus est; sed prima differentia inter omnes ad dialecticam pertinentes est secunda intentio partis per se potentis propositionem componere: ergo secunda intentio partis debet esse differentia termini constitutiva.

Respondent adversarij: Ante intentionem partis in termino reperire rationem signi partialis, quæ non convenit alijs, a termino, & omni termino convenit, & consequenter non per intentionem partis, sed differentiam prædictam terminum debere constitui.

Sed hæc solutio inefficax est: Quia ratio signi partialis, vel partialis significatio convenit termino Grammaticali, & Rethorico; sicut, & ipsi termino dialectico; nam Grammatica, & Rethorica agunt de vocibus significativis, ex quibus Grammatica suas orationes format, quasque Rethoricali ordine disponit, ut possint audientem movere: ergo partialis significatio non pertinet determinatè ad dialecticam, nec in ordine dialectico prima differentia est proindequè non potest esse

Mag. Froylan.

termini constitutiva.

Secundò solutio data impugnatur: differentia constitutiva signi, non potest esse differentia termini constitutiva, quia diversæ species habere debent diversas differentias; terminus autẽ, & signum speciè distinguntur, siquidem terminus ad dialecticam pertinet, signum verò ad Politicam, quæ signa instituit, ut hominis possit suam mentem explicare, & ita conversari ad convictum humanum; sed significatio partialis est differentia constitutiva signi partialis, ut per se notum est: ergo nequit esse differentia termini constitutiva.

Tertiò rejicitur: Differentia termini constitutiva debet esse per se primò in ordine ad propositionem; sed significatio partialis per se primò ad propositionem non est, sed in ordine ad signatũ: ergo idem quod prius.

Quarto rejicitur: Differentia termini constitutiva, in quocumque termino debet esse forma rationis; nam quicumque terminus est concretum rationis, quod per se pertinet ad dialecticam, cuius obiectum aliquid rationis est; sed significatio partialis non est in omni termino forma rationis: ergo idẽ quod antea. Prob. min. Significatio partialis in termino mentali est forma realis; nã conceptus, qui est terminus mentalis realiter, & ex natura sua significat, & repræsentat obiectum:

R. 3

ergo

ergò significatio partialis non semper, & in omni termino est forma rationis.

Quintò impugnatur solutio data: Non potest non variari species, variata essentiali differentia, sed variatur essentialiter ratio signi, non variata ratione termini: ergò ratio signi non est differentia termini constitutiva. Prob. min. Terminus mentalis, & vocalis essentialiter differunt in ratione signi; siquidem terminus mentalis est signum naturale, ex vocalis est signum ad placitum, quæ duo signa essentialiter distinguuntur, & tamen in ratione termini non differunt essentialiter, ut fert probabilior opinio: ergò variatur essentialiter ratio signi, non variata essentialiter ratione termini.

Confirm. ab opposito: Quia variatur essentialiter ratio termini non variata ratione signi: ergò diversa est differentia essentialis constitutiva utriusque. Prob. ant. Terminus cathegorematicus, & syncathegorematicus, & nomen, & verbum essentialiter differunt in ratione termini, & tamen non differunt essentialiter in ratione signi, siquidem omnia ea sunt signa ad placitum, quæ in ratione signi habent specificam, & a thomam convenientiam: ergò variatur essentialiter ratio termini invariata ratione signi.

§. III.

Solvuntur contrariorum argumenta.

CONTRA conclusionem nostram nihil speciale invenimus in littera D. Thomæ; sed à ratione poterat in primis argui: Quod prædicatum in quantum prædicatum, componit propositionem; sed prædicatum in quantum tale rationem termini non habet, siquidem intentio prædicati distinguitur essentialiter à secunda intentione termini: ergò terminus non potest constitui per intentionem partis potentis componere simplicem propositionem. Prob. mai. Prædicatum in quantum prædicatum respicit subiectum, sed subiectum, & prædicatum absque compositione non dantur: ergò prædicatum in quantum tale componit propositionem.

Resp. dist. mai. ly. in quantum specificativè sumptum, conc. maior. reduplicativè acceptum, neg. mai. & concessa, min. neg. conseq. Quia quamvis prædicatū specificativè sumptum componat, quatenus id, quod est prædicatum revera componit propositionem, non tamen componit illam reduplicativè, ut tale, & ex vi intentionis prædicati, eo quod ex vi intentionis prædicati, solum respicit subiectum, non tamen respicit totam propositionem, sed solum

lūm propositionem totam respicit per intentionem partis. Et propterea ad prob. mai. concessis præmissis, neg. conseq. Quæ mala est: nam procedit ab identica ad formalem, vel à specificativa ad reduplicativam; siquidem licet prædicatum componat, non tamen per intentionem prædicati componit, sed per intentionem partis: sicut propter eandem rationem non est bona consequentia quæ sequitur: materia ut unita non est sine compositione: ergò reduplicativè ut unita componit, quia quamvis materia unita componat, non tamen componit per formalitatem unitæ, sed per suam entitatem.

Secundò poterat argui: Dabilis est terminus, cui repugnet componere simplicem propositionem: ergò non constituitur per intentionem partis potentis componere propositionem simplicem. Prob. ant. Iste terminus ergò nunquam potest inveniri in propositione simplici, sed semper invenitur in propositione composita, in syllogismo videlicet, aut entimemate, nā cum sit nota illationis debet necessario mediare inter antecedens, & consequens: ergò dabilis est terminus, cui repugnet componere simplicem propositionem.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. ant. in propositione simplici, ut à composita separata, conc. ant. ut à composita distincta, neg. ant. & conseq. Nam terminus

prædictus modificat, & componit duas propositiones simplices, videlicet antecedens, & consequens per modum partis formalis utriusque, sed quia ille propositiones essentialiter connectuntur, & nunquam dantur nisi in toto syllogismo, vel entimemate, propterea non componit simplicem propositionem, ut à composita separata: componit tamen illam, ut in composita existentem, & ab illa distinctam; siquidem modificat antecedens, ut à consequenti diversum, & à toto syllogismo, & ad rationem termini satis est componere simplicem propositionem ut in toto existentem, & ab omni alio distinctam.

Tertiò poterat argui: Si terminus constituitur per relationem partis, prædicta relatio erit prædicamentalis; cum relatio termini in ordine ad propositionem sit relatio mensurabilis; sed si prædicta relatio prædicamentalis est, nequit esse differentia termini constitutiva: ergò Prob. min. differentia termini constitutiva convenit termino extrapropositionem; sed termino extra non competit prædicamentalis relatio: ergò minor veræ est. Prob. min. Relatio secundum esse requirit sui termini existentiam: ergò si prædicta relatio prædicamentalis est, non convenit termino extra; nam dum terminus extra est, propositio non existit, cum propositio exterminis existentibus in ipsa, necessario componatur.

Vera solutio est differentiam termini constitutivam esse relationem transcendentalem, per quam terminus ad propositionem, ut ad terminum specificantem, & ut finem ordinatur.

Sed admissio relationem termini constitutivam esse predicamentalem, vel secundum esse. Respond. facile posse relationem predictam termino extra propositionem competere, quia relatio secundum esse non realis, sed rationis non requirit existentiam in termino, & ita illa relatio non requirit propositionem existere, nec terminus esse intra illam; sicut ad scientiam consequitur relatio predicamentalis ad scitum, in doctrina D. Th. & tamen quando scientia est de scito non existenti, nec realiter, nec per rationem, sed pure extrinsece cognitum denominatur, relatio predicta scientiae terminum existentem non habet.

Quarto poterat argui: Aptitudo ad componendum satis non est, ut aliqua vox rationem termini habeat: ergo terminus constitui non potest per intentionem partis potentis componere simplicem propositionem. Prob. ant. primo: Aptitudo ad componendum non sufficit, ut alicui voci conveniant termini proprietates videlicet, suppositio, & appellatio, ampliatio, & restrictio, quae quidem solum conveniunt termino, prout actualiter intra propositionem existit, ergo nec sufficit aptitudo prae-

dicta, ut aliqua vox rationem termini habeat.

Secundo prob. ant. Aptitudo ad componendum per modum subiecti, & praedicati, non sufficit ut aliqua vox habeat defacto rationem subiecti, vel rationem praedicati: ergo etiam aptitudo ad componendum per modum partis satis non erit, ut vox aliqua rationem termini habeat.

Resp. neg. ant. & ad prob. coc. ant. neg. conseq. Quia proprietates in argumento relatae non conveniunt termino, nisi quatenus intra propositionem existit. Nec novum est aliquas proprietates convenire rebus, non quidem in omni statu, sed solum in statu determinato; sicut motus est proprietas lapidis extra centrum existentis, non tamen dum existit in centro, in quo connaturaliter existit quiete, & visibilitas non convenit animae rationali in statu separationis, sed solum dum est corpori coniuncta.

Ad secund. probat. ant. neg. conseq. Quia ratio termini non consistit in exercitio, sicut ratio subiecti, & praedicati, quae sine exercitio salvari non valet. Ratio autem ea est; quia ratio subiecti, & praedicati consequitur ex diverso modo actualiter componendi propositionem, si enim componit, ut id de qua, induit rationem subiecti, si vero ut id quod de alio dicitur, rationem praedicati subinduit, & ideo intentiones praedictae in exercitio consistunt ratio vero termini, est ratio partis

&

& ratio partis in aptitudine ad componendum consistit; sicut essentia materiae, & formae non consistit in compositione actuali, sed in aptitudine ad totum substantiale componendum. Quod maxime patet in anima rationali, quae sine compositione, & a materia separata invenitur.

Et si dicas: Quod si solutio vera est, lapides qui sunt in monte erunt vere partes domus, quia domum componere possunt, & lapis magnus erit vere terminus agri, siquidem agrum terminare potest, quod tamen ita non est. Ergo ratio partis, & termini in sola aptitudine ad componendum salvari non potest.

Respond. ad rationem veram partis alicuius totius non sufficere potentiam remotam ad componendum totum, sed potentiam proximam requiri, quae consistit in aliqua institutione, vel deputatione ad totum aliquod componendum, qualem non habeat lapides in monte existentes, nec quilibet lapis, qui potest terminare agrum, eo quod lapides praedicti non dum determinati sunt ad domum componendam, nec lapis magnus ad agrum terminandum, unde tantum sunt partes remotae, & potentia remota gaudent: Terminus vero est institutus ad componendum simplicem propositionem, & ad hunc finem ordinatur ab arte, & ita est actu, & proxime pars; sicut miles

deputatus, & ordinatus ad exercitum componendum est proxima pars exercitus, non tamen quilibet homo, non dum deputatus admilitare exercitum.

Quinto arguitur: Repugnante naturaliter propositione adhuc perseverat terminus. Ergo non constituitur per ordinem ad ipsam propositionem, alias illa naturaliter repugnante, terminus naturaliter non maneret. Prob. ant. Repugnante naturaliter propositione adhuc daretur vera pars propositionis. Ergo adhuc terminus perseverat; nam terminus, & pars propositionis, pro eodem supponunt. Prob. ant. Facta separatione animae rationalis a corpore, adhuc anima rationalis est vera hominis pars, & ad totum naturaliter inclinatur; & tamen totum naturaliter impossibile est, cum reunio animae ad corpus, sit naturaliter impossibile. Ergo etiam repugnante naturaliter propositione dabitur vera pars propositionis.

Confirm. & vrgetur: Quamvis repugnaret essentialiter propositio, maneret terminus dialectice consideratus. Ergo non potest constitui per intentionem partis per se ordinatae ad propositionem simplicem componendam. Prob. ant. Quamvis propositio essentialiter repugnaret, maneret oratio imperfecta; siquidem oratio imperfecta non per se ad propositionem ordinatur,

eo

eo quod vnum totum non potest per se ad alterum ordinari, nec per ordinem ad aliud totum constitui. Ergo quamvis propositio essentialiter repugnaret, adhuc terminus maneret; quia oratio etiam imperfecta ex terminis dialecticis componitur; cum intra lineam dialecticam si verè totum.

Respond. ad argum. neg. antec. Quia institutio artis non est ad actum naturaliter repugnantem, & ideo cum componere propositionem sit exercitium termini, inde est quod si propositio naturaliter repugnaret, terminus non esset per se institutus ab arte ad illam componendam, & consequenter terminus non maneret. Ad probat. verò negatur similiter antecedens, & ad eius probat. dist. min. naturaliter ex suppositione: conc. min. absolute: neg. min. Quia totus homo absolute loquendo, est possibilis naturaliter, & solum ex suppositione animæ rationalis, manet naturaliter impossibilis, quod non tollit animam rationalem esse verè partem, quia ex prima productione naturaliter instituta est, & per se ordinata ad totum possibile naturaliter, & propterea modo separatam manere solum arguit non esse expeditam ad componendum, non tamen, non esse veram partem illius.

Ad confirm. respond. dist. antec. propositio secundum ra-

tionem particularem: conc. ant. secundum rationem communem totius dialectici: neg. ant. & consequ. Quia terminus non constituitur per ordinem ad propositionem secundum rationem particularem, qua ab oratione imperfecta distinguitur, sed secundum rationem communem totius dialectici, repertam in propositione, & oratione imperfecta, & ideo quamvis propositio secundum rationem particularem repugnaret, adhuc terminus maneret, quia oratio imperfecta adhuc perseveraret.

Sed in tabis: Ratio totius dialectici æquè primò reperitur in propositione, oratione, & syllogismo; nam univocè de his omnibus prædicatur; sed terminus constituitur per ordinem ad propositionem, secundum rationem communem totius dialectici. Ergo æquè primò respicit ipsam, & respicit syllogismum, & per ordinem ad trumq̄ constituendus est, quod concedere non debemus.

Resp. dist. min. Totius dialectici compositi ex simplicibus: conc. min. absolute constituti: neg. min. Quia terminus est primum elementum in linea dialectica, & ita solum respicit per se primò primū compositum intra talē lineam, quod quidem est compositum ex simplicibus: Ratio autem totius dialectici compositi ex simplicibus, solum in propositione, & oratione invenitur, non tamen in syllogismo.

Et si

Et si dicas: Ergo terminus constituitur per ordinem ad propositionem, secundum rationem communem totius dialectici, sibi saltem, & orationi communem: ergo differentia termini constitutiva, explicanda non est per ordinem ad propositionem, sed per ordinem ad ipsam, & ad orationem simul.

Negatur secunda consequ. Quia quamvis terminus constituitur per ordinem ad propositionem, secundum rationem ipsi, & orationi communem, terminus tamen magis notus, & principalior est propositio. Et ita differentia termini constitutiva satis bene per ordinem ad ipsam propositionem, ut ad terminum principalem magis notum explicatur. Cuius plura sunt in Metaphysica exempla.

Sextò arguitur: Posse componere propositionem, convenit accidentaliter termino: ergo terminus per secundam intentionem potentis componere constitutus non est; nam differentia termini constitutiva, non potest termino accidentaliter convenire. Ant. verò probat. actualis compositio convenit accidentaliter termino: ergo potentia ad componendum, accidentaliter convenit illi. Prob. consequ. Actus, & potentia debent esse in eodem genere: ergo si compositio actualis convenit accidentaliter, etiam potestas ad componendum, acci-

dentaliter convenit.

Respondent aliqui: Potentiam proximam componendi, accidentaliter termino convenire, potentiam tamen radicalem, & exigentiam potentia proximæ convenire essentialiter termino, & hanc solam secundam potentiam esse differentiam termini constitutivam.

Hæc tamen solutio rejicitur primò: Quia si sola potentia radicalis ad propositionem componendam, esset differentia termini constitutiva, iam quidem essentialis differentia termini non esset intentio partis: ergo solutio tradita nulla est. Prob. ant. Pars formaliter, ut talis, essentialiter importat potentiam proximam ad compositionem totius, nam quia materia essentialiter est pars per se ordinata ad totum substantiale componendum, essentialiter etiam est potentia proxima ad ipsum actualiter componendum: ergo si differentia termini constitutiva esset sola potentia radicalis, essentialis differentia termini non esset intentio partis.

Secundò rejicitur: Potentia radicalis ad propositionem componendam, non est de linea dialectica formaliter: ergo non potest esse termini differentia; nam hæc ad lineam dialecticam debet formaliter pertinere. Probat. ant. Potentia radicalis ad componendam propositionem habetur per particularem significationem vo-

cis;

cis; sed particularis significatio non est de linea dialectica formaliter, sed ad dialecticam Grammaticam, & Rethoricam communis: ergò prædicta radicalis potentia de linea dialectica non est.

Tertiò radicalis potentia est differentia propria signi; siquidem signum parziale radicaliter aptum est ad propositionem componendam, eo quod est capax recipiendi immediatè ipsam intentionem partis: ergò nequit esse prædicta potentia essentialis differentia termini; nam signum, & terminus habere debent distinctas essentialis differentias.

Quartò rejicitur: Lapis constitutus in monte, non dicitur domus pars, quamvis habeat potentiam radicalem ad componendam domum, nec homo ad militiam non dum deputatus, dicitur exercitus pars, quamvis habeat potentiam radicalem ad exercitum componendum; sed terminus est verè pars, & talis absolutè appellatur in ordine ad propositionem, ut totum: ergò non potentia radicali, sed proxima potentia constituitur in ordine ad illam. Et ideo tali solutione de relicta.

Respond. aliter neg. ant. & ad probat. neg. conseq. Cuius probat. dist. in eodem genere entitativo, & materiali, conc. ant. in eodem genere prædicabili, nego ant. & conseq. Nam quamvis po-

tentia, & actus debeant esse in eodem genere entitativo, & materiali, id est, vel utrumque accidens, vel utrumque substantia, vel utrumque ens reale, vel utrumque ens rationis; non tamen debent esse in eodem genere prædicabili, sed potest actus advenire accidentaliter, & potentia proxima essentialiter convenire. Instantia habetur in intellectu nostro, & in nostra voluntate, quibus esse principium proximum, vel potentia proxima intelligendi convenit essentialiter, & tamen intelligere, & amare accidentaliter tantum conveniunt.

Sed instabis: Potentia proxima ad componendum necessario debet accidentaliter convenire: ergò differentia essentialis non est. Prob. ant. primò: In agente substantiali quando actus accidentaliter convenit, etiam potentia proxima accidentaliter convenit: ergò si terminus actus componendi convenit accidentaliter, etiam potentia proxima debet accidentaliter convenire. Prob. conseq. Nam ideo in agente substantiali verum est, quia potentia proxima per se ordinatur ad actum; sed etiam in omni alio hoc verum est: ergò.

Secundò prob. ant. Potentia proxima ad componendum non convenit termino extra propositionem constituto: ergò necessario debet accidentaliter termino convenire; quia si essentialiter com-

com-

competeret, in omni statu termino convenire. Prob. ant. Terminus extra propositionem non potest proximè componere propositionem, quia compositio extra propositionem non datur: ergò potentia proxima ad componendum non convenit termino extra propositionem constituto.

Resp. ad replicam dist. mai. Ultimam, *ly quia* dicente causam requisitam, vel necessariam, conc. maior. causam sufficientem, neg. mai. & concessa minor. neg. conseq. Quia non ideo præcisè illud in agente substantiali contingit, quia potentia proxima per se ordinatur ad actum, sed in super quia in agente substantiali principium radicale est substantia, & ideo si potentia proxima est accidens, debet subiecto accidentaliter convenire, eo quod nullum accidens potest essentialiter convenire substantiæ.

Ad secundam probat. ant. eiusdem replicæ, neg. ant. & ad probat. dist. ant. si *ly extra* determinat actum, conc. ant. si determinat potètiã, neg. ant. & conseq. Quia licet terminus non possit exercere actum componendi extra ipsam propositionem, potentia tamen ad talem actum, extra propositionem convenit illi; sicut homo non potest exercere actum equitandi sine equo, potentia tamen ad equitandum, antequàm habeat equum convenit illi. Alijs terminis poteramus di-

tere, terminum extra propositionem, non posse componere in sensu composito cum existentia ad extra, benè tamen absolutè, & in sensu diviso.

Sed instabis: Actus componendi exerceri non potest extra ipsam propositionem: ergò hæc propositio est impossibilis: *Terminus extra propositionem componit*: ergò etiam hæc: *Terminus extra propositionem potest componere*. Nam hæc ultima est propositio modalis, & regulatur per suam de in esse, quæ quidem est prima propositio, ac proinde si propositio de in esse est impossibilis, etiam modalis impossibilis erit.

Respondebis propositionem de in esse supradictæ modalis, non esse illam: *Terminus extra propositionem componit*, sed alteram: *Terminus componit propositionem*, quæ semper, & in omni statu vera est.

Sed contra est: Quia in propositione de in esse solum auferitur modus propositionis modalis; sed *ly extra* non est modus propositionis modalis: ergò non debet auferri, vnde.

Respond. aliter: Propositionem de in esse, esse illam: *Terminus extra propositionem componit*, quæ quamvis sit impossibilis, minime infert modalem impossibilem esse, eo quod modalis divisa non regulatur per suam de in esse immediatam, nec à modali ad ipsam valet benè consequentia; si quidem à potentia ad actum be-

na consequentia non est; sicut non valet: *Homo sine equo potest equitare: ergo sine equo equitat.* Et item: *Homo sine concursu prævio potest operari: ergo sine concursu prævio operatur.* Proptereaque modalis nostra supra relata resolvenda est per duplicem exponentem, ut si, designato termino, dicas: hoc extra propositionem est terminus, & extra propositionem potest componere: ergo terminus extra propositionem componere potest, in quibus à modali ad exponentes, & e contra valet benè conseq.

Septimò arguitur: Ratio partis non convenit omni termino: ergo non est differentia termini constitutiva. Prob. ant. primò: Copula verbalis est verè terminus, & tamen ratio partis non convenit illi: ergo ratio partis non convenit omni termino. Probat. min. Ideò modus unionis inter materiam, & formam, in sententia illum statuente, non habet rationem partis, quia est nexus, & unio partium; sed copula verbalis est nexus, & unio prædicati cum subiecto: ergo ratio partis non convenit illi.

Secundò prob. ant. princip. termino mentali non convenit ratio partis: ergo idem quod priùs. Prob. ant. Terminus mentalis non potest componere propositionem mentalem, nam in sententia probabili propositio mentalis est simplex, & non composita qualitas: ergo termino

mentali non convenit ratio partis.

Confirm. & vrget. arg. Ex eo quod intentio partis superflua est ad constituendum terminum, quia significatio partialis est differentia termini constitutiva; sed illa convenit termino priùs quàm intentio partis: ergo ratio partis ad terminum constituendum superflua est. Probat. mai. primò: Quia significatio est forma termini, ut communiter dialectici dicunt: ergo est differentia termini constitutiva.

Secundò prob. mai. Significatio est differentia distinctiva termini ab alijs: ergo est differentia termini constitutiva. Ant. probari poterat. Ex eo quod per significationem partialem distinguitur terminus ab ipsa propositione, & à voce non significante, quatenus propositio est signum totale, & non partiale in ordine ad obiectum enuntiatum.

Efficaciùs tamen probatur ant. Quia terminus cathegorematicus, & sincathegorematicus essentialitèr distinguuntur in probabili sententia; & tamen sola significatione differunt: ergo significatio est differentia distinctiva termini ab alijs. Prob. minor. Prædicti termini non distinguuntur in ordine ad propositionem, quam componere possunt: ergo sola significatione differunt. Prob. ant. Propositio composita per utrumque non est distincta for-

ma-

maliter: ergo prædicti termini non differunt in ordine ad propositionem, quam componere possunt. Prob. ant. Sequentes propositiones: *Homo currit, homo velociter currit,* non differunt essentialitèr; siquidem utraque est propositio indefinita; sed una constat ex termino Sincathegorematico, & altera non: ergo propositio composita per utrumque non est distincta formalitèr.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad probat. neg. min. & ad eius probat. dist. mai. nexus, & unio pura, conc. mai. unio dans esse, neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia modus unionis inter materiam, & formam est pura conditio, ut partes copulentur, & pura partium modificatio, non tamen dat aliquid esse compositio; nam esse totius solum provenit à materia, & forma, proptereaque talis unio non est verè pars: Cæterum copula inter subiectum, & prædicatum specialem habet significationem, & per illam constituitur propositio in ratione totius enuntiativi, & ita dat esse propositioni per modum formæ principalis, & totalis, consequenterq̄ est verè pars; sicut in toto integrali, nervi, venæ, & aliæ particule connectunt cæteras partes, & tamen sunt partes ratione sui, quia dant esse aliquid integrale, & eodem modo terminus Sincathegorematicus modificat terminum Cathegorematicum, ve-

rùm quia etiam dat aliquid esse, propterea est verè pars.

Ad secundam probat. ant. princ. negatur ant. & ad probat. dist. ant. formalitèr, conc. ant. eminenter, neg. ant. & dist. conc. partis formalitèr, conc. conseq. eminenter, neg. conseq. Nam idem conceptus, in quo consistit propositio mentalis, prout attingit hominem, v.g. est subiectum, & ut attingit animal, est prædicatum, & ut repræsentat copulam, est unio, & ita eminenter compositus est, constatque ex pluribus conceptibus componentibus eminenter, illis videlicet, quos eminenter continet, aut quibus eminenter æquivalet.

Et si dicas: Quod si solutio vera est, termini mentales in prima operatione existentes, non habebunt rationem partis, & termini; quia tales conceptus, nec formalitèr, nec eminenter componunt.

Resp. facile, quod non componunt eminenter per se, componunt tamen eminenter per conceptum secundæ operationis, in quo quidem eminenter continentur, & ad quem per se, & ex propria natura disponunt.

Et si iterum dicas: Iuxta datam doctrinam sufficere ad rationem termini esse partem eminenter, & non requiri esse formalitèr partem; sed secunda intentio partis solum convenit parti formalitèr: ergo non omni ter-

mino

mino convenire debet secunda partis intentio.

Respond. dist. min. Secunda intentio partis formaliter, conc. min. partis eminenter, neg. min. & in praedicta sententia intentio constitutiva termini abstrahit ab intentione partis formaliter, aut partis eminenter.

Ad confirm. principalis argumenti, neg. mai. & ad prim. probat. Dicitur significationem esse formam termini in ratione signi pro formali, requisitam ex parte substrati, non tamen esse formam in ratione termini, & in hoc sensu dialecticos loqui.

Ad secundam probat. neg. ant. Et ad illud, quo probari poterat, dicimus per significationem partialem distingui terminum in ratione signi, à propositione, vel à signo totali, sed non in ratione termini; sicut ipsa etiam propositio in ratione totius dialectici non constituitur per significationem, sed per conceptum formalem enuntiationis, ad quam significatio supponitur, & eodem modo terminum per significationem praesuppositivè, & non ultimò distingui à voce non significante, non tamen completè, & ultimò; sicut homo etiam per esse animal non ultimò à lapide differt, non tamen ultimè, & completè.

Ad alteram prob. neg. min. & ad probat. neg. ant. & ad eius

prob. dist. ant. in se ipsa, aut vna in ordine ad aliam, conc. ant. in ratione termini, nego ant. & consequ. Quia licet praedictae propositiones, inter se solum materialiter differant, in ratione tamen terminandi habitudinem utriusque termini formaliter distinguuntur; sicut idem terminus quatenus terminat relationem similitudinis, formaliter distinctus est à se ipso, ut relationem dissimilitudinis terminante.

Sed instabis: Si termini componententes sunt formaliter inter se distincti, etiam propositiones compositae erunt inter se diversae; nam quando partes sunt distinctae, etiam toto distinguuntur; sicut homo, & equus essentialiter differunt, quia includunt partes essentialiter distinctas; sed propositiones praedictae non distinguuntur formaliter inter se: ergo terminus Cathegorematicus, & Syncathegorematicus, inter se nullam distinctionem habebunt.

Respond. Quod tota non distinguuntur penes partes materiales, sed penes partes formales, & maximè in rebus artificialibus, & cum in utraque propositione copula sit pars formalis, & eiusdem speciei, inde fit praedictas propositiones inter se solum esse materialiter distinctas: Sicut homo curvus, & homo rectus, non differunt essentialiter inter se, quia conveniunt in forma, quam-

vis

vis habeant partes materialiter distinctas, ex quo tamen non infertur praedictas propositiones non esse distinctas formaliter in ratione terminandi.

Si autem, unde proveniat distinctio in ratione terminandi, nobis inquiras? Respondemus, radicaliter, & fundamentaliter, provenire à significatione diversa, eo quod propositio composita ex termino cathegorematico aliter, quam altera significat; formaliter tamen provenire diversitatem ex diverso modo terminandi respectum partis, per se solam componentis, & respectum alterius partis componentis per modum modi, & non per se sine adminiculo alterius: Sicut in termino motus recti, & obliqui provenit distinctio radicaliter à fundamento, sed formaliter à ratione terminandi.

§. IV.

Ultimum argumentum solvitur.

TANDEM arguitur: Vna propositio potest componere aliam; sicut haec propositio: *Homo est animal*, componit alteram: *Homo est animal, est vera propositio*: ergo ratio partis per se non est differentia termini constitutiva, aliàs componere propositionem non posset convenire propositioni: siquidem differentia essentialis rei, nequit alijs convenire,

Mag. Proylan.

Respond. tamen: Vnam propositionem posse componere aliam, materialiter, non tamen formaliter: Unde licet propositio componat, ut constat ex argumento, non tamen componit, ut propositio formaliter, sed quatenus sub induit rationem termini, & ideò solum, ut terminus componit formaliter, & cum differentia termini sit ratio partis formaliter componentis, aut compositivae; inde est non convenire propositioni essentialem termini differentiam.

Sed instabis: In propositione supradicta, subiectum componit, ut propositio formaliter: ergo solutio tradita nulla est. Prob. ant. Praedictum in praedicta propositione; verè dicitur de subiecto; sed praedictum est *ly propositio vera*: ergo subiectum est formaliter propositio, aliàs praedictum non verè conveniret, nec verè de subiecto diceretur.

Respond. ad replicam nego ant. & ad probat. dist. mai. de subiecto materialiter accepto, aut ex parte rationis *que*, conc. mai. de subiecto formaliter, vel ex parte rationis *sub qua*, neg. mai. & concessa minori, neg. consequ. Quia in praedicta propositione affirmatur praedictum de subiecto, pro substrato, vel materialiter sumpto, & ita verè dicitur de subiecto pro substrato, quia subiectum pro substrato, est vera propositio: Non tamen affirmatur

So

pra-

prædicatum de subiecto sumpto formaliter, pro intentione termini, sub qua compositionem ingreditur; sicut etiam in hac: *Homo est animal*, prædicatum non dicitur de subiecto, ut subiecto formaliter, sed solum dicitur de eo quod est subiectum.

Et si iterum dicas: Quod hæc propositio: *Homo est animal*, componit etiam alteram: *Homo est animal est propositio formaliter*: ergo esse propositionem formaliter, verè dicitur de subiecto: consequenterque subiectum erit formaliter propositio.

Respond. distin. conseq. de subiecto in se, & pro substrato, conc. conseq. de illo formaliter, ut componente, neg. conseq. Quia prædicatum dicitur de subiecto in se ipso considerato, quod quidem est formaliter propositio. Unde idem est ac si diceres: *Homo est animal in se, & ex se, est formaliter propositio*, quod utique verum est.

Secundo ad argum. principale respond. dist. ant. potest componere per accidens, conc. ant. per se, neg. ant. & conseq. Quia propositio est totum per se, & in sua linea ultimatum, & completum; & ita non per se, sed solum per accidens ordinari potest ad alterum componendum.

Inde etiam habes, differentiam termini esse, posse componere per modum partis per se, non tamen posse absolute componere, & cum componere per mo-

dum partis per se ad compositionem ordinatæ, nunquam propositioni conveniat; inde fit differentiam essentialem termini, eo modo, quo differentia est, nec per accidens posse cæteris convenire, quod semper debet esse verum, quia essentia vnusrei, etiã per accidens alijs rebus convenire non potest.

Sed instabis primò: Vna propositio componit aliam per se: ergo nulla est data solutio. Prob. ant. Vna propositio induit intentionem termini dum alteram propositionem componit; sed omnis terminus componit per modum partis per se, aliàs aliquis terminus essentiam termini non haberet: ergo vna propositio componit aliam per se.

Secundò ab opposito instabis: Etiam terminus non componit propositionem per modum partis per se ad illam ordinatæ: ergo idem de termino, & propositione dicendum. Prob. ant. Vna species essentialiter ab alia distincta non ordinatur ad aliam per se; sed terminus est species essentialiter à propositione distincta; ergo non componit propositionem per modum partis per se ad illam ordinatæ.

Tertiò instabis: Intentio partis convenit accidentaliter termino: ergo terminus, & propositio eodem modo ad propositionem componendam ordinantur. Probat. ant. Ideò intentio partis accidentalis est respectu propositionis,

tionis, quia convenit illi mediante actione intellectus; sed etiam termino convenit per actionem intellectus. Ergo convenit accidentaliter termino.

Quartò instabis: Ratio totius non obest, ut vna propositio possit per se ad alteram ordinari. Ergo vna propositio potest per se alteram propositionem componere. Prob. ant. primò: Terminus est verè totum compositum ex voce, & significatione; & tamen per se ordinatur ad propositionem componendam: Ergo ratio totius non obstat, ut vna propositio possit per se alteram ordinari.

Secundò prob. antec. Oratio imperfecta est totum; & tamen per se ordinatur ad perfectam, nam omne imperfectum per se ordinatur ad perfectum. Ergo idem.

Tertiò prob. ant. Materia est verè totum in sententia probabiliter afferente substantiam materialem habere partes realiter distinctas priori ad quantitatem; & tamen materia per se ordinatur ad totum substantiale componendum. Ergo idem.

Quartò prob. ant. Terminus complexus est verè totum compositum ex partibus significativis; & tamen per se ordinatur ad propositionem componendam. Ergo idem.

Quintò prob. ant. Propositio categorica est verè totum; & tamen per se ordinatur ad syllogismum componendum. Ergo

idem. Prob. min. Syllogismus exigit partes per se; siquidem est totum per se, & totum per se exigit partes per se; sed partes proximæ syllogismi sunt propositiones categoricæ. Ergo propositio categorica per se ordinatur ad syllogismum componendum.

Resp. ad primam replicam. Neg. ant. & ad probat. disting. mai. induit per accidens: conc. mai. induit per se: nego mai. & conseq. min. neg. conseq. Quia quamvis omnis terminus per se propositionem componat, quod tamen propositioni conveniat intentio termini, per accidens est respectu propositionis, eo quod propositio est totum intra lineam dialecticam, & i. led. accidentaliter, & per reflexionem intellectus tribuitur illi quæcumque altera intentio, quam tamen intentionem non petit positivè propositio, ut sit intra lineam dialecticam debite constituta, & in hoc sensu dicitur propositionem non componere per se, quia quamvis ex suppositione quod habeat intentionem termini, per se componat, talis tamen intentio accidit propositioni. Sicut homini, qui est albus accidentaliter convenit disgregare visum, quia licet illi, ut albo essentialiter conveniat, accidit tamen illi quod sit albus, & ideò accidentaliter illi convenit disgregare.

Ad secundam replicam: nego ant. & ad prob. dist. maior.

per modum partis metaphysicæ alterius, conc. mai. per modum partis physicæ, neg. mai. Quia quavis terminus sit completè constitutus in linea metaphysica, est tamen in linea physica primum elementum, & verè physicè pars, & idè bene potest per se ordinari ad propositionem physicè componendam.

Ad tertiam replic. neg. ant. & ad probat. nego causalem maioris, sed causa ea est, quod propositio supponitur adèquatè constituta intra lineam dialecticam ante intentionem partis, & idè talis intentio convenit accidentaliter propositioni; sed ante intentionem prædictam partis, non supponitur terminus in linea dialectica, sed potius per illam constituitur primò intra talè lineam, & propterea respectu termini, ut ad dialecticam pertinentis, est prima, & essentialis differentia, quavis substrato termini conveniat accidentaliter absolutè.

Et quidem si replica convinceret, non daretur aliquod instrumentum logicale essentialiter constitutum intentione logica, siquidem omnis intentio rationis convenit per actionem intellectus.

Ad 4. instantiam, neg. ant. & ad probat. Dicitur compositionem, & totalitatem termini ex voce, & significatione, esse in linea grammatica, vel politica, intra lineam verò dialecticam esse

terminum partem simplicem, & primum elementum, ex quo cætera componuntur; & ita mirum non est per se ad propositionem componendam ordinari.

Ad secundam prob. eiusdem antecedentis, neg. min. Quia oratio imperfecta solū per accidens ordinatur ad perfectam; nam quamvis oratio imperfecta sit, est per se totum, & idè nequit esse per se pars; sicut homo est imperfectior universo, & tamè non ordinatur per modum partis per se ad universum componendum.

Poterat etiam, & verè responderi, orationem imperfectam ordinari per se ad perfectam per modum perfectibilis, vel sicut perfectibile ad perfectionem, vel ut incompletum ad completum, non tamen per modum partis per se; sicut albedo remissa per modum perfectibilis, & mediè ordinatur per se ad albedinè intensam, non tamen per modum partis per se.

Ad 3. probat. respond. Materiam esse totum integrale compositum ex partibus integraliter distinctis, sed in linea formali non esse totum; nam primum totum formale, ex materia, & forma resultat, & idè potest per se ordinari ad totum formale substantiale per modum partis per se; sicut defacto ordinatur, & in ea omnes partes integrales conveniunt in ratione puræ potentiae per se respicientis primum actum, cum

etiam quo facit primam compositionem formalem.

A 4. responderetur dist. mai. totum in ratione signi, conc. mai. in ratione termini, neg. mai. Quia omnes partes significativæ termini complexi, quarum quælibet est signum, subordinantur eidem intentioni partis per se ordinabilis ad propositionem componendam. Quod utique dicimus de termino complexo, quatenus terminus est, non tamen de illo quatenus habet intentionem, & formalitatem orationis imperfectæ.

Sed instabis: Quod terminus complexus intra lineam dialecticam complexus est; nam divisio termini in complexum, & incomplexum pertinet ad dialecticam: ergò terminus complexus, nedum in ratione signi, sed etiam in ratione termini est verè totum.

Respond. tamen facile: Complexionem, & incomplexionem termini esse tantum de linea dialectica fundamentaliter, & præsuppositivè, non tamen formaliter, & ita divisionem termini in complexum, & incomplexum esse purè accidentalem, & per extraneas differentias; sicut divisio hominis in album, & nigrum, quæ sunt differentie extra lineam hominis existentes.

Ad 5. & ultimam prob. neg. min. Nam propositio categorica est verè totum in linea diale-

ctica, & ita non potest per modum partis per se ad aliud totum dialecticum ordinari. Et ad probat. dist. maior. exigit partes per se, perfectate ordinationis, conc. mai. perfectate ordinis, nego mai. Quia ex quo syllogismus sit totum per se, solū habetur quod exigit partes per se, perfectate ordinationis, idè quod exigit partes, quæ per se disponantur, & ordinentur intra ipsum syllogismum artificiosa dispositione, ratione cuius non sit syllogismus totum per accidens, vel aggregatum ex partibus nullum habentibus ordinem inter se; non tamen habetur indè quod exigit partes, quæ per se ordinentur ad ipsum, & quarum esse consistat in ordine ad syllogismum componendum, ad differentiam propositionis categoricæ, quæ per se petit ex simplicibus componi, & propterea petit partes per se ordinatas ad illam.

Sed instabis: Sicut prima operatio ordinatur ad secundam, ita secunda ordinatur ad tertiam; sed prima operatio per se ordinatur ad secundam: ergò secunda per se ordinatur ad tertiam, & consequenter propositio per se ad syllogismum ordinatur.

Instabis secundò: Materia proxima alicuius totius per se ad illud ordinatur; sed propositio est materia proxima syllogismi: ergò per se ad syllogismum componendum ordinatur.

Respond. ad primam, dist. mai. ly *sicut* parificante in substantia ordinis, conc. mai. in ordine substantiæ, vel in modo ordinis, neg. mai. Quia licet conveniant in eo, quod prima ad secundam, & secunda ordinatur ad tertiam, differunt tamen in eo quod secunda non per se, sed solum ex dispositione artis dialecticæ ordinatur ad tertiam, prima verò per se proximè, & ex natura sua ordinatur ad secundam.

Ad secundam replicam dist. maior. materia proxima, quæ per se, & ex propria natura talis est, conc. mai. quæ talis est ab extrinseco ex dispositione artis, nego mai. & sub eadem dist. min. nego conseq. Quia propositio per se, & ex natura sua est vere totum dialecticum, & ita ex natura sua, & per se non est materia proxima alterius in linea dialectica, sed solum materia est ab extrinseco ex dispositione artis determinantis conficere syllogismum, & propositiones ad hoc munus in syllogismo ordinare. Instantia est in toto substantiali, quod est proxima materia, vel subiectum proximum receptivum accidentium, & tamen non per se, & essentialiter ad accidentia recipienda ordinatur.

Secundò ad eandem primam instantiam resp. dist. conseq. per se secundò, & remotè, conc. conseq. per se primò, & proximè, neg. conseq. Quia propositio, quæ

est obiectum secundæ operationis, ex natura sua est capax, ut sit materia proxima syllogismi, eo quod est totum enuntiativum, in quo potest aliquid subijci, vel predicari, & ideò remotè, vel per se secundò ordinatur ad syllogismum componendum.

Et si dicas: Ergò propositio radicaliter, & remotè ad syllogismum componendum ordinatur, & consequenter constituitur per ordinem radicalem, aut intentionem partis radicalis ad syllogismum componendum.

Conc. conseq. Quia intentio partis proximæ, vel materiæ proximæ syllogismi radicaliter accepta, nil aliud est quam ratio totius enuntiativi, per quam propositio immediate capax est, ut sit materia in syllogismo, & ita constituere propositionem per intentionem materiæ proximæ radicaliter sumptæ, est constituere propositionem per esse totum enuntiativum, in quo cætera radicantur, quod concedimus libenter. Et hoc idem dicendum intelligatur de propositione categorica in ordine ad hypotheticam componendam.

Tertiò tandem ad quintam, & ultimam probat. respondere poteramus: Terminum per modum partis per se ad propositionem secundum rationem ipsi, & orationi communem, ordinari; nam hæc duo ex simplicibus componuntur, & ordinem prædictum

nulli

nulli alteri convenire; cum quo tamen componitur propositionem categoricam per se ordinari ad hypotheticam componendam, & ad componendum syllogismum, quia unum totum quamvis per se ordinari non possit ad aliud eiusdem ordinis, per se tamen ordinari potest ad alterum, diversi, & superioris ordinis, componendum: Undè licet categorica non possit per se ordinari ad alteram categoricam, in quo distinguitur essentialiter à termino, potest tamen ordinari per se ad hypotheticam, & ad ipsum syllogismum. Et exemplum ad est in quacunque domo, quæ non per se, sed per accidens ordinatur ad aliam, & tamen per se ad Civitatem componendam ordinatur.

§. VLTIMVS.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis in articulo discursu colligitur; voces non significantes non habere rationem termini. Cuius oppositum defendunt communiter AA. societ; sed esse falsum probat D. Th. 1. per hierem. lect. 6. per ea verba: *Oratio, & eius partes non significant naturaliter, sed debent significare ad placitum.* Ex quo habetur partes per se orationis, debere ad placitum significare, & consequenter voces non significantes ad placitum, non esse per se partes, nec

termini rationem habere.

Ratione verò probat Thomista quidam assumptum; quia voces prædictæ non sunt partes orationis: ergò non habent rationem termini. Prob. ant. Quamvis prædictæ voces repræsentent se, non tamen pro se accipiuntur: ergò non sunt partes orationis; sicut non sunt partes orationis res naturales, eo quod licet repræsentent se, non accipiuntur pro se. Prob. ant. Quia voces prædictæ non habent accipi pro se ab arte; siquidè à nulla arte imponuntur, ut accipiantur pro se; insuper etiam hoc non habent à natura, aliàs semper pro se acciperentur, & ideò non possunt esse partes propositionis; sicut in hac propositione: *Homo est animal*, vox *homo*, repræsentat se, verum quia non accipitur pro se, non est pars propositionis, quatenus se ipsam repræsentat, sed solum quatenus significat hominem, pro quo accipitur in propositione prædicta.

Confirmat doctrinam suam ex eo quod in hac propositione: *Blitiri est Blitiri*, vox *Blitiri* posita ex parte subiecti non accipitur pro se; sed eadem ratio militat in similibus vocibus: ergò pro se non accipiuntur. Prob. maiorem: Si vox *Blitiri* posita ex parte subiecti acciperetur pro se, esset falsa propositio, quia *Blitiri* positum ex parte prædicati, non est illud, quod ponitur ex parte subiecti, & consequenter extrema non acci-

ciperentur, & supponerent pro eodem: ergò supradicta vox *Blitiri* posita ex parte subiecti non accipitur pro se ipsa.

Sed hæc ratio cum sua confirmatione vera non est, & principio nittitur falso, quia voces supradictæ semper accipiuntur pro se, & hoc à natura habent: ergò principiū quod assumit ratio prædicta, verū non est. Prob. ant. primò: Voces prædictæ materialitèr supponunt, & semper: ergò semper accipiuntur pro se; siquidem suppositio materialis, est acceptio termini pro se ipso.

Secundò prob. ant. in hac propositione: *Blitiri, est Blitiri*, prædicatum, & subiectum pro eodem supponunt, & pro eodem consequenter accipiuntur: ergò accipiuntur pro se, aliàs non pro eodem acciperentur, & consequenter propositio vera non esset; siquidem prædicatum non conveniret subiecto.

Tertiò prob. ant. Si voces prædictæ non accipiuntur pro se, ut artificiosè dispositæ, non intrabunt propositionē; hoc non conceditur: ergò accipiuntur pro se. Prob. mai. si pro se non accipiuntur, pro nullo quidem accipientur, & consequenter non verificabuntur de aliquo: ergò non intrabunt propositionē. Prob. conseq. Quod intrat propositionem de aliquo verificatur; nam de aliquo verè affirmatur, & verè affirmari de aliquo, est de illo verificari:

ergò si voces prædictæ de nullo verificantur, non intrabunt propositionem.

Nec exempla, quibus utitur ratio prædicta sunt ad propositum intenti, quia res naturales propterea non accipiuntur pro se ipsis, quia accipi pro se est verificari de se ipso iuxta exigentiam copulæ; sed res naturales copula non ununtur: ergò non accipiuntur pro se. Pat. min. Copula est unio artis; sed unio artis non unit obiecta, eo quod obiecta naturali identitate, connexionē, aut naturali vinculo copulantur: ergò res naturales copula non ununtur; cuius oppositum in vocibus non significativis contingit.

Et similiter in hac propositione: *Homo est animal*, vox *homo*, ideò non accipitur pro se, quia in propositione prædicta non utimur illa voce quatenus se ipsam repræsentat, sed quatenus repræsentat hominem à voce distinctū; sed in hac *Blitiri est Blitiri*, utimur voce *Blitiri*, quatenus se repræsentat, & provt sic per copulam verbalem unitur: ergò accipitur pro se ipsa.

Confirmatio autem supra inducta, etiam nittitur in falsa maiori; quia dum dicimus: *Blitiri est Blitiri*, prædicamur vocem de voce in esse obiecti, non tamē vocē de voce materialitèr, & in esse rei, aliàs propositio esset falsa, cū prædicatū, & subiectū materialitèr, & in esse rei sint voces distinctæ

et realitèr; sed utraque vox in esse obiecti est eadem. Ergò quamvis utraque vox pro se ipsa supponat, propositio vera erit.

Dices: Ergò utraque vox accipitur pro se ipsa in esse obiecti. Ergò non supponit utraque vox materialitèr, & pro se, sed pro obiecto in quo sunt vnum. Ergò componunt formalitèr.

Respond. disting. secundum consequens. Pro obiecto à voce indistincto: nego suppositum consequentis, quod videlicet supponere pro obiecto indistincto à voce, non sit supponere materialitèr, & pro se. Pro obiecto à voce diverso: neg. conseq. Quia utraque vox supponit pro se ipsa ut obiecto, licet non pro se ipsa in esse rei, & utraque vox in esse rei distincta, est idem per modum obiecti, & eidem conceptui subordinatur, qui quidem repræsentat utramque vocem, tanquam eandem rem obiectivam, cum sola differentia prolationis ante, vel post ad propositionem faciendam. De quo satis quæst. 2. art. 1. argument. 2. ad replicam ultimam dictum est. Omissa ergo ratione prædicta, cum sua confirmatione.

Probatum breviter assumptum vera, & efficaci doctrina; quia voces non significantes non possunt per se ad propositionem componendam ordinari. Ergò termini rationem non habent; nam de ratione termini est esse primum elementum, & princi-

pium per se ad totum dialecticum ordinatum. Prob. ant. Quod non habet rationem signi partialis, non potest per se ad signum totale componendum ordinari; sed propositio est verè signum totale, & voces prædictæ non habent rationem signi. Ergò non possunt per se ad propositionem componendam ordinari. Min. cum conseq. tenet, & prob. mai. Quod non est partialitèr aliquod totum per se, & ex natura sua non potest per se, & ex natura sua ad tale totum componendum ordinari; sicut quod non est partialitèr substantia, non potest per se ad substantiam componendam ordinari, & quod non est partialitèr homo, non potest per se ordinari ad hominem componendum, & quod non est domus partialitèr, non ordinatur per modum partis ad ipsam; sed quod non habet rationem signi partialis, non est partialitèr signum totale, cum nulla pars significationis reperta in signo totali, illi conveniat. Ergò non potest per se ad signum totale componendum ordinari.

Contra Doctrinam tamen istam poterat imprimis argui: Aristotelem diffinire orationem esse: *Cuius partium, aliquid est significativum separatum*, ex quo videtur inferri aliquam partem formalem orationis posse non significare. Ergò voces non significantes possunt esse partes formales orationis, & rationem termini habere.

Con-

Confirm. eadem Doctrina: Suppositio est passio termini enuntiativi; sed voces non significantes supponunt in propositione; sicut in hac: *Blitiri est vox*, debet supponere *ly Blitiri*, aliàs propositio esset falsa, cum esset affirmativa de subiecto non supponente. Ergò voces non significantes rationem termini habent.

Respond. ad argum. Aristotelem non intendere quod aliqua pars formalis orationis possit non significare, cathegorematicè quidem, vel sincathegorematicè, sed dumtaxat intendere, quod aliqua pars formalis orationis possit non significare per se, id est cathegorematicè, quod concedimus libentè; cum etiam terminus sincathegorematicus, qui quidem non significat per se, possit componere formaliter orationem.

Ad confirm. verò respond. dist. mai. Suppositio formalis, conc. mai. materialis, nego mai. Et cum vox non significativa non supponat formaliter, sed tantum materialiter, & pro se, indè fit prædictam vocem, rationem termini non habere.

Secundò poterat argui: voces non significantes esse terminos syllogisticos: ergò etiam habent termini enuntiativi rationem; siquidem terminus syllogisticus, enuntiativum supponit. Ant. prob. A. B. C. non sunt significativa; sed Arist. per A. B. C.

suos construebat syllogismos: ergò voces non significantes sunt termini syllogistici. Undè hic est bonus syllogismus: *Omnis vox est sonus; sed Blitiri est vox: ergò est sonus.*

Resp. neg. ant. Et ad prob. dicitur litteras prædictas esse impositas ab Aristotele Principe Philosophorum tanquam ab habente auctoritatem, ad significandum maiorem, & minorem extremitatem, & prædicatum superius, & inferius, & ideò mirum non est, quod per litteras prædictas construeret syllogismos.

Ad syllogismum autem in argumento factum respondemus; voces non significantes in prædicto syllogismo esse terminos materiales, & acceptos pro se ipsis, quod sufficit ad benè concludendum, dum modo prædicti termini etiam pro se ipsis in conclusione accipiantur, secus autem si in præmissis pro se, & in conclusione acciperentur pro alio, quia tunc variaretur suppositio de materiali in formalem.

Et si dicas: Benè valet: *Est Blitiri: ergò est vox trisyllaba; sed consequens est verè terminus syllogisticus: ergò etiam antecedens; quia quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, etiam sequitur ad illius antecedens, consequenterquè Blitiri erit verè terminus syllogisticus.*

Resp. neg. conseq. Quia licet

cet illud, quod sequitur ad consequens bonæ consequentiæ primò intentionalitèr sumptum, sequatur ad antecedens, in quo sensu intelligitur regula dialecticorum; non tamen hoc est verum in eo, quod sequitur ad consequens secundò intentionalitèr sumptum, qualitèr sequitur ad vocem trisyllabam esse terminum syllogisticum. Et instantia est in consequentia quæ sequitur: *Omnis homo currit: ergò aliquis homo currit; sed consequens est propositio particularis: ergò, & antecedens; quia esse propositionem particularem, & subalternatam, sequitur ad consequens quatenus induit novam intentionem antecedenti repugnantem; sicut etiam ad consequens sequitur esse propositionem contradictoriam alterius: *Nullus homo incurrit*, cum qua tamen antecedens non contradictoriè, sed contrariè tantum opponitur.*

Poterat etiam responderi: regulam intelligendam esse quando quod sequitur ad consequens est prædicatum consequenti, & antecedenti commune. Aut regulam esse intelligendam de eo, quod sequitur ad consequens, quatenus ex antecedenti reduplicativè infertur, & esse terminum syllogisticum sequitur ad vocem trisyllabam secundum se, & absolute, non tamen ad illam, ut illatam ex antecedenti prædicto.

Tertiò arguitur: *Blitiri* representat aliud à se: ergò quamvis non significet, potest accipi pro alio, & rationem termini habere. Prob. ant. *Blitiri* representat conceptum; siquidem audita hac voce *Blitiri*, cognoscimus proferentem prius mente conceptisse talem vocem; nam sine conceptu non poterat litteras ordinare: ergò representat aliud à se.

Respond. dist. ant. Representat naturalitèr, directè, & illativè, conc. ant. substituendo pro eo, nego ant. Quia *Blitiri* non representat conceptum ex aliqua impositione, sicut voces significantes ex vi eiusdem impositionis representant rem, & conceptum, sed conceptum immediatè, & rem mediatè, quamvis principalitèr rem representent: *Blitiri* verò representat naturalitèr conceptum; sicut fumus representat naturalitèr ignem, eo quod vox est sonus ab animali cum apprehensione prolatus, & ab ea tanquam à causa dependet, & ideò naturalitèr representat illam; sicut quilibet effectus suam causam.

Sed instabis primò: *Blitiri* substituit, & accipitur pro alijs à se distinctis: ergò potest pro alio substituere, & rationem termini habere. Prob. ant. In hac propositione: *Blitiri, est Blitiri*, vox *Blitiri* posita ex parte subiecti substituit, & accipitur pro illa, quæ po-

ponitur ex parte prædicati, alias non acciperentur, & supponerent pro eodem, & consequenter propositio vera non esset; sed vox posita ex parte prædicati, realiter diversa est, ab ea quæ ponitur ex parte subiecti: ergo vox *Blitiri* substituit, & accipitur pro alijs à se diversis.

Secundò instabis: Si doctrina tradita vera est, *Blitiri* scriptum erit verè terminus: ergo etiã *Blitiri* vocale, cum de utroque eadem ratio sit. Prob. ant. *Blitiri* scriptum accipitur pro voce *Blitiri*: ergo erit verè terminus. Prob. ant. *Blitiri* scriptum repræsentat ad placitum vocem *Blitiri*: ergo accipitur pro voce prædicta.

Respond. ad prim. neg. ant. & ad probat. dist. min. realiter materialiter, conc. min. realiter in esse obiecti, neg. minor. Quia vox *Blitiri* posita ex parte subiecti, & ea quæ ponitur ex parte prædicati, quamvis materialiter distinctæ, sunt tamen idem obiectum, & ideò vnam pro alia supponere non est supponere pro alio, sed potius supponere pro se ipsa, quando quidem vna, & altera sunt idem in esse obiecti, in quo sensu vna de altera prædicatur, de quo satis supra, confirmationem non approbatæ rationalis, impugnant.

Ad secundam instantiam negantur duo illius antecedentia, & ad probat. neg. conseq. Quia sicut vox significativa repræsentat

conceptum ad placitum, & pro eo non supponit, ita scriptura significat ad placitum vocem, sed pro ea non supponit, alias hæc propositio scripta: *Blitiri est Blitiri* esset idem quod vox *Blitiri*, est vox *Blitiri*, & consequenter esset falsa; sicut hæc propositio scripta: *Homo est animal*, si esset idem quod ista: *Vox homo est, vox animal*, esset falsa propositio. Ex quo habes quod *Blitiri* scriptum potuit imponi non ad significandam vocem *Blitiri*, sed ad hominem significandum, & vox potuit imponi ad vnum, scriptura verò ad aliud.

Quartò arguitur: *Blitiri* formaliter componit propositionem: ergo rationem termini habet. Prob. ant. primò: *Blitiri* est subiectum formale in propositione: ergo componit propositionem formaliter. Prob. ant. Illud est subiectum formale, de quo dicitur prædicatum formale, sed de *Blitiri* dicitur prædicatum formale, vt in hac: *Blitiri est trisyllabum*: ergo est subiectum formale.

Secundò prob. ant. *Blitiri* componit propositionem; sicut terminus sincathegorematicus: ergo componit formaliter. Prob. ant. *Blitiri* componit ratione alterius formaliter, & per se componentis: ergo sicut terminus sincathegorematicus. Probat. ant. Componit ratione vocis subintellectæ, & idem est ac si dicas: *Hæc vox Blitiri est trisyllaba*; sed hæc

VOX

vox componit formaliter, & per se: ergo *Blitiri* componit ratione alterius per se, & formaliter componentis.

Tertiò prob. ant. in hac propositione: *Blitiri non est nomen*, ly *Blitiri* componit formaliter: ergo *Blitiri* componit aliquando formaliter. Probat. ant. Propositio formalis requirit partes formaliter componentes; siquidem propositio habet esse à partibus, & consequenter propositio formalis habet esse à partibus formaliter componentibus ipsam; sed prædicta propositio est formalis, & *Blitiri* est pars illius: ergo *Blitiri* componit illam formaliter.

Respond. ad argum. neg. ant. & ad primam probat. neg. etiam ant. Nam vt *Blitiri* componat formaliter, satis non est quod de illo dicatur prædicatum formale, sed ultra requiritur, quod dicatur de illo formaliter accepto, & non de illo materialiter, & pro se sumpto, qualiter intrat *Blitiri* in quacumque propositione, quod quidem solum reddit verbo suppositum materiale sumptum pro se, non tamen formale, & acceptum pro alio.

Ad secund. prob. ant. princ. negantur duo illius antecedentia, & ad probat. distingo maior. Ratione vocis subintellectæ, vt determinatæ ad *Blitiri*, & per modum designatis, conc. mai. Ratione illius sumptæ significantivè, neg. mai. & sub eadem dist. min.

neg. conseq. Quia quamvis vox illa sumpta significantivè componat formaliter, non tamen ita sumitur in præsentem, sed solum accipitur per modum designatis ipsam *Blitiri*, & accepta pro ipso, aut ad ipsum determinata, in quo sensu formaliter non componit, sed contrahit vocem abstrahentem, ad vocem non significantem.

Ex quo intelliges: quod dicitur: *Blitiri non est terminus*, prædicatum verè negatur de subiecto, quia licet sub intelligatur vox, intelligitur tamen vox determinata ad *Blitiri*, quæ quidem vt talis, nec significat, nec est verè terminus, & ita propositio falsa non est.

Ad 3. probat. eiusdem ant. Respond. aliqui prædictam propositionem non esse formalem propter defectum subiecti, quod formale non est, & malum ex quocumque defectu.

Sed prædicta propositio significat verum, & significare verum, vel falsum, est passio propositionis formalis.

Rursus etiam in prædicta propositione formaliter enuntiat vnum de alio, nam ea est formaliter enuntiativa: ergo est propositio formalis; siquidem formalitas enuntiationis formaliter reperitur in illa, & ideò.

Ad 3. probat. Resp. aliter prædictam propositionem esse formalem, non tamen ad hoc

RE-

requiri omnes partes esse componentes formaliter, sed satis est quod copula, quæ est pars principalis, & formalis dans esse propositioni, & illam constituens in ratione enuntiativa, sit significativa, & formaliter componat.

Sed instabis primò: Si subiectum est æquivocum tota propositio redditur æquivoca, ut constat in hac: *Canis est substantia*; sed subiectum esse materiale in prædicta propositione concedimus: ergò propositio prædicta non formalis, sed materialis est.

Secundò instabis: Non potest salvari totum substantiale, nisi omnes partes componentes sint formaliter substantia: ergò non salvabitur propositio formalis si aliqua pars illius materialis est, ut contingit in propositione prædicta.

Resp. ad primam instantiam, nego conseq. Quia subiectum æquivocum facit totam propositionem subordinari pluribus conceptibus disparatis, & sine ordine, & ita reddit totam propositionem æquivocam, sed subiectum materiale non facit propositionem non esse formaliter enuntiativam unius de alio, & ita non facit illam non esse pro-

positionem formalem.

Ad secundam neg. conseq. Quia natura substantialis est natura una simpliciter, & omnino per se in genere entis, & propterea omnes partes debent esse substantiales, ut resultet una natura simpliciter in genere substantiali: propositio verò est tantum una secundum quid, vel simpliciter in ordine artificiali, & ideò non requiritur quod omnes partes componant formaliter, & per se ad propositionem ordinentur, sed satis est, quod intra propositionem constitutæ ad invicem disponantur, & uniantur mediante copula verè significativa, quæ formaliter componat, & maximè, cum ab optimo in quocumque proveniat denominatio, iuxta proverbium Philosophi; & copula sit optimū in ipsa propositione; & insuper quia esse formaliter enuntiativam provenit à copula formaliter enuntiante, & ad hunc finem aliæ partes de materiali se habent, & propterea non impediunt ipsam esse propositionem formalem; nam dum dicitur malum ex quocumque defectu, intelligitur de defectu non materialiter,

de defectu non materialiter, sed formaliter se habente.

ESD

ESD

ESD

ESD

ESD

ESD

ARTI-

ARTICVLVS II.

VTRVM ISTE TERMINVS DEVS SIT terminus communis?

§. PRIMVS.

Quibusdam suppositis statuitur affirmativa conclusio.

QVIA balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonamus, propterea non totum Deum adequatè unico conceptu percipimus, sed dumtaxat unum, vel alterum Divinum prædicatum, vno coconceptu explicamus, & ita alio conceptu naturam Divinam, alio intellectum, alio voluntatem, & alio naturæ singularitatem attingimus; & inde difficultas orta est, an sicut naturam Divinam cognoscimus non cognita eius singularitate, ita etiam possimus nominare naturam, nomine naturæ, quæ tale nomen se extendat ad singularitatem illius. Et cum tale nomen aliud esse non possit, quàm iste terminus *Deus*, fit inde talem terminum esse terminum communem.

Ad huius intelligentiam primò præmittendum est; nullum

nomen impositum à nobis ad Deum significandum, posse Deum significare adequatè, quia voces sunt signa conceptus, & sicut concipimus, ita significamus; sed nullo conceptu possumus Deum adequatè concipere: ergò nullo nomine possumus Deum adequatè nominare: Undè Deus ineffabilis dicitur, quatenus ipsum effari non possumus adequatè, aut nostris vocibus, vel sermonibus explicare.

Secundò notandum est: Nomen primò ad significandum impositum, rem ipsam significare secundum illud prædicatum, quod primò à nobis percipitur, & ideò si primò conceptu naturam Divinam, & non eius singularitatem concipimus, primò etiam nomine ipsam Dei naturam, & non singularitatem significabimus, consequenterque nomen

Deus,

Deus, quod primò à nobis imponitur, ipsam solam naturam, & non singularitatem significat.

Tertiò notandum est: Terminum aliquem posse dici communem ex parte rei significatæ, quando, videlicet, significat naturam, quæ non est vnà singulariter, sed numero multiplicata in pluribus individuis, vt iste terminus *homo*: posse item terminum significare naturam, quæ vnà singularis, & sine multiplicatione numerica in pluribus reperitur, sed terminus talitèr illam significat, quod si aliundè non repugnet naturæ in pluribus reperiri, quatenus significata per terminum, posset benè de omnibus prædicari, & terminus qui ita naturam significat, dicitur communis ex modo significandi.

Quartò supponendum est: supradictum terminum, non esse communem ex parte rei significatæ. Quam doctrinam tradit Angel. Doct. 1. p. q. 13. art. 9. in corp. per ea verba: *Sequitur quod hoc nomen Deus incommunicabile quidem sit secundum rem.*

Ratio etiam id ipsum convincit; quia terminus communis ex parte rei significatæ est ille, cui ex parte rei plura significata correspondent; sed termino prædicto plura significata non correspondent ex parte rei: ergò ille communis non est. Probat. min. primò: Res significata per terminum prædictum, non sunt Perso-

næ Divinæ, sed sola natura Divina vnà numero, & singularis: ergò ex parte rei significatæ non correspondent plura prædicto termino.

Secundò prob. min. Ex parte rei significatæ, idem significatur per hunc terminum *hic Deus*, & per istum terminum *Deus*; sed *hic Deus* ex parte rei plura significata non habet: ergò nec ille terminus *Deus*.

Tertiò prob. min. Significatum per istum terminum *Deus*; est *Deus*; sed non dantur plures *Dij*: ergò prædictus terminus ex parte rei plura significata non habet.

Contra suppositionem prædictam instabis; quia *Deus* ex parte rei significat Deitatem; sed Deitas ex parte rei communis est pluribus, videlicet tribus Divinis Personis, in quibus reperitur ipsa natura Divina: ergò ex parte rei significatæ communis est.

Confirm. iste terminus *Deus* ex parte rei significatæ, significat plura divisim: ergò ex parte rei significatæ communis est. Probat. ant. primò: Terminus *Deus* ex parte rei significatæ, significat habentem Deitatem; sed sunt plures habentes Deitatem, tres, videlicet, Personæ Divinæ: ergò ex parte rei significat plura divisim.

Secundò prob. ant. Res significata per terminum, affirmatur de pluribus; siquidem *Deus* di-

dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Ergò terminus ex parte rei significat plura divisim.

Resp. ad argum. dist. minor. communis per identitatem cum ipsis: conc. min. per divisionem realem: neg. min. & conseq. Quia ad rationem termini communis ex parte rei, satis non est significare illud, quod in pluribus reperitur, sed ultra requiritur significare illud, quod in pluribus multiplicatur. Et ratio ea est; quod si terminus significat naturam non multiplicatam, sed vnã numero pluribus communicatam, iam non significat naturam communem, sed naturam vnã numero, & singularem, & ita ex parte rei significatæ communis non est. Instantia est in hoc termino *hic Deus*, qui ex parte rei significat naturam pluribus communicatam; & tamen ex parte rei significatæ communis non est, quia res significata per ipsum, solum est communis contrapositivè ad proprium, & notionale eo quod non est propria alicuius personæ, sed omnibus convenit, non tamen communis est, quatenus commune opponitur singulari. In quo sensu primò ad Annibald. dist. 19. q. 4. art. 2. ad 2. intelligendus est D. Thom.

Ad confirm. neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. habentem singularitèr: conc. mai. pluralitèr: nego mai. & dist. min. habentes pluralitèr: conced. min. singularitèr: nego min. & conseq.

Mag. Froylan.

Quia ille terminus ex parte rei significat habentem Deitatem singularitèr, videlicet, hunc numero *Deum*, & ideò non est communis ex parte rei, quamvis Personæ pluralitèr, & personalitèr habentes, sint plures, eo quod Personæ adhuc ex parte rei non significantur per terminum illum.

Ad secundam prob. antec. dist. ant. per divisionem in illis: neg. antec. per identitatem cum illis: conc. ant. Et hoc non significare plura divisim ex parte rei, sed significare vnã numero, & singularem naturam pluribus communicatam.

Et si dicas: Quod iste terminus *homo*, est communis ex parte rei; & tamen non significat naturam vt divisam, sed potius vt vnã, eo quod si non significaret naturam vt vnã, non esset terminus univocus, sed æquivocus. Ergò necesse non est terminum communem ex parte rei naturam vt divisam significare.

Resp. neg. min. Nam terminus *homo* significat naturam vt materialitèr, & numericè divisam, & solum vt vnã formalitèr: vnde significatio non sistit in sola natura, sed potius transit ad individua multiplicantia naturam, quia tamen terminus significat eam, vt vnã formalitèr, univocus, & non æquivocus est.

His igitur prælibatis circa communitatem absolutam, & dialecticam termini supradicti,

T. affirm-

affirmat prima sententia, quod sicut hic terminus *Petrus* in aliquo verò sensu non potest dici communis, ita nec terminus *Deus*. Illam defendunt plurimi extra Scholam D. Thomæ, & maximè Suarez lib. 2. de Attributis negativis cap. 32. & Vazquez super artic. 9. D. Thomæ 1. p. q. 13. Quibus adherent novissimi Iesuitæ. Secunda est communis Thomistarum cum Angelico Magistro, cum quibus.

S. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Deus absolute est terminus communis dialecticè.

CONCLUSIONEM nostram habet Ang. Doct. 1. p. q. 13. art. 8. Vbi affirmat hoc nomen *Deus* esse nomen naturæ, & ad naturam significandam impositum. Rursus art. 9. ad medium corp. ait: *Sed quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere secundum quod sunt, sed intelligimus eas admodum rerum compositarum habentium formas in materia: ideo imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Unde quantum pertinet ad rationem nominum eadem ratio est de nominibus, que à nobis imponuntur ad significandas naturas rerum compositarum, & de nominibus que à nobis imponuntur ad significandum*

naturas simplices subsistentes; sed illa nomina verè sunt termini communes dialecticè, vel ex modo significandi: ergò etiam hic terminus Deus.

Ratione autem prob. conclusio nostra: Quia ut terminus sit verè communis dialecticè, sufficit ex modo significandi plura significare, vel naturam aliquam, quæ possit affirmari de pluribus; nam dialectica solum attendit admodum significandi, & propterea albedo est terminus absolutus, quia quamvis significet rem adiacentem, & inhaerentem subiecto, eam tamen significat per modum formæ absolutæ, & per se stantis ex modo significandi, & e contra, humanum est terminus connotativus, quia ipsam substantiã humanitatis significat admodum inhaerentis subiecto; sed terminus *Deus* ex modo significandi ipsam Dei naturam significat, ut communicabilem pluribus, ita quod possit de pluribus affirmari: ergò est verè communis dialecticè. Prob. min. Significat naturam Dei prout à nobis concipitur; quia sicut concipimus, ita nominamus; sed natura Dei concipitur à nobis, ut comunicabilis pluribus: ergò terminus *Deus*, ita significat illam. Prob. min. Concipitur à nobis sine singularitate: ergò ut comunicabilis pluribus ex modo, quo à nobis concipitur. Quia non est aliud impedimentum, ut concipiatur communis, nisi quatenus ut

singularis concipitur, & ant. prob. primò: Natura Divina non concipitur à nobis prout in se, & adæquatè, & perfectè, sed solum inadæquatè. Ita quod vno conceptu naturam concipimus, & alio singularitatem illius. Ergò natura prædicta, conceptu primò à nobis concipitur sine singularitate.

Secundò prob. ant. Non attingimus naturam Divinã quidditative, sed solum connotative, & admodum naturæ corporeæ, & materialis; sed natura materialis sine singularitate concipitur. Ergò idem de natura Divina.

Confirm. *Deus* non est terminus singularis, nec Deum, ut singularem significat. Ergò est terminus communis. Prob. antec. Aliter significat *Deus*, & aliter: hic *Deus*; sed hic *Deus*, significat Deum, ut singularem. Ergò *Deus* non ut singularem significat. Undè D. Thom. locis supra relatis distinguit hunc terminum *Deus*, ab hoc termino *tetragrammaton*, quatenus hic secundus apud Hebreos non est nomen solius naturæ, sed Deum, ut expressè singularem significat.

Resp. Vazquez: Significationem nominis non esse proportionandam cum modo concipiendi, vel cum conceptu loquentis, sed potius cum conceptu audientis vocem, & cum audiens vocem, si sit Beatus, vel Angelus, non concipiat Deum, ut communem, sed ipsum, ut singularem. Indè fit terminum esse verè singularem,

quamvis noster intellectus Deum sine singularitate cognoscat.

Solutionis veritatem ex eo suadere conatur, quod vox imponitur ad significandum, ut audiens vocem, rem significatam percipiat. Ergò vocis significatio, cum conceptu audientis proportionanda est.

Secundò: Quia vox *Papa*, vel *Cardinalis*, clarius significat illi, qui vidit Papam, vel Cardinalem, quam alteri, qui nunquam vidit Cardinalem, vel Papam. Ergò quia significatio vocis, cum conceptu audientis proportionari debet.

Tertiò: Qui audit vocem *homo*, æqualitèr percipit significatorem illius, sive à bene intelligente, sive à minus intelligente proferatur. Ergò significatio vocis, non cum loquente, sed cum audiente proportionem habet.

Hæc tamen solutio falsissima est; quia voces dicuntur à Patribus, Nuntiis, & Interpretibus mentis, & ita mentem indicant, cuius vices gerunt, & illi proportionantur. Undè loqui, est mentem aperire, & mentem aperire, est per locutionem significare rem ipsam, ut mente conceptam; nam si aliter eam significat, iam mentem non aperit. Ergò cum conceptu, & mente loquentis proportionari debet significatio vocis. De quibus alibi satis.

Deinde, ut Vasquius utamur exemplo, dum proferimus vocem

istam *homo*, audiens vocem, si sit Angelus non concipit naturam sine singularitate, quia conceptus Angeli est comprehensivus, & ita naturam, & illius singularitatem attingit; & tamen illa vox *homo* verè est terminus communis. Ergò significatio vocis non cum audiente, sed potiùs cum loquente per se primò proportionari debet.

Ad ea verò, quibus solutionem confirmat. Suo ordine respondemus, & ad primum dist. ant. rem vt conceptam: conc. ant. absolute: neg. ant. Quia voces directè significant conceptum, & immediate ad ipsum propalandum ordinantur, mediatè verò, & ex consequenti ad rem, non quidem absolute, sed ad illam, vt mente conceptam. Et ideò non cum audiente, sed cum loquente debent habere proportionem.

Ad secundum etiam disting. ant. clarius ex notitia audientis: conc. ant. ex parte vocis, & significationis illius: neg. ant. Quia qui vidit Papam, non propterea clarius cognoscit, quia vox aliter apud significet, sed quia audita voce, recordatur se vidisse rem per vocem significatam, & ex hac notitia, quam in memoriam revocat, rem ipsam clarius attingit.

Ad tertium resp. vocis significationem non variari sive à benè intelligente, sive à minus intelligente prolatam, sed potiùs eam extendi ad id, quod primi

impositores voluerunt significare. Et ita qui cognoscit impositionem vocis, æqualitèr etiam percipit significationem illius, sive à benè intelligente, vel ab alio proferatur, eo quod significatio vocis, cum conceptu imponentis, & cum conceptu loquentis quo ad substantiam proportionari debet, non tamen cum conceptu loquentis quantum admodum, & perfectionem illius.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram poterat imprimis argui: Quod iste terminus *essentia Divina*, non est terminus communis. Ergò etiam *Deus* terminus communis non est. Prob. ant. primò. Si esset terminus communis valeret benè: *Pater est essentia Divina, Filius est essentia Divina. Ergò Filius est Pater*; sed hæc non valet. Ergò *essentia Divina* non est terminus communis.

Secundò prob. ant. Si *essentia Divina* esset terminus communis, hæc propositio: *Nulla essentia Divina generat*, esset universalis negativa; sed universalis negativa non est. Ergò idem. Prob. min. Si esset universalis negativa, converteretur simpliciter in istam. *Ergò nullum generans est essentia Divina*; sed nō convertitur in illam; nam ipsa hæ-

hæretica est: ergò non est universalis negativa.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad primam prob. neg. mai. Quia vt benè valeret, oportebat medium esse idem re, & ratione cum extremis, & essentia Divina non est idè re, & ratione cum Personis, sed sub alia est Pater, & sub alia ratione Filius, & ideò est quasi mediū æquivocum, & consequentia prædicta bona non est.

Ad secundam prob. dist. mai. universalis negativa improprie, & in appariencia, conc. mai. proprie, neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia essentia Divina non est communis ex parte rei, & ideò non potest proprie distribui, sed dumtaxat apparenter. Et ideò non est convertibilis supradicta propositio in aliā universalem negativam simpliciter, eo quod solum propositio universalis negativa proprie, & de subiecto proprie distributo, simpliciter convertibilis est.

Secundò poterat argui. Quod ita verum est Deum non esse terminum communem; sicut est verum esse terminum communem: ergò æqualiter debet vtrumque defendi. Prob. ant. Istæ propositiones: *Deus est terminus communis, Deus non est terminus communis*, sunt propositiones subcontrariæ; siquidem vtraque est de termino communi nullo signo affecto ex parte subiecti; sed propositiones subcontrariæ possunt esse simul

Mag. Erylan.

veræ: ergò ita verum est Deum non esse terminum communem; sicut est verum esse terminum communem.

Resp. neg. ant. & ad probat. neg. mai. Quia illæ propositiones sunt contradictoriæ, eo quod subiectum in illis non accipitur significativè, sed solum materialitèr pro voce sumitur, & de hac numero voce *Deus*, vna affirmat, quod altera negat; sicut istæ sunt contradictoriæ: *Vox homo est nomen; vox homo non est nomen*, quia vna affirmat, quod altera de eadem voce negat.

Si tamen formentur aliæ propositiones: *Deus generat, Deus non generat*, etiam sunt contradictoriæ, quia licet terminus *Deus* significativè accipiatur, non tamen supponit pro Personis, quarū vna generat, & altera non, sed supponit pro Deo habente singularitèr Deitatem, qui quidem idem numero reperitur in tribus: Vnde de eodem numero in re idem quod vna affirmat, altera negat. Vnde D. Thomas semper asserit negativam esse falsam. Iavellus tamen affirmat negativam æquivalere propositioni universali, sequenti videlicet propositioni: *Nihil existens Deus, generat*, quæ semper est falsa: vnde sive vnum, sive alterum dicamus, semper propositiones prædictæ contradictoriè opponuntur.

Tertiò poterat argui: Sicut Deus concipitur admodum natura-

T. 3.

tura.

turae communis, ita concipitur admodum rei materialis; & tamen non denominatur Deus materialis, & finitus: ergo nec etiam propter modum concipiendi, appellabitur communis.

Resp. neg. conseq. Quia materialitas, corporeitas, limitatio, & alia huiusmodi, sunt praedicata realia convenientia rebus secundum physicum, & realem statum, quem habent a parte rei, & propterea quamvis Deus concipiatur admodum rei materialis, non denominatur materialis, corporeus, & finitus. Communitas vero dialectica convenit rebus secundum statum praecisionis, quem habent in intellectu, & ita sicut intellectus noster attingit naturam Dei, non affecta singularitate, ita natura sic affecta denominatur communis, communitate dialectica consecuta admodum intelligendi.

Quarto poterat argui, *Deus* significat Deum secundum illud, quod habet in re, non vero secundum id quod habet per ordinem ad conceptum mentis, aut secundum statum, quem habet in intellectu, alias esset terminus secundae intentionis, quod tamen verum non est; sed Deus in re est singularis, & solum communis secundum statum, quem habet in intellectu: ergo *Deus*, non significat Deum, ut communem, sed potius ut singularem.

Resp. dist. mai. Quod habet

in re inadaequate, & praescisive, conc. mai. adaequate, neg. mai. & dist. min. in re adaequate, conc. min. inadaequate, & praescisive, neg. min. & conseq. Quia Deus in re habet naturam, & simul singularitatem. Unde terminus significans naturam, & non singularitatem, significat illud, quod habet in re, non quidem absolute, sed solum ut conceptum, sicut ut denotante conditionem, ut ipsum significamus; & propterea est terminus primae intentionis, nam ut esset secundae intentionis oportebat significare non naturam Divinam secundum suum esse, sed secundum aliquod esse fictum; sicut genus, & species, & huiusmodi alia.

Quinto arguitur: Si natura Divina conciperetur, non concepta singularitate pro expresso, esset species praedicabilis; sed talis non est: ergo singularitas pro expresso concipitur, & consequenter *Deus* est terminus singularis. Prob. maior. Quia Angelica concipitur sine singularitate pro expresso, est species praedicabilis: ergo si natura Divina conciperetur, non concepta singularitate pro expresso, esset etiam species praedicabilis.

Ab opposito confirm. Haec propositio: *Ens est substantia*, falsa est; quia in ente includitur aliquid, quod substantiae repugnet, ipsa, videlicet, ratio accidentis implicite in ente contenta; sed

etiam

etiam in conceptu obiectivo Divinae naturae includitur singularitas, quae communitati repugnat: ergo haec propositio: *Deus ex modo concipiendi est communis*, falsa est.

Resp. ad argum. neg. mai. & ad probat. neg. causalis anteced. Quia natura Angelica non propterea subinduit intentionem speciei praedicabilis, quia singularitatem non exprimit; sed quia etiam pro implicito a singularitate praescindit, & ideo est verè in potentia Logica ad differentias individuales, & verè contrahibilis per illas, quod tamen non haberet, si singularitatem implicite contineret; siquidem in illo eventu non esset simpliciter una, sed partim eadem, & partim diversa propter differentias implicitas, & consequenter Logice non esset univoca.

Ad confirm. Poteramus dicere praedictam propositionem non esse falsam determinate, sed solum contingenter, eo quod ens est praedicatum superius ad substantiam, & accidens, a quo quidem ad inferiora determinate non valet subsistendi consequentia, & propterea posse praedictam propositionem esse falsam, & non quia ens pro implicito includat accidens, saltem loquendo formaliter.

Quidquid tamen de hoc sit, respond. facile, dist. causalem maior. Quod repugnat entitative, conc. causalem, ut expressum

tantum, neg. causalem, & dist. min. repugnat, ut expressa, conc. min. sumpta entitative, neg. min. & conseq. Quia in ente includitur accidens, quod non solum, ut explicatum, sed etiam entitative repugnat substantiae, eo quod non potest esse eadem entitas ascendens, & substantiae, & ideo si accidens implicite continetur in ente, extrema non supponunt pro eodem; siquidem accidens contentum implicite, importat entitatem realiter a substantia distinctam: singularitas vero quamvis ut expressa repugnet communitati dialecticae, non tamen entitative; nam eadem entitas Dei potest exprimere singularitatem, & exprimere solam naturam, & quando solam naturam exprimit, dicitur ex modo concipiendi communis, eo quod non explicat singularitatem, sed unam naturam, quae ut sic expressa, & concepta potest pluribus convenire.

Sexto arguitur: Iste terminus *Deus*, non potest significare plura divisim: ergo terminus communis non est. Prob. ant. Si significaret plura divisim, significaret utique plures Deos, & res significata per terminum posset de Dijs pluribus affirmari, sed plures Dijs essentialiter repugnant: ergo terminus non potest significare plura divisim.

Resp. neg. ant. & ad prob. dist. min. repugnat in re, & absolute

lutè, conc. min. ex modo concipiendi naturam, neg. min. & conseq. Nam quamvis plures Dij, absolute, & in re essentialiter repugnent, non tamen repugnant essentialiter ex modo concipiendi naturam, eo quod illam concipimus admodum naturæ materialis, & non concepta pro expressio eius singularitate, & eodem modo naturam per nomen significamus; cumque naturæ ut ita conceptæ sine singularitate non repugnent pro expressio plures Dij, vel in pluribus reperiri, ita etiam non repugnant plures Dij, ex modo, quo illam per nomen significamus; consequenterque terminus ex modo significandi, plura divisim significat.

Sed instabis: Naturæ Divinæ ex modo, quo concipitur à nobis repugnat multiplicari: ergo plures Dij etiam ex modo concipiendi essentialiter repugnant. Prob. ant. primò. Natura Divina concipitur, ut spiritualis; sed spiritualitati repugnat multiplicari: ergo ex modo concipiendi multiplicari repugnat.

Secundò prob. ant. Si conciperetur, ut multiplicabilis, ille conceptus esset falsus; siquidem attingeret naturam Divinam aliter, ac est in re, cum in re non possit multiplicari: ergo naturæ Divinæ etiam ex modo concipiendi repugnat multiplicari.

Resp. ad replicam, neg. ant. & ad primam probat, dist. mai.

spiritualitate naturæ, conc. mai. omni spiritualitate, neg. mai. & dist. min. spirituali adæquatè sup- to, conc. min. inadæquatè tantum accepto, neg. min. Quia spirituali secundum expressum naturæ, non repugnat multiplicari; siquidem natura singularitatè non explicat.

Ad secundam prob. dist. ant. ut multiplicabilis in intellectu simpliciter apprehendente, neg. ant. compositivè affirmante, conced. ant. & neg. conseq. Quia dum intellectus simpliciter apprehendit naturam, & non singularitatè, natura sic apprehensa est verè communis dialecticè, & verè multiplicabilis negativè, nec illi pro ut sic multiplicatio repugnat; non tamen absolutam multiplicationem affirmat intellectus de natura, in hoc enim esset falsus.

Poterat aliter distingui ant. ut multiplicabilis in re, conc. ant. ut multiplicabilis ex modo, quo in conceptu relucet, neg. ant. Quia intellectus non potest verè concipere naturam Divinam, ut realiter multiplicabilem in re, benè tamè, ut multiplicabilem ex modo, quo in conceptu relucet; nam illi pro ut in conceptu expressæ, non repugnat multiplicari, quamvis aliundè repugnet.

Septimò arguitur: Iste terminus *Deus* significat unum tantum: ergo est terminus singularis, & non terminus communis. Prob. ant. Significat Deum; sed Deus est unus tantum: ergo unum tantum significat.

Resp.

Resp. dist. ant. Vnum tantum ex parte rei significat, conc. ant. ex parte modi significandi, nego ant. Quia quamvis iste terminus *Deus* significet Deum, qui in re singularissimus est, ipsum tamen sine singularitate significat, & ideo ex modo significandi Deum non ut unum, sed ut communicabilem, vel ut communem significat. Sicut hic terminus *Sol*, significat unum tantum ex parte rei, & tamen est terminus communis, quia ex parte modi solem, ut communem significat.

Instabis primò: Deus ex modo significandi, significat unum tantum: ergo solutio nulla est. Prob. ant. Modus significandi sequitur modum essendi; sed ex parte rei significat unum tantum: ergo etiam ex parte modi.

Secundò instabis: Iste terminus *Deus* significat Deum, ut singularem formaliter: ergo ex modo significandi unum tantum significat. Prob. ant. primò. Significat Deum ut subsistentem, cum sit terminus cōcretus, qui significat formam, ut in supposito; sed subsistere est proprium rei singularis: ergo Deum ut singularem significat.

Secundò prob. ant. Iste terminus *Deus* significat Deum, ut existentem: ergo ut singularem, quia existentia est rei singularis. Ant. prob. Significat Deum ut actum purum: ergo ut existentem, aliàs significaret Deum in potentia ad existentiam, &

non tanquam actum purum.

Resp. ad primam replicam, neg. ant. & ad prob. dist. mai. Modum essendi rei in re, neg. mai. modum essendi, quem habet in intellectu, conc. mai. & concessa minori, neg. conseq. Quia sicut concipimus, ita significamus, & ideo modus significandi non sequitur modum essendi rei, pro ut in re, sed modum essendi quem habet in intellectu, ut in exemplo solis cernere licet.

Dices: Iste terminus *specieitas* est terminus secundæ intentionis, in sententia probabili Thomistarum; sed hoc non alia ratione, nisi quia ex parte rei significat formam rationis habentem esse per ordinem ad intellectum: ergo modus significandi in termino, sequitur modum essendi, quem res habet in se ipsa.

Admissa illa sententia (quæ mihi minus probabilis est) dist. min. non alia radicaliter, conc. min. non alia formaliter, nego min. & conseq. Quia in terminis significantibus aliquid fictum, ex quo significant formam fictam habentem esse tantum per ordinem ad conceptum mentis, consequitur etiam significare illam ex parte modi, non secundum ea, quæ habet in re, & ex tali modo significandi eam non ut existentem in re, provenit formaliter esse terminum secundæ intentionis, quævis radicaliter proveniat ex quo forma non sit in re, sed potius ficta,

eo quod forma ficta, non potest ex modo significandi aliter significari, quam vt ficta, & non in re.

Ad secundam replicam, neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. vt subsistentem signatè, conc. mai. exercitè, neg. mai. Nam quamvis terminus concretus significet formam, vt in supposito subsistentem signatè, non tamen significat formam, vt exercitè subsistentem, quod erat necessarium ad illam significandam, vt expræsè singularem, eo quod solum exercitè subsistere est proprium rei singularis, non tamen subsistere signatè, aliàs subsistens in communi non esset significabile; cum subsistens in communi, exercitè non subsistat; qua propter omnia concreta specifica, qualia sunt *Deus*, & *homo*, significant naturam subsistentem signatè, & simul eam sine singularitate significant, aliàs essent concreta individualia.

Ad secundam prob. eiusdem ant. neg. Duo illius antecedentia, vel distinguimus ea, vt existentem, & actum purum ex parte rei significatæ, conc. ant. ex modo significandi, neg. ant. Quia terminus ille ex modo significandi naturam Dei significat inadæquatè, & vt conceptum admodum rei materialis, non concepta existentia, & ratione actus puri pro expræsè, & ita terminus in significando à ratione actus puri, &

existentia præscindit.

Sed instabis: Iste terminus *Deus* significat Deum, vt existentem expræsè: ergò etiam, vt singularem. Prob. ant. Iste terminus *Deus* significat illud, quo maius aliquid excogitari non potest; sicut lib. 1. de Doctrin. Christian. cap. 7. docuit August. sed existens maius est non existente: ergò significat Deum, vt existentem expræsè.

Ad replicam istam abstrahendo ab alijs, quæ 1. p. q. 2. art. 1. ad 2. dicuntur à nostris. Resp. neg. ant. & ad prob. dist. mai. quo maius ex parte rei significatæ, conc. maior. ex modo significandi, neg. mai. Quia ex modo significandi non attingitur Deus cum Divinis attributis, & vt ita significatus cum suis attributis cogitatur maior ex modo significandi.

Aliter conc. mai. dist. min. non existente supposito quod existere possit, conced. minor. non existente absolutè, neg. minor. Quia licet existens sit maius non existente, supposito quod existere possit, non tamen maius est non existente absolutè; quia ex quo apprehendamus aliquid, quo maius excogitari non potest. Non sequitur quod apprehendamus ipsum posse existere in re, cum à nobis apprehendantur impossibilia, quæ in re existere non possunt.

s. IV.

Vltimum, & difficile solvitur argumentum.

TANDEM contra conclusionem arguitur: Quamvis ille, qui vocem imposuit, non primò conceperit singularitatem Dei, potest per vocem singularitatem significare: ergò ita illam significat iste terminus *Deus*. Prob. ant. Nomina hæc: *Leo*, & *Homo* significant substantiam hominis, & Leonis; & tamen qui prædictas voces imposuit, non primò concepit hominis, & Leonis substantiam, quia intellectus, pro hoc statu, intelligit per species abstractas à sensibus, & ita primò percipit accidentia sensibilia, & ex consequenti intelligit connotativè substantiam per species accidentium: ergò antecedens verum est.

Confirm. *Deus* non concipitur, nisi quatenus singularis: ergò ipse terminus, est terminus singularis. Prob. ant. primò: *Deus* non concipitur, nisi quatenus distinctus ab omni natura creata; sed per singularitatem distinguitur: ergò non concipitur nisi quatenus singularis.

Secundò probat. ant. Idem concipimus dum audimus *Deum*, & dum audimus hunc *Deum*; sed dum audimus hunc *Deum*, ip-

sum vt singularem concipimus: ergò idem.

Tertio probat. ant. Modo concipiendi intellectus, aliquid correspondet ex parte obiecti; non aliud quam *Deus* vt singularis: ergò.

Quartò probat. audito hoc nomine *Deus*, statim occurrit nobis *Deus vnus*, & singularis, quem colimus, non autem *Deus communis*, & multiplicabilis per plures *Deos*, qualiter occurrit gentili: ergò.

Quintò prob. *Deus* non potest à nobis concipi sine prædicato essentiali sibi; sed singularitas essentialis est *Deo*: ergò vt singularis concipitur; sicut *Petrus* concipitur singularis, quia singularitas est de essentia *Petri*.

Sextò prob. Si natura humana esset essentialiter singularis, non posset sine singularitate cognosci; sicut de ente, & essentia cap. 4. docet Angel. Doct. sed *Deus* est essentialiter singularis: ergò.

Septimò prob. *Deus* concipitur à nobis admodum rei materialis cum qua maiorem proportionem habet; sed maiorem proportionem habet cum re singulari: ergò.

Octavò prob. In sententia probabili Thomistarum asserente naturam Divinam constitui metaphysicè intellectu actuali, in qua sententia, *Deus* concipitur metaphysicè constitutus, & con-

sequenter concipitur, ut intelligens; sed operatio est rei singularis: ergo.

Nonò prob. Sicut opponuntur compositum, & simplex, ita opponuntur commune, & singulare; sed Deus non potest, ut compositus concipi, eo quod est summe simplex: ergo cum sit summe singularis, non poterit, ut communis concipi, sed potius, ut singularis concipitur.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad probat. neg. min. Quia licet intellectus præsuppositivè dependeat à sensibus, eo quod à phantasmatis abstrahit species rerum; quia tamen in phantasia sunt singularia propriæ substantiæ, ab eis quidem abstrahit speciem substantiæ propriam, per quam primò, & propriè, & etiam quidditivè intelligit substantiam, & non eam intelligit per speciem accidentium.

Ad confirm. verò argum. neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. ut distinctos in primo prædicato, videlicet, in natura, conc. mai. In omni prædicato, neg. mai. Quia Deus dum primò concipitur, solum attingitur secundum naturam non attracta expressè eius singularitate; & ita concipitur, ut distinctus in natura, non verò in singularitate, & alijs, quæ non dum explicitè intelliguntur. Ex quo habes quod dum audimus Deum solum naturam concipimus, Sed dum audimus hunc

Deum etiam singularitatem cognoscimus, & ideo non idem utrobique concipimus. Per quod patet. ad secundam prob.

Ad tertiam prob. neg. min. Quia quando Deum concipimus, correspondet nostro modo intelligendi ipsa natura Divina, quæ concipitur sine singularitate pro explicito, & ita correspondet ex parte obiecti ipsa natura communis, & non Deus quatenus singularis est.

Sed instabis: Si nostro modo concipiendi aliquid commune correspondet, debet esse, vel reale, vel rationis; cum inter hæc non sit assignabile medium; sed non correspondet aliquid rationis; aliàs Deus non esset terminus primæ intentionis, nec etiam correspondet aliquid reale; aliàs Deus esset communis realiter: ergo nostro modo concipiendi nihil commune ex parte obiecti responderet.

Resp. dist. min. aliquid reale secundum statum, quem habet in re, conc. min. secundum statum, quem habet in intellectu, neg. min. aut aliter, nihil reale adæquatè sumptum, conc. min. præcisivè acceptum, neg. min. Quia nostro modo concipiendi, correspondet ex parte obiecti natura realis Dei, non quidem prout in re, & adæquatè, sed attracta præcisivè sine singularitate.

Ad quartam prob. dist. ant.

ia

in virtute primæ apprehensionis, neg. ant. in virtute alterius actus, conc. ant. Quia audito nomine Deus, primò apprehendimus naturam Dei, & non singularitatem illius, & ideo in virtute talis actus æqualiter nobis, & Gentilibus occurrit; sed in virtute alterius cognitionis cognoscimus Deum singularem, & esse talem Catholicè confitemur, ad distinctionem Gentilium, qui Deum realiter multiplicari per plures Deos affirmant.

Ad quintam, dist. mai. sine prædicato essentiali specifico, conc. mai. individuali, neg. mai. & singularitas non est prædicatum essentiali specifico, & metaphysicum Divinæ naturæ, sed pertinet ad individuationem illius, & ita potest natura concipi non concepta pro expresso eius singularitate, cuius oppositum reperitur in Petro; nam eius ultima differentia est singularitas, vel eccitas, & per illam metaphysicè constituitur in ratione individui.

Et si dicas: Quod convenit alicui essentialiter, semper, & in omni statu convenit illi: ergo si singularitas est prædicatum essentiali naturæ Divinæ, debet illi etiam ut conceptæ convenire.

Resp. dist. ant. in omni statu rei in se, conc. ant. in omni statu præcisionis, neg. ant. Quia prædicata essentialia pertinentia ad individuationem rei, non debent illi convenire pro expresso, quia

do intellectus rem cum præcisione attingit, id est, secundum metaphysica prædicata, cæteris pro expresso non cognitis.

Ad sextam probat. poteramus dicere D. Th. esse intelligendum, si natura humana esset essentialiter metaphysicè singularis, quod fundamentum habet in ipso contextu, sed necessarius non est iste recursus, & ideo respond. Aliter, quod natura humana adæquatè à nobis concipitur, & per speciem propriam, & ita si esset essentialiter singularis, ut talis conciperetur: Natura verò Divina tantum connotativè admodum rei materialis, & non adæquatè intelligitur, & ita dispar est ratio.

Ad septimam, dist. min. Deus sub conceptu singularis, conc. min. sub conceptu naturæ, neg. min. Quia sub conceptu naturæ maiore proportionē habet cum natura creata, quā cum re, ut singulari, & ita dum Deus concipitur primò, & secundum primum prædicatum, videlicet, naturæ, admodum etiam naturæ creatæ concipitur.

Ad octavam dist. mai. Ut intelligens intellectione accepta secundum rationem gradus, & actualitatis, conc. mai. secundum rationem operationis, neg. mai. Quia sententia prædicta nobiscum affirmat intellectione secundum conceptum operationis supponere naturam singularem, & adæquatè etiam metaphysicè constitutam, & tantum defendit constituere

na

naturam sub munere actualitatis, aut sub conceptu gradus, secundum quem conceptum non supponit rem singularem, sed potius ante ipsam singularitatem invenitur.

Poterat etiam aliter distinguere maiorem, ut intelligens, aut operans signate, conc. maior. exercite, neg. mai. Quia dum Deus a nobis primo concipitur, solum intelligitur, ut operans, vel intelligens signate, id est, ut habens essentiam intelligentis in actu secundo; non tamen intelligitur, ut exercite operans, & solum operatio exercita, est propria rei singularis.

Ad nonam prob. dist. mai. commune in re, & adaequate, conc. mai. dialectice, & quantum ad expressionem, neg. mai. Quia communitas, quam in Deo ponimus, solum habetur per praecisionem naturae a singularitate, quam natura ut cognita non importat pro expresso, & praedicta praecisio non repugnat inter praedicta Divina: ad compositionem vero necessarium est unum praedictum non continere alterum pro implicito, sed esse veram potentiam Logicam in ordine ad aliud, & cum omnis vera potentialitas repugnet in Deo ob rationem actus puri, sic inde veram compositionem similiter repugnare cum summa illius simplicitate.

Sed instabis primo contra

omnia supradicta: Nam si ea vera sunt, non poterit natura Divina concipi, nisi etiam pro expresso concipiatur, ut radix determinatae singularitatis, & unica; sed eo ipso non concipitur, ut communis: ergo ut communis significari non poterit. Prob. mai. Esse radicem determinatam, & unam singularitatis, non est praedictum individuale, sed specificum Divinae naturae: ergo non poterit natura cognosci, nisi pro expresso concipiatur, ut radix. Probat. ant. Omnis conceptus individualis est conceptus radicans: ergo esse radicem non est praedictum individuale, sed specificum praedictum.

Secundo instabis: Si semel natura concipitur non cognita pro expresso eius singularitate, concipietur quidem natura, ut potentialis in ordine ad singularitatem, quam non habet pro explicito, & consequenter etiam concipietur ut possibilis, ut sit una numero, & singularis natura in rerum natura existens; sed naturam Divinam ita concipi, imperfectionem importat: ergo debet potius pro expresso, ut singularis attingi.

Tertio instabis: Singularitas implicita tollit communitatem, & opponitur cum illa: ergo satis est singularitatem implicitè concipi, ut Deus sit terminus singularis. Prob. ant. Ita opponitur singularitas communitati; sicut diversitas

tas unitati; sed implicita diversitas, tollit unitatem simpliciter; sicut pat. in ente, quod non est simpliciter unum, & univocum propter diversitatem modorum, quos implicitè claudit: ergo etiam implicita singularitas tollit communitatem.

Resp. ad prim. replicam, nego mai. & ad prob. neg. ant. & ad eius probat. dist. ant. radicans, vel conditio ad radicandum, aut modus naturae radicans, conc. ant. radicans determinate, & ut quod, neg. antec. & conseq. Quia quamvis caetera praedicta individualia verè radcentur in natura, esse tamen radicem singularitatis, non est praedictum in natura radicans, sed modus quidam naturae, & conditio necessaria ad caetera radicandum; eo quod omnia, quae verè radcentur in natura, radcentur in illa, ut individua, & radicaliter singulari.

Poterat etiam alijs terminis responderi, quod sicut lux est ratio formalis ad illuminandum alia, & se ipsam illuminandam, ita etiam singularitas est ratio formalis per modum modi formaliter requisiti, ut alia radcentur in natura, & etiam ut ipsa singularitas radcentur, & ideo in ipsa radice singularitatis intrat per modum modi singularitas ipsa, & consequenter radix singularitatis est praedictum individuale, quod ipsam singularitatem involuit,


non quidem ut quod, quia ipsa ut quod non radcentur, sed solum ut quo, quia ut quo concurrat ad se ipsam radicandam ut quo, & caetera radicandum ut quod.

Ad secundam instantiam resp. dist. maior. ut potentialis dialectice, & quo ad explicitum, conc. mai. Logicè, & quo ad implicitum, neg. maior. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia ex quo natura Divina modo praedicta concipitur, solum sequitur concipi, ut potentialem dialectice, & in ordine ad singularitatem explicandam, non tamen ut potentialem Logicè, & in ordine ad singularitatem habendam, eo quod iam illam, licet implicitè, habet, & prima potentialitas praedictis Divinis non repugnat, sed sola potentialitas Logica, quae requirit distinctionem excludentem, & exclusi incompatibilem cum conceptu actus puri. Et inde habes concipi naturam, ut possibilem tantum dialectice, in ordine ad singularitatem, & existentiam, quam modo implicitè habet, quamque non explicat, sed explicare potest.

Ad tertiam instantiam, neg. antec. & ad probat. dist. maior. unitati eiusdem lineae, conc. mai. diversae, neg. mai. & dist. minor. unitatem simpliciter Logicam, conc. min. simpliciter dialecticam, neg. min. & conseq. Quia sicut singularitas opponitur communitati Logicæ, ita diversitas

opponitur Logicæ unitati; & propterea sicut illud quod est implicitè singulare, non est univiale Logicum; ita quod est pro implicito diversum, non est Logicè simpliciter unum. Non tamen opponitur implicita diversitas cum unitate, & univocatione dialectica, nec implicita singularitas cum dialectica communitate, quæ intra lineam solùm dialecticam simpliciter talis est, & ita ipsum ens est verè unum, & univocum dialecticè, & terminus significans illum, verè est terminus communis.

Ex dictis habes: Quod quando Doct. Angelicus 1. p. q. 13. art. 5. Affirmat, nullum nomen posse univocè prædicari de Deo, & creaturis, intelligendus est de univocatione Logica, non verò de univocatione dialectica, quæ solùm requirit rationem significatam per nomen, esse pro explicito unam, in quo sensu ens est univocum ad Deum, & creaturas, & veritas formalis ad creaturam, & increatam, univoca est.



ARTICVLVS III.

UTRUM DETVR ÆQUIVOCATIO IN MENTE?

§. PRIMVS.

SENSVS DIFFICULTATIS APERITVR, ET STATUITVR NEGATIVA CONCLUSIO.

DVPLEX æquivocatio in mente, vel in intellectu poterat reperiri, alia quidem per id, quod intellectus diversis speciebus, & actibus possit simul intelligere multa, non vt formaliter adunata, sed quatenus plura sunt. De qua æquivocatione in articuli sine dicemus. Alia verò potest esse æqui-

æquivocatio sita in eo, quod intellectus per unum conceptum, & actum simul intelligat plura, quatenus plura sunt; ita quod idem conceptus sit naturalis similitudo eorum prout differunt, & non quatenus conveniunt. Et de hac tantum æquivocatione in presenti disputamus, & in hoc sensu aliqui extra Scholam D. Thomæ possibilem æquivocationem prædictam recognoscunt, sed discipuli D. Thomæ talem æquivocationem possibilem esse negant. Cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO STATUITVR.

Terminus mentalis æquivocus, vel æquivocatio in mente reperiri non potest.

Conclusionem istam 1. p. q. 85. art. 4. in principio corporis, expressit Angelicus Doctor, & in argum. sed contra adducit Aristot. dictum 2. topic. cap. 4. quod intelligere est unum solùm scire verò multa.

Suprà etiam q. 58. artic. 2. eandem sententiam per ea verba declarat: *Vnumquodque autem est intelligibile in actu; secundum quod eius similitudo est in intellectu. Quæcumque igitur per unam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt unum intelligibile.* Ergò quæ per unam

speciem, vel conceptum representantur, sunt unum intelligibile, & nullatenus plura, vt plura.

Ratione verò probatur conclusio nostra: Unus & idem conceptus non potest representare plura, vt distincta, & quatenus plura sunt. Ergò non potest in conceptu reperiri æquivocatio, ad quam quidem necessarium erat eundem conceptum representare plura quatenus distincta, & nullatenus ordinata; sicut vox æquivoca; v. g. *canis* representat canem coelestem, marinum, & terrestrem, vt nullatenus convenientes.

Ant. prob. Unus, & idem conceptus non potest esse naturalis similitudo plurium, quatenus plura sunt. Ergò ea modo prædicto representare non valet, quia conceptus ea solum representat, quorum est similitudo. Prob. antec. Illud, in quo conceptus duabus rebus assimilatur convenit utrique rei; sed illud, in quo sunt plura, vt plura non convenit utrique, aliàs non different in eo, & consequenter non essent plura, sed unum. Ergò idem conceptus non potest esse naturalis similitudo plurium, quatenus plura sunt. Prob. mai. Conceptus idem, & unicus non est duplex, sed unica similitudo; cum per suam naturam, & entitatem sit similis. Ergò illud, in quo conceptus duabus rebus assimilatur, convenit utrique rei; nam si non convenit uni, & alteri convenit, non erit conceptus similitudo unius,

V. qua-

Mag. Freylan.

quatenus est formaliter alterius similitudo, sed secundum diversam rationem, & formalitatem obiectivam, erit similis utrique, proindeque non erit vnica, sed duplex similitudo.

Respondent contrarij: Ita verum esse, non tamen implicare eundem conceptum entitativè, esse duplicem in ratione similitudinis, aut duplicem similitudinem distinctam formaliter; sicut non implicat eandem vocem habere triplicem significationem, & formaliter distinctam.

Hæc tamen solutio inefficax est: quia si vocis significatio esset realiter entitativè identificata cū voce, & ipsa vox per suam naturam significationem haberet, non posset eadem numero vox triplicem significationem distinctam habere; sed similitudo conceptus realiter idētificatur cum illius entitate, Ergò vnus, & idem conceptus, non potest esse duplex similitudo formaliter.

Secundò rejicitur solutio data: Duplex similitudo distincta formaliter, debet habere duplex specificativum formaliter distinctum, alias non erit similitudo formaliter diversa; cum diversitas prædicta à diverso specificativo provenire debeat; sed vnus, & idem conceptus non potest habere duplex specificativum, distinctum formaliter. Ergò idem conceptus non potest esse duplex formaliter similitudo. Prob. min.

Per specificativa formaliter diversa, realiter etiam distinguuntur conceptus, potentia, & actus, in doctrina D. Thom. sed vnus conceptus non potest esse realiter à se ipso distinctus. Ergò non potest habere duplex specificativum distinctum formaliter.

Tertiò rejicitur: Similitudo conceptus est ipsa representatio; sed representatio in eodem conceptu, nequit esse duplex: ergò nec similitudo. Prob. min. Quia representatio immaterialitè consequitur; sed in eodem conceptu non est duplex immaterialitas. Ergò representatio nequit esse duplex. Representatio adequatur cum entitate conceptus, sed entitas conceptus vna est. Ergò representatio nequit esse duplex.

Ex doctrina data confirm. efficaciter ratio conclusionis nostræ: Si idem conceptus representaret plura, vt plura, vel nullam unitatem habentia, conceptus non esset vnus. Ergò vnus conceptus non potest plura, vt plura representare, ac proinde æquivocus esse non potest. Prob. ant. Vnitas conceptus desumitur ab unitate obiecti, quod representat, & à quo habet speciem; sed dum conceptus representat plura, vt plura, obiectum representatum non est vnum, sed diversum. Ergò conceptus non erit vnus.

Respondet: In conceptu nostro ita contingere debere, sed non in conceptu Angeli, eo quod

Aut

Angeli conceptus non accipit speciem ab obiecto, quod representat, quia species Angeli non desumuntur à rebus.

Hæc tamen impugnare, præsentis loci non est, sed gratia disputationis, breviter ea impugnemus; quia quamvis Angeli species non desumantur à rebus, nec causentur ab obiecto creato in genere cause efficientis, sed potius infundantur à Deo, formaliter tamen, specificantur ab obiecto creato. Ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. Species Angeli totum suum esse habet, propter obiectum creatum, & ad ipsum ordinatur, vt finem. Ergò species Angeli, specificantur formaliter ab obiecto creato. Prob. ant. Species Angeli non dantur, vt sint, sed potius, vt representent obiectum, & ad hunc finem infunduntur à Deo. Ergò totum suum esse habent propter obiectum creatum, & ad ipsum ordinantur, vt finem.

§. III.

Argumentis contra conclusionem.
occurritur.

Contra conclusionem nostram poterat imprimis argui: Defacto datur conceptus æquivocus. Ergò datur æquivocatio in mente. Prob. ant. primò. Datur conceptus vnivocus. Ergò defacto datur æquivo-

cus, quia contraria sunt circa idem, & ita vterque, vel nullus debet in mente invenire.

Secundò prob. ant. Dum quis profert hanc propositionem: *Canis est substantia*, æquivocatur audiens, & format conceptum æquivocum, quo percipit omnes significationes vocis, & omnes canes, vt inter se differentes. Ergò defacto datur conceptus æquivocus.

Tertiò prob. ant. Conceptus non ultimatus huius vocis *canis* est æquivocus. Ergò idem quod prius. Prob. ant. Ille conceptus representat vocem, quatenus signum est, vel vt habentem triplicem significationem diversam. Ergò ille conceptus æquivocus est.

Quartò prob. ant. Ita non contingere, ex implicatione probamus; sed non implicat dari conceptum æquivocum. Ergò datur. Prob. min. nō implicat dari æquivocationem physicam in rebus. Ergò non implicat dari conceptum æquivocum. Pat. conseq. à paritate, & prob. ant. Si Deus assumeret simul cum natura humana, Leonis, & equi naturas, daretur æquivocatio physica in rebus; siquidem in hoc eventu haberet Deus naturas illas, vt specie diversas, & sine aliqua convenientia; sed non implicat Deum tales naturas assumere. Ergò non implicat dari æquivocationem physicam in rebus.

Confirm. & vrgetur. Potest vnus, & idem conceptus ad plura

V. 2. sine

sine ordine terminari. Ergò potest dari conceptus æquivocus. Prob. ant. primò. Potest vnica relatio ad plura sine ordine terminari, nam in hac propositione: *Canis est substantia*, relatio prædicati terminatur, ad tres relationes subiecti, nullum ordinem habentes. Ergò potest vnus conceptus ad plura sine ordine terminari.

Secundò prob. antec. Potest eadem relatio fundari supra plura sine ordine. Ergò potest idem conceptus ad plura sine ordine terminari. Prob. ant. Relatio per quam terminus æquivocus constituitur, in sententia probabili, vnus terminus, fundatur supra tres significationes termini prædicti, nullum ordinem habentes. Ergò potest vna relatio fundari supra plura sine ordine.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad prim. prob. neg. conseq. & probationem imbibitam dist. circa idem impotens semper ad vtrumque simul: conc. potens ad vtrumque diuisivè, & semper, nego, quãdo namque dicitur contraria esse circa idem, intelligitur de eodem impotenti, vel in capaci ad vtrumque simul habendum, quod semper verum est; nam quamvis contraria possint esse in diversis subiectis pro eodem tempore, in eodem tamen simul esse nõ possunt, quando per suas essentias, in quocumque gradu opponuntur: non tamen intelligitur de eodem potenti ad vtrumque diuisivè; quia

Christus habet gratiam, & nequit habere peccatum, & Divinus intellectus semper est verus, & nunquam potest errorem, vel falsitatem habere; sicut nec Divina bonitas potest habere malitiam, quæ tamen contrariatur bonitati.

Ad secundam probat. dist. ant. æquivocatione impropria, & per ignorantiam mentis, conced. ant. propria, neg. ant. Quia solum audiens dicitur æquivocari, quatenus mentem loquentis ignorat, quod est improprie æquivocari, pro eodem quod impediri ad formandum conceptum determinatum circa mentem proferentis, non tamen intelligit audiens vnico conceptu plura, sed potius tribus conceptibus diversis, tres etiam significationes percipit, ignorando de qua earum, mens loquentis intelligenda sit.

Ad tertiam prob. Poteramus, & verè dicere, conceptum non vltimum prædictæ vocis, non esse vnum, sed esse tres conceptus, quorum quilibet repræsentat vnã significationem, & consequenter nullum eorum æquivocum esse. Sed in aliorum gratiam.

Resp. aliter, neg. ant. & ad prob. dist. ant. Triplicem significationem diversam, vt adunatam in eodem materiali, conc. ant. ex æquo se habentem, neg. ant. Quia quamvis conceptus triplicem significationem attingat, eam tamẽ repræsentat, vt in vna voce adunatam;

tam; quã propter, quamvis ex parte rationis quæ diversas significationes, & ipsam æquivocationem attingat, ea tamen omnia conceptus ipse sub ratione convenientiæ repræsentat.

Ad quartam probat. nego min. & ad probat. neg. ant. & ad probat. neg. mai. Quia quamvis in hoc eventu haberet Deus naturas illas, vt inter se specificè differentes, eas tamen contineret, vt convenientes in eodẽ supposito, & in ordine ad ipsum adunatas secundũ potentiam obedientialem, quam habent, vt ab eadẽ substantia Divina simul terminentur.

Ad confirm. argum. neg. duo anteced. prima, quia in sententia asserente in subiecto prædictæ propositionis reperiri tres relationes, ipsa relatio prædicati non eas respicit, vt ex æquo se habentes, sed potius, vt convenientes, & adunatas in eodem materiali.

Ad secundam probat. Resp. simili modo, quod in sententia asserente in termino æquivoco vnã tantũ dari relationem, eamque fundari in triplici significatione talis termini, prædicta relatio non fundatur in significatione triplici, vt ex æquo se habente, sed fundatur potius supra illas significationes, vt in eodem materiali, vel in eadem voce adunatas, diversitate illarum de materiali se habente ad fundandam relationẽ, quamvis diversitas prædicta necessario præsupponatur, vt relatio

Mag. Froylan.

fundata, terminum æquivocum, in ratione talis, constituat.

Secundò arguitur: In sententia probabili asserente propositionem esse simplicem qualitatem, idem conceptus repræsentat plura, vt plura: ergò datur conceptus æquivocus. Probat. ant. In illa sententia, idem conceptus repræsentat extrema huius propositionis: *Homo non est lapis*; sed ea sunt plura, vt plura: ergò idem conceptus repræsentat plura, vt plura.

Resp. neg. ant. & ad prob. dist. min. plura physicè, & ex parte rationis quæ, conc. min. Logicè plura, & in ratione sub qua, neg. min. Quia licet extrema prædicta physicè, & in esse rei diversissima sint, habent tamen convenientiam in esse Logico, vel in esse intelligibili, quatenus repræsentantur, vt partes convenientes, & adunatæ ad eandem propositionem, vel ad idem totum Logicum componendum.

Sed instabis: Etiam Logicè sunt plura, vt plura: ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. primò: Esse Logicum fundatur in esse physico, sed in esse physico sunt plura, vt plura: ergò etiam Logicè talia sunt.

Secundò prob. ant. *Homo* in esse Logico, est verè subiectum prædictæ propositionis, & *lapis* est prædicatum; sed in ratione subiecti, & prædicati differunt: ergò Logicè sunt plura, vt plura.

V 3

Resp.

Resp. ad replicam neg. ant. & ad primam probat. dist. mai. in esse physico materialiter sumpto: neg. mai. formaliter, ut denominabili ab intentione Logica: cōc. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia extrema prædicta etiam physice considerata formaliter, & quatenus adunari possunt ad eandem propositionem componendam, habent convenientiam formaliter; nam in hoc quod est posse veliri intentione cōponentis, convenit unū cū alio.

Ad secundam prob. dist. min. differunt in componendo: nego min. in modo componendi: conc. min. Quia quamvis in ratione particulari, & in modo componendi differant, conveniunt tamen in ratione componentis, aut in ratione partis, quæ est ratio *sub qua*, per conceptum attinguntur.

Et si dicas: Conceptum prædictum representare lapidem, ut homini repugnantem, vel non convenientem, & propterea intellectus negat lapidem de homine. Ergo conceptus supradictus non ut unum, sed ut distincta, & ut plura representat extrema.

Resp. dist. ant. repugnantem in esse rei: conc. ant. in ordine ad totum: neg. ant. Quia in ordine ad totum potius lapis unitur cum homine, nec tale totum potest ex alijs, quam ex lapide, & homine resultare, & ideo prædictus conceptus attingit lapidem, & hominem, quatenus ununtur in toto,

Quam doctrinam expressit Ang. Doct. 1. p. q. 58. art. 2. in corpore per ea verba: *Et sic etiam intellectus noster simul intelligit subiectum, & prædicatum, prout sunt partes unius propositionis, & duo comparata secundum quod conveniunt in una comparatione.*

Tertiò arguitur: Eadem entitas potest esse naturalis similitudo duorum, ut plura sunt. Ergo idem conceptus potest representare plura, ut plura, quamvis sit naturalis similitudo obiecti, quod representat. Prob. ant. primò: Eadem numero albedo, ut quatuor est naturalis similitudo alterius albedinis, ut quatuor, & alterius quæ sit in duo; siquidem cum utraque naturaliter convenit; sed ista sunt plura, ut plura, & propterea albedo, ut quatuor, diverfas relationes fundat ad aliam intentionem, ut quatuor, & alteram quæ sit ut duo. Ergo eadem entitas potest esse naturalis similitudo duorum, ut plura sunt.

Secundò prob. ant. Idem fundamentum secundum formalitates diverfas potest fundare relationes distinctas, ut pat. in albedine fundante relationem similitudinis ad album, & dissimilitudinis ad nigrum. Ergo eadem etiam entitas potest esse naturalis similitudo duorum, ut plura sunt.

Tertiò prob. ant. Idem obiectum potest habere scibilitates diverfas, ut patet in hac propositione: *Terra est rotunda*, quæ per di-

diversas scientias attingitur. Ergo etiam eadem entitas poterit esse similitudo naturalis duorum, ut plura sunt.

Confirm. Potest intellectus per eundem realiter actum attingere plura, ut plura. Ergo & idem conceptus poterit esse naturalis similitudo aliquorum, ut plura sunt. Prob. antec. primò: Sensus tam internus, quam externus potest per eundem actum attingere plura, ut plura; sicut visus unico actu attingit plures homines, & plures arbores; & auditus simul percipit vocem loquentis, & sonum campanæ; & sensus communis attingit unico actu, ea quæ pertinent ad inferiores sensus. Ergo idem de intellectu dicendum.

Secundò prob. ant. Quidquid attingit voluntas, percipit prius intellectus; sed voluntas potest intendere plura, ut plura, in doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 12. art. 3. afferentis: Quod voluntas intendere potest necum quæ sunt ordinata ad invicem, sed etiam ea, quæ non sunt ad invicem ordinata. Ergo etiam intellectus potest attingere plura, ut plura.

Resp. ad argum. dist. antec. Eadem entitas in qua sit gradualis intensio: conced. antec. in qua non sit: neg. ant. Quia albedo habet intensioem gradualem, & propterea secundum quatuor gradus est similis alteri albedini eodem gradus habenti, & etiam alteri habenti tantum unum gra-

dum, vel duos; nam in hoc etiam assimilatur albedini intensæ, ut quatuor, in qua etiam duo gradus inveniuntur, & ideo talis entitas potest esse similitudo naturalis duorum, ut plura sunt, & ad utrumque fundare relationem diversam: Conceptus verò non secundum intensioem gradualem, sed secundum suam essentiam, & naturam est naturalis similitudo obiecti, & ita non potest esse similitudo naturalis duorum, ut plura sunt.

Ad secundam probat. neg. conseq. Modo explicato, quia albedo per suam naturam conveniat cum alia albedine, & discriminatur à nigredine, & ideo secundum formalitates diverfas, quatenus, videlicet, est ratio conveniendi, & ratio distinguendi fundat relationem similitudinis, & dissimilitudinis, essentialiter distinctas: Conceptus autem secundum totam suam entitatem, & naturalem representationem est naturalis obiecti similitudo, & ideo non potest esse similitudo naturalis alterius, quatenus distinctum est.

Ad tertiam probat. neg. conseq. Quia scibilitas consistit in connexionione essentiae cum proprietatibus suis, & cum idem obiectum secundum abstractionem distinctam, & diversæ scientiæ habeat proprietates distinctas, inde fit posse etiam habere scibilitates diverfas: At similitudo naturalis conceptus, ea ratione qua est naturalis similitudo unius, nequit alteri

assimilari, ut distincto, & cum in conceptu vnica sit naturalis similitudo, fit inde, non posse conceptum esse similitudinem naturalem duorum, ut plura sunt.

Ad confirm. neg. antec. & ad prim. probat. neg. antec. Quia ea omnia, quæ sensus vnica percipit operatione, attingit, ut convenientia formaliter in aliqua ratione obiectiva, & quatenus efficiunt vnicum totale sensationis obiectum: Vnde nunquam sensus plura, ut plura percipit per eundem realiter actum.

Ad secundam probat. explic. min. plura, ut plura ex parte rationis *que*, aut secundum rem: conced. min. plura, ut plura in esse obiecti: neg. min. Quia dum D. Thom. asserit voluntatem posse intendere plura, ut plura, intelligendus est de pluribus secundum rem, ordinatis tamen per rationem, & quatenus vnum sunt in esse obiecti formaliter. Verba sunt D. Thomæ ad 2. quæ sequuntur: *Intentio autem est motus voluntatis in aliquid præordinatum in ratione, & ideo ea, quæ sunt plura secundum rem, possunt accipi, ut vnus terminus intentionis, prout sunt vnum secundum rationem.*

Sed instabis: D. Thom. absolute docet: posse voluntatem simul intendere plura; sed hoc non verificatur si ea plura sint ordinata secundum rationem, quamvis non secundum rem. Ergo nulla est data solutio. Prob. min. Quamvis plura, quæ attingit intellectus non

sint ordinata secundum rem, quia tamen secundum rationem ordinata sunt, nunquam verificatur intellectus attingere plura. Ergo non erit verum voluntatem attingere plura, si semel ea secundum rationem ordinata sunt.

Resp. neg. min. & ad prob. neg. conseq. Quia voluntas querit bonum, & bonum in rebus est, & ideo fertur ad res in se ipsis, & ordinatio secundum rationem præsuppositivè se habet; proptereaque, ut dicatur voluntatem intendere plura, sufficit ea esse plura secundum rem; sed comparativè ad intellectum res è contra se habet, quia intellectus fertur ad obiectum, prout ad intra, & trahit ipsum ad se, & ita ea quæ ad intra, & in ratione ordinata sunt, non dicuntur plura in ordine ad intellectum.

Quartò arguitur. Potest idem conceptus plura, ut plura representare. Ergo potest dari conceptus æquivocus. Prob. ant. primò: Difficilius est eundem hominem respicere physicè plura, ut plura, quam eundem conceptum plura, ut plura representare; siquidem plus possumus mente concipere, quàm physicè exercere; sed non implicat eundem hominè respicere physicè plura, ut plura; siquidem homo defacto respicit physicè intellectionem, & amorè, & omnes operationes pertinentes ad ipsum. Ergo potest etiam idem conceptus plura, ut plura representare.

Se-

Secundò prob. ant. Eo conceptus non posset representare plura, ut plura, quia essentialiter adequatur cum vno, & eodem obiecto; sed adequatio prædicta non obstat: ergo. Prob. min. Substantia Divina adequatur cum Divina natura; & tamen potest naturam simul terminare creatam. Ergo supradicta adequatio non obstat.

Tertiò prob. ant. Eadem vox potest significare plura, ut plura, ut patet in voce *canis*, quæ omnes canes coelestes, & sublunares representat, ut inter se differentes. Ergo idem de conceptu.

Quartò prob. ant. Conceptus entis representat plura, ut plura: ergo idem quod prius. Prob. ant. Conceptus entis representat plura; sed non plura, ut vnum; aliàs representaret ens, ut univocum. Ergo representat, ut plura; siquidem divisio entis in vnum, & multa adequata est.

Quintò probatur. Intellectus potest uti specie hominis, & specie equi, & in vi vtriusque formare conceptum representantem hominem, & equum simul. Ergo potest conceptus representare plura, ut plura.

Sextò prob. Conceptus hominis representat hominem vivum, & pictum; sed ista sunt plura, ut plura: ergo idem. Prob. mai. Conceptus hominis representat hominem vivum; sed homo pictus est similis vivo. Ergo representat simul hominem vivum, & pictum,

Septimò prob. Idem conceptus representare potest substantiam, & accidens, & rationes, vel formalitates oppositas inter se, puta albedinem, & nigredinem; sensationem, & irationem; vitam, & mortem; sed talia sunt plura, ut plura. Ergo idem.

Resp. ad arg. neg. ant. & ad primam probat. Responderi poterat hominem respicere ea omnia, quatenus plura comparativè ad potentias, non verò in ordine ad hominem ipsum; nam sicut omnes potentie diversæ inter se, conveniunt comparativè ad subiectum, ita potentiarum operationes sunt plura comparativè ad potentias, sed in ordine ad principium radicale, convenientiam habent.

Secundò resp. dist. mai. eundem hominem immediatè secundum idem: conc. mai. secundum diversa: neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Quia homo respicit physicè, aut phylicè connotat omnes operationes prædictas, & earum obiecta secundum diversas potentias, quarum qualibet habet specificativum diversum, & operationem formaliter distinctam, & ita mirum non est ratione diversarum potentiarum respicere, vel connotare plura, ut plura.

Tertiò resp. neg. min. Quia admissio eundem hominem respicere omnes operationes prædictas, eas tamen respicit, quatenus conveniunt in perficiendo subiectum,

&

& ita nunquam respicit plura ut plura; sicut quando idem homo intelligit materiam, & formam ut conveniunt in constituendo unam quidditatem completam, non intelligit plura, ut plura; & dum voluntas simul elicit intentionem, & electionem, non elicit plura, ut plura, eo quod non elicit electionem nisi, ut subordinatam intentioni, & quatenus unum cum illa; nam ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum, ut sapè docet Doct. Sanctus.

Ad secundam probat. neg. min. & ad probat. dist. mai. adaequatur intensivè, conced. mai. intensivè, & extensivè, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia substantia Divina est infinita in ratione terminandi, & ideo in terminando nunquam exhaustiri potest, sed una terminata natura Divina, potest ad creatam extendi, unde cum divina solum intensivè adaequatur; sed unica similitudo naturalis taliter adaequatur cum obiecto, cuius est similitudo, quod ad alterum, ut distinctum, & dissimile extendi non potest.

Ad tertiam probat. neg. conseq. Quia significatio vocis non convenit ei à natura, & per suam essentiam, sed ex voluntaria impositione Reipublicæ, & ita eadem vox potest triplicem significationem habere, eo quod Reipub. pro sua voluntate potest vo-

cem imponere ad plura significanda.

Ad quartam prob. neg. ant. & ad probat. dist. min. Ut unum ex parte rei rationis *quæ*, & in essend. conc. min. Ex parte rationis *sub qua*, aut in specificando, nego min. Quia licet conceptus formalis, & quidditativus entis representat totam essentiam entis, & consequenter substantiam, & accidens ex parte rationis *quæ*, ea tamen representat sub expressa ratione entis, & quatenus in ea conveniunt, & consequenter ut unum in esse obiecti formaliter.

Ad quintam prob. respond. Intellectum tantum posse uti specie hominis, & specie equi, ut ad invicem ordinatis, & in vi utriusque formare conceptum representantem hominem simul, & equum, quatenus conveniunt in esse obiecti, & ad invicem ordinantur.

Ad sextam probat. neg. mai. & ad probat. dist. min. Similis in figura communi, conc. min. In figura quam conceptus representat, neg. min. Quia conceptus hominis representat hominem vivum quantum ad figuram, colorem, & accidentia, quatenus naturalia sunt, & naturaliter subiecto conveniunt, & propterea mediatè ipsam formam hominis naturalem representat, non tamen conceptus hominis representat hominem vivum secundum accidentia absolutè; cumquè acciden-

tia

tia hominis picti tantum sint arte depicta, & non naturaliter convenientia, indè fit hominem pictum non assimilari vivo in his, quæ conceptus representat.

Poterat etiam dici. Conceptum hominis vivi representare hominem pictum, ut vivo similem, & cum eo in accidentibus convenientem, & ita representare plura ut unum, non ut plura.

Ad septimam probat. dist. min. Plura in esse rei, & ex parte rationis *quæ*, conc. min. Formaliter in esse obiecti, neg. min. Quia omnia supradicta representat conceptus, ut potentia convenire idem subiecto ordine quodam, & successivè, & in ordine ad ipsum ut mutabile ordinatè per accidentia prædicta, & similiter substantiam, & accidens representat, quatenus in esse intelligibili ordinantur, & faciunt idem obiectum.

Sed instabis: Ut conceptus sit æquivocus sufficit representare plura ex parte rationis *quæ*; sed sic plura representat: ergò idem quod prius. Prob. mai. primò: Vox *canis* verè æquivoca est, & tamen solum significat plura ex parte rationis *quæ*; siquidem ex parte rationis *sub qua*, ea significat ut adunata in ordine ad eandem numero vocem: ergò ut conceptus sit æquivocus sufficit representare plura ex parte rationis *quæ*.

Secundò prob. mai. Ut causa

physica dicatur æquivoca, sufficit quod ex parte rationis *quæ*, producat effectus specificè diversos; nam ratio *sub qua*, in causa prædicta semper est una, & eadem, eo quod cuicumque causæ, quæ est una formaliter, solum una ratio formalis *sub qua* correspondere debet: ergò idem de conceptu.

Resp. ad replicam, neg. ant. & ad primam probat. neg. min. Quia significata per vocem æquivocam, solum adunantur in nomine, vel in voce, quæ quidem solum est convenientia materialis, & propterea ex parte rationis *sub qua* merè materialiter, & non formaliter adunantur, & ideo sunt plura ut plura formaliter.

Ad secundam probat. nego conseq. Quia æquivocatio conceptus, est æquivocatio rigorosa desumpta ex modo significandi; unde si conceptus ex parte sui plura ut adunata representat, conceptus erit univocus, sed causa æquivoca solum talis denominatur per æquivalentiam ad virtutes specificè diversas; sicut Sol æquivaleat uni virtuti producenti ignem, & alteri producenti muscam, & alteri producenti murem, eo quod virtus illius suprema continet omnia prædicta; qua propter denominatio causa æquivocæ desumitur per ordinem ad effectum, quem producit, & causa quæ potest producere effectus æquivoce physicè, & inter se convenientes, æquivoca nominatur.

Quintò.

Quintò arguitur. Aliquis conceptus repræsentat æquivocè: ergò datur æquivocatio in mente. Prob. ant. Conceptus veri Leonis etiam Christum repræsentat; sed non repræsentat vtrumque nisi æquivocè tantum: ergò aliquis conceptus æquivocè repræsentat.

Confirm. Vox æquivoca est signum conceptus æquivoci; sed datur æquivocatio in voce: ergò etiam in mente reperitur æquivocatio. Prob. mai. Voces sunt signa conceptum: ergò vox æquivoca signum est conceptus æquivoci.

Resp. ad argum. neg. ant. & ad prob. dist. mai. Christum ut Leoni similem, conc. mai. Ut ab eo ex æquo distinctum, neg. mai. Quia in sententia admittente suppositionem impropriam in mente, conceptus veri Leonis repræsentat Christum ut similem verò Leoni, & cum eo convenientem; & ita non plura ut plura, vel æquivocè repræsentat.

Addimus probabilis esse, & totalitèr fortatè certum implicare suppositionem impropriam, & ita dum supposito conceptu veri Leonis supperaditur Christus, aut Leo de Tribu Iuda, destrui conceptum primum, & formari alium conceptum solum Christum repræsentantem, & pro eo supponentem.

Ad confirm. resp. neg. mai. & ad probat. dist. ant. Concep-

tuum quo ad substantiam, conc. ant. Quoadmodum, nego ant. & conseq. aut alijs terminis: Sunt signa quantum ad id, quod habent significationis, conced. ant. Quantum ad id, quod æquivocationis habent, nego ant. Voces namquè sunt signa conceptum quantum ad substantiam, eo quod nihil significatur per vocem, quod per conceptum repræsentatum non sit: non tamen eodem modo per vtrumque repræsentatur; siquidem eadem vox habet plures significationes, & ita repræsentat plura ut plura, vnus verò conceptus plures repræsentationes non habet, quia secundum suam entitatem, & naturam est similitudo naturalis obiecti, & ideò sicut entitas, & natura vna est, ita etiam vna est repræsentatio, & propterea ad exprimendum tres significationes repertas in voce, tres conceptus requiruntur. Instantia confirmationis invenitur in voce improprie supponente, quæ quidem est signum conceptus, & tamen solum est illius signum, quantum ad substantiam, vel quantum ad id, quod habet suppositionis, & non quantum ad id, quod habet improprietatis.

Sed contra solutionem prædictam instabis: Vox æquivoca necessario debet esse signum conceptus æquivoci: ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. primò: Vox æquivoca significat rem ut æqui-

æquivocè conceptam: ergò signum est conceptus æquivoci. Probat. ant. Vox significat rem ut conceptam: ergò vox æquivoca rem significat ut conceptam æquivocè.

Secundò prob. ant. Signum, & signatum proportionari debent; sed vox est signum conceptus: ergò vox æquivoca signum est conceptus æquivoci; alijs proportionem non habebunt.

Tertiò prob. ant. Vox est signum illius conceptus, à quo mensuratur, & regulatur significatio vocis; sed vox æquivoca solum à conceptu æquivoco mensuratur: ergò illius signum est. Prob. min. Regulatum, & regula, vel mensura, debent habere proportionem; sed solus conceptus æquivocus proportionem habet cum voce æquivoca: ergò vox æquivoca solum à conceptu æquivoco mensuratur.

Quartò prob. ant. Vox æquivoca est effectus conceptus æquivoci: ergò signum illius est. Prob. ant. Æquivocatio, ut æquivocatio formalitèr est effectus; alicuius conceptus; siquidem æquivocatio provenit ab imponente vocem ad plura significanda, & ita significamus sicut concipimus; sed non est effectus conceptus univoci; cum quo nullam proportionem habet, nec in illo continetur: ergò est effectus conceptus æquivoci.

Resp. ad replicam, neg. duo

anteced. prima, & ad probat. dist. ant. Ut conceptam quo ad substantiam, conc. ant. Quia id ipsum, quod concipimus significamus. Ut conceptam quoadmodum, neg. ant. & conseq. Quia vna voce plura, ut plura significamus, quæ tamen non vno conceptu, sed tribus conceptibus univocis, mente concipimus; sicut vna voce improprie obiectum significamus, quod tamen non improprie, sed proprie per conceptum intelligimus.

Et si dicas: bene valet: *Est album: ergò disgregativum visus: ergò album simpliciter est disgregativum simpliciter: ergò valebit etiam bene: Vox significat rem ut conceptam: ergò vox æquivoca rem ut conceptam æquivocè.*

Neg. conseq. Nec ea, quæ adducitur pro instantia, est similis formæ; quia in nostra consequentia arguitur ab antecedenti ad consequens cum addito repugnantem, videlicet, cum æquivocatione conceptus, quæ implicatoria est, quod tamen non contingit in altera consequentia, & alijs quæ poterant fieri.

Ad secundam probat. dist. min. conceptus quo ad substantiam, conc. min. quoadmodum, neg. min. & conseq. Quia vox significat id ipsum, quod apprehendimus; & ita est signum conceptus quo ad substantiam, quatenus significant idem, & propterea cum conceptu quo ad substantiam

tiam proportionari debet, sed non cum illo quantum admodum, quia quod per vocem exprimitur æquivocè, repræsentatur univocè per conceptum; sicut quod per vocem significatur improprie, proprie dicitur per conceptum.


Eadem ergò ratione non valet: *Vox significat media representatione conceptus: ergò vox æquivoca significat, mediante æquivoca representatione conceptus.* Quia modus, qui convenit voci ea parte, qua significat ad placitum, & dependet ab humana voluntate, quæ imponit vocem ad plura significanda, non potest conceptibus convenire, eo quod conceptus naturaliter repræsentat, & ita vox æquivoca non significat mediante repræsentatione conceptus æquivoca, sed medijs pluribus conceptibus significantibus plura, quæ simul per vocem significantur.

Ad tertiam probat. neg. min. & ad probat. dist. mai. in ratione regulati, & regulæ, conc. mai. in alijs extra rationem prædictam, nego mai. & dist. min. cum voce quoadmodum, conc. min. cum voce quo ad substantiam, nego min. & conseq. Quia vox solum regulatur, & mensuratur, aut exemplatur à conceptu quantum ad substantiam suæ significationis, & in hoc debent proportionem habere, & id ipsum debet per vocem significari, quod conceptus repræsentat; sed in modo sig-

nificandi non exemplatur vox à conceptu, nec mensuratur ab illo, eo quod modus vocis in conceptu reperiri non potest, quod satis constat ex dictis antecedenter.

Ad quartam prob. neg. ant. & ad probat. dist. mai. effectus per accidens, conc. mai. effectus per se, neg. mai. & min. & illius conseq. Quia esse vocem æquivocam consistit in eo, quod tres significationes diversæ in eadem, voce adveniunt, quod quidem provenit ex eo, quod per unum conceptum, vel ex vi unius conceptus, imponimus vocem ad unum significandum, & ex vi alterius ad aliud, ex quo per accidens consequitur coniunctio significationum in voce, & vocis æquivocatio, & ita ad quemcumque conceptum, per accidens tantum æquivocatio consequitur, propter voluntatem imponentem unicam vocem repræsentare simul plura, quæ pluribus conceptibus intelligimus, & cum effectus per accidens non petat assimilari suæ causæ per accidens;

indè fit ex æquivocatione vocis non inferri conceptum æquivocum.



§. VLTIMVS.

§. VLTIMVS.

Argumentum difficile solvitur.

TANDEM contra conclusionem arguitur conceptus, quo Angelus hominem, & equum cognoscit, repræsentat plura vt plura. Ergò datur conceptus æquivocus. Probat. ant. Conceptus ille repræsentat hominem, & equum secundum suas ultimas differentias; sed homo, & equus secundum suas ultimas differentias sunt plura vt plura, nam in ultimis differentijs nullam convenientiam habent, aliàs ultimæ differentiæ non essent primo diversæ: ergò conceptus iudicatus repræsentat plura vt plura.

Resp. ad argumentum negando ant. & ad probationem dist. min. plura in esse rei, & ex parte rationis quæ concedo min. plura in esse intelligibi, & ex parte rationis sub qua, neg. min. & conseq. Quia licet ultimæ differentie hominis, & equi secundum esse naturale, & entitativum, aut in esse rei nullam convenientiam habeant; illam tamen habent in esse intelligibili, & ex parte rationis sub qua per conceptum Angeli repræsentantur formaliter, eo quod per conceptum illum repræsentantur ipsæ ultimæ differentie vt gaudentes immaterialitate aliqua superiori correspondente

virtuti superiori repræsentativæ conceptus, quæ quidem immaterialitas est quædam forma, vel habitudo superior, per quam equus, & homo ordinantur ad finem utriusque communem, vel attrahuntur sub abstractione aliqua superiori: Vnde idem Angeli conceptus repræsentat immediate omnes aves; v.g. vt pertinentes ad ornatum Elementi, vel omnes herbas vt conducentes ad medicinalem virtutem, vel hominis sanitatem, & plura huiusmodi alia quatenus ordinantur ad integrandum univèrsum, aut partem principalem illius, & eodem modo repræsentat conceptus ille prædicata communia, & univèrsalia quatenus in alijs reperta, & eis mediantibus ad finem similem conducentia, quod utique dicimus vt replicæ satisfaciamus occultæ, qua quis poterat contra doctrinam nostram insurgere.

Sed instabis primo: Quia saltem conceptus, quo Angelus cognoscit extrema huius propositionis *homo non est gratia*, repræsentat plura vt plura etiam ex parte rationis sub qua: ergò talis conceptus erit æquivocus. Prob. ant. Homo, & gratia etiam ex parte rationis sub qua nullam habent convenientiam; siquidem non adiutantur in forma, vel habitudine ad finem aliquem superiorem: ergò conceptus, quo Angelus extrema prædicta cognoscit, plura vt plura repræsentat.

Se-

Secundò instabis : Obiecta, quæ conveniunt in aliqua ratione sub qua, etiam in se ipsis habent aliquam convenientiam ex parte rationis quæ; sed homo, & equus secundum ultimas differentias, nullam habent convenientiam in se ipsis ex parte rationis quæ: ergò etiam ex parte rationis sub qua nullam convenientiam habent.

Resp. ad primam replicam neg. ant. Quia quamvis homo, & gratia secundum suas naturas, & ultimas differentias convenientiam non habeant in aliqua ratione sub qua, & ita per conceptum diversum attingantur ab Angelo, homo quidem conceptu naturali, & gratia supernaturali conceptu; si tamen homo, & gratia considerentur ut partes propositionis prædictæ, vel quatenus secundum suas ultimas differentias ad idem perficiendum ordinantur, unico tantum representantur conceptu.

Secundò resp. Quod prædicatum supernaturale attingitur per modum repugnantis subiecto eodem conceptum cognoscitur connotativè ex parte rationis quæ, & si non ita quando quidditative cognoscitur, nisi conceptus supernaturalis sit.

Ad secundam instantiam, resp. dist. mai. rationis quæ in esse intelligibili, conc. mai. in esse entitativo, neg. mai. & sub eadem distinctione minoris nega-

tur conseq. Quia homo, & equus secundum ultimas differentias, etiam in ipsa ratione quæ convenientiam habent in esse intelligibili, & representabili, siquidem utraque ultima differentia gaudet immaterialitate superiori per ordinem ad essentiam, & ideam Divinam aqua species Angeli derivatur.

Indè tamen non inferas; hominem, & equum ipsam immaterialitatem Angeli cognoscentis adæquare: quia cognoscens conaturalitè obiectum aliquod, non debet cum eo in eodem gradu immaterialitatis necessario convenire, sed solum convenire, vel excedere debet, qualitèr Angelus immaterialitatem rei materialis excedit, & constat in Deo omnia connaturalitè cognoscente, cum tamen infinitè superet omnia.

Sed instabis primò: Prædicta convenientia in ultimis differentijs hominis, & equi non est vnde proveniat: ergò talem convenientiam non habent. Prob. ant. Non provenit ab ipsis differentijs, cum ipsæ sint primo diversæ, nec ultra provenit ab specie Angeli, siquidem species non præbet unitatem obiecto, sed potius accipit unitatem ab illo: ergò prædicta convenientia non est vnde proveniat.

Secundò instabis: Homo, & equus secundum suas ultimas differentias nullam convenientiam ha-

habent in ordine ad divinam ideam, sed potius in ordine ad ipsam sunt plura, ut plura, siquidem homo, & equus habent distinctas ideas: Ergò etiam in ordine ad speciem Angeli nullam convenientiam habent. Nam species Angeli universalior non est idea divina.

Tertiò instabis: Si equus, & homo in se ipsis ex parte rationis quæ, convenientiam haberent, Angelus mediante suo conceptu non comprehensivè, & distinctè attingeret hominem, & equum, sed solum imperfectè, & confusè; sed Angelus comprehensivè, & distinctè hominem, & equum attingit: Ergò idem quod prius. Probat. mai. Attingeret Angelus in eo casu equum, & hominem, ut convenientes in aliqua ratione communi: Ergò imperfectè, & confusè, sicut qui attingit hominè, & equum secundum rationem animalis utriusque communem, confusè tantum, & imperfectè hominem, & equum attingit.

Resp. ad primam replicam neg. ant. & ad probat. dist. ant. ab ipsis secundum esse physicum, conc. ant. secundum esse intelligibile, neg. ant. Quia quamvis differentia secundum esse physicum sint primò diversæ, consideratæ tamè connexivè, & in ordine ad speciem Angeli, vel ut representabiles per ipsam, habent formalitèr convenientiam, aqua quidem convenientia in genere causæ formalis summit species Angelica unita-

Mag. Froylan.

tem suam, quamvis prædicta unitas obiectiva etiam per speciem Angeli, veluti per effectum, & à posteriori probetur. Exemplum commune ad est in conceptu, quo Petrum cognoscimus, qui idem numero est signum formale respectu nostri, & instrumentale comparativè ad Angelum, & consequentè in ratione signi est formalitèr diversus, eo quod ipse Petrus comparatus ad cognitiones diversas, gaudet immaterialitate diversa, & est diversus formalitèr.

Communis, & nostræ solutionis doctrina constat ex eo, quod species Angeli non desumuntur à rebus, sed potius ab idea, & essentia divina immediatè derivantur, & ideò non mensurantur à rebus quatenus sunt in se ipsis, sed quatenus comparantur ad essentiam divinam, ut ideam, & speciem: cumque in ordine ad essentiam divinam, ut speciem, & ideam advenantur equus, & homo, consequens fit, quod etiam in ordine ad speciem Angeli adunari debent; sicut figura impræssa ceræ, vel chartæ representat Sanctum Dominicum, & catulum, & Inquisitoris insignia, eo quod prædicta figura non accipit unitatem à rebus pro ut in se, sed ab illis comparativè, & secundum modum essendi, quem habent in sigillo in quo uniuatur, & à quo effectivè derivantur.

Ex prædicta doctrina habes, X quod

quod sicut species à Deo Angelo infusa descendit ab idea Divina cum superioritate in representando, ita etiam ipsa objecta quatenus à Deo producta talem habent immaterialitatem, qua possint representari per speciem Angeli, sicut objecta creata producuntur à Deo ea immaterialitate qua per essentiam Divinam representari possint, qua propter immaterialitatem predictam invenitur in objectis, & diversa est quatenus ipsa objecta ad diversa comparantur, & ab hac immaterialitate superiori in qua equus, & homo conveniunt, provenit tanquam à causa formali convenientia in esse intelligibili, aut representabili per speciem Angelo infusam, & ab idea divina derivatam.

Ad secundam instantiam, dist. ant. ideam divinam, ut productivam, conc. ant. ut representativam, neg. ant. & conseq. Quia species Angeli solum exemplatur ab idea divina, ut representativa, & non ab illa quatenus productiva est, & ideo quamvis idea equi, & hominis productiva diversa sit, quia tamen eadem simplicissima essentia divina cum summa unitate utriusque representativa est, propterea eadem species Angeli utrumque representare potest. Nec inconveniens est, speciem Angeli ideam divinam, ut productivam excedere, cum etiam per eandem speciem humanam, quandoque

represententur plura, quæ diversam habent ideam.

Et si dicas: Speciem Angeli ab ea idea exemplari, aqua fit; sed fit ab idea divina, ut productiva. Ergo exemplatur, & mensuratur ab ea.

Resp. dist. min. ut productiva sui, conc. min. ut productiva hominis, & equi, neg. min. Quia species Angeli non fit ab idea productiva hominis, & equi, sed ab idea productiva sui, idea autem productiva sui, est ipsa essentia divina, ut superiori modo representans, & hoc modo species Angeli imitatur illam superiori etiam modo representando.

Ad tertiam instantiam, neg. mai. & ad prob. dist. ant. *Communi*: Communitate prædicati formalis, conc. ant. prædicati potentialis, & universalis, neg. ant. & conseq. Nam aliqua duo possunt cognosci quatenus conveniunt in aliquo prædicato potenciali, & universaliter contrahibili ad diversas species, aut individua diversa per eorum differentias, quæ tale prædicatum continet in potentia, & à quibus abstrahit abstractione totali, & dum ita aliqua cognoscuntur, imperfectè etiam, & confusè attinguntur, qualiter equus, & homo cognoscuntur, quando attinguntur secundum rationem animalis utriusque communem, eo quod tunc attinguntur equus, & homo præcisè, ut animal, & non secundum proprias utriusque differ-

rentias.

rentias. Possunt insuper aliqua duo cognosci, ut convenientia in aliquo prædicato communi per modum formæ ad utrumque secundum propriam utriusque differentiam, & in hoc eventu distinctè, & perfectè cognoscuntur, quia propria, & distincta utriusque differentia sub ea forma per modum substrati importatur, & consequenter, etiam, ut distincta ex parte substrati cognoscitur. Sicut dum substantia, & accidens attinguntur sub abstractione metaphisica attinguntur etiam ut convenientia in forma utriusque in esse scibilis, & tamen ex parte rationis quæ clarè, & distinctè attinguntur.

Sed instabis: Cognoscere aliquid in universaliter, est cognoscere ipsum imperfectè, & confusè; sed cognoscere aliqua duo, ut conveniunt, est cognoscere ea in universaliter, id est in prædicato illo communi in quo convenientiam habent: Ergo quæ ita cognoscuntur, imperfectè cognoscuntur.

Resp. dist. mai. in universaliter ex parte rei, vel in se, conc. mai. in esse intelligibili, vel ex parte medi, neg. mai. & dist. min. ut conveniunt in aliquo communi ex parte rei, vel in re, conc. min. in esse intelligibili, neg. min. & conseq. Quia attingere aliqua in universaliter ex parte rei, vel ut conveniunt in aliquo prædicato in re communi, est imperfectè attingentia, sed attingere aliqua, ut conveniunt in universaliter, vel in prædicato com-

muni in esse intelligibili, aut per modum formæ non est imperfectè attingentia, sed potius est attingere distinctas differentias, & naturas perfectè, & distinctè, ut convenientes in esse intelligibili, aut in ordine ad aliquod medi. Quam doctrinam 1. p. q. 55. art. 3. ad 2. tradit Angelicus Doctor sequentibus verbis: *Cognoscere aliquid in universaliter dicitur dupliciter: Vno modo ex parte rei cognita, ut scilicet cognoscatur solum universalis natura rei; & sic cognoscere aliquid in universaliter est imperfectè, imperfectè enim cognosceret hominem, qui cognosceret de eo solum quod est animal: Alio modo ex parte medi cognoscendi, & sic perfectè est cognoscere aliquid in universaliter, perfectior enim est intellectus, qui per unum universale medium potest singula propria cognoscere, quam qui non potest.*

§. ULTIMVS.

Corollarium ex dictis.

EX dictis in articuli discursu colligitur intellectum non posse simul etiam cognitione diversa intelligere æquivoce, vel intelligere plura, ut plura, aut ad invicem inter se non ordinata. Quam doctrinam 1. p. q. 58. art. 4. habet Angelicus Doct.

Doctrinam probamus illatam, quia implicat idem subiectum, simul actuari duplici vel ima actualitate eiusdem generis, sicut implicat idem corpus pluribus ter-

minari figuris, & eandem lineam pluribus terminari punctis; sed cognitio est vltima actualitas intellectus, & cognitiones attingentes plura, vt plura, & ad invicem non ordinata, sunt plures formaliter: Ergo implicat eundem intellectum simul tales cognitiones habere, vel diversis cognitionibus intelligere plura, vt plura.


Sed instabis: Quia Angelus alia cognitione se ipsum per suam substantiam intelligit, & alia simul Coelum quod movet, alia se, & alia ea, quae illius custodiae commissa sunt, & Christus simul habebat cognitiones scientiae beatae scientiae infusae, & naturalis: Ergo non implicat eundem intellectum diversis simul cognitionibus actuari.

Resp. dist. consequens diversis subordinatis, conc. consequ. diversis non ordinatis, neg. consequ. Quia plura, vt ordinata quamvis de materiali sint plura, formaliter tamen sunt vnum comparative ad potentiam, nam vt communiter dicitur: *Vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum*, & ideo quamvis repugnet eundem intellectum habere plures cognitiones non ordinatas, vel attingentes plura, vt plura, in quo eventu essent forma-


liter plures; non tamen implicat simul habere cognitiones ordinatas, qualiter comparantur cognitiones in argumento velatae, quia cognitio, qua Angelus intelligit se subordinatur cognitioni Dei, & simul subordinat sibi cognitionem, qua movet Coelum nam hac secunda ordinatur ad perfectam Angeli cognitionem, sicut etiam ad perfectam Angeli cognitionem ordinatur cognitio illorum, quae Custodiae Angeli committuntur; & idem de cognitione scientiae beatae, quae sibi subordinat alias cognitiones in Christo.

Probare etiam aliter poteramus doctrinam illatam ex eo quod implicat idem subiectum perfici pluribus formis eiusdem generis, & eiusdem ordinis, sicut implicat idem corpus pluribus terminari figuris; sed omnes species, & cognitiones omnes sunt eiusdem generis, & eiusdem ordinis: Ergo implicat eundem intellectum simul intelligere plura, vt plura etiam specie distincta, & cognitione diversa. Quae vero contra rationem sub hac forma propositam, poterant opponi, ex commento laici facili, diluuntur.

(y)



QVÆST.



QVÆST. QUINTA.

DE PROPOSITIONE.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM PROPOSITIO MENTALIS SIT simplex qualitas.

S. PRIMVS.

Quibusdam suppositis statuitur negativa conclusio.

SATIS difficilis est difficultas quam in presenti examinare tentamus, ad cuius intelligentiam praemitimus: obiectivam compositionem in duplici propositione tanquam in signo reperiri posse, in vocali videlicet propositione tanquam in signo ad placitum significante, sub quo etiam scripta propositio ad propositum continetur, & insuper in propositione

mentali naturaliter representante veritatem in obiecto reperiuntur; & quamvis de propositione ad utramque communi quadam dixerimus in dialectica compendio, placet tamen super addere pauca; diffinitur autem propositio ad utramque communis per esse orationem verum, vel falsum significantem, cuius diffinitionis bonitas ex ibi dictis explicata relinquitur.

Mag. Froylan.

X 3

Col 7

Contra praedictam tamen diffinitionem instabis primo: Quod oratio explicans propositionem per verum, vel falsum est vera divisio, siquidem propositio adequatè dividitur in veram, vel falsam. Ergò non benè diffinitur propositio per verum, vel falsum.

Confirm. Nulla diffinitio potest dari per opposita, quæ simul in eadem specie, & essentia esse non possunt; sed verum, vel falsum sunt opposita. Ergò non benè per ea diffinitur propositio.

Resp. ad argumentum, dist. ant. per verum, vel falsam in recto, conc. ant. terminativè, & in obliquo, neg. ant. si namque diceret, propositio alia vera, alia falsa, esset vera divisio eo quod membra dividenda importantur in recto; sed tradita diffinitio solum datur per verum, vel falsum terminativè, & in obliquo, quod bonitati diffinitionis non obstat.

Ad confirm. dist. mai. per opposita compositivè, conced. mai. per opposita exclusivè, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia propositio diffinitur per verum, vel falsum exclusivè, quatenus essentia propositionis consistit in eo, quod unum, vel alterum radicet, sicut essentia naturæ consistit in eo, quod sit radix motus, vel quietis, quamvis utrumque simul habere non possit exercitè.

Dices: Homo non potest diffiniri benè per esse animal rationale, vel irrationale exclusivè. Er-

gò bona diffinitio dari non potest per opposita exclusivè.

Sed neg. conseq. Quia homo capax irrationalitatis non est, & ut diffiniretur per unum, vel alterum exclusivè, debebat ad utrumque capacitatem habere, qualem habet propositio ad esse veram, vel falsam.

Sed instabis: Ergò essentia propositionis consistit in eo, quod unum, vel alterum determinatè, & exclusivè radicet cum capacitate ad utrumque, licet non simul habendum: Ergò non salvatur propositio essentia in omni propositione, siquidem aliqua propositio, v.g. *Ista Deus est*, incapax est falsitatis.

Resp. dist. Primum consequens: Cum capacitate ad utrumque ex conceptu enuntiationis, conc. conseq. ex conceptu peculiari, neg. conseq. Quia essentia propositionis sita est in eo, quod unum, vel alterum radicet ex conceptu enuntiationis, ex quo exigit esse conformem, vel difformem obiecto, & consequenter esse veram, vel esse falsam, quod quidem in omni propositione reperitur, nec supradictæ propositioni Deus est repugnat falsitas ex conceptu enuntiationis, sed solum ex parte rei, quam enuntiat, sicut etiam hæc propositio homo est animal essentialitè vera est ex parte rei significatæ, & unitæ, & idem de omni propositione, quæ per scientiam, vel per fidem attingitur.

Et

Et si dicas: Ergò etiam animal poterat diffiniri per esse vivens rationale, vel irrationale, quia licet in re unum, vel alterum exclusivè habere debeat, ex conceptu tamen animalis nullius incapax est.

Neg. conseq. Quia dum dicitur propositio est oratio, verum, vel falsum significans, idem est ac si diceretur oratio veritatem, vel falsitatem radicans, & ita explicatur differentia propositionis propria, quæ consistit in conceptu radicis veri, vel falsi exclusivè, dum tamen dicitur animal vivens rationale, vel irrationale non explicatur differentia propria animalis distinctiva ab omni alio, in qua quidè differentia proprietates animalis radicentur, sed tantum explicatur aliquid commune cōtrahibile per differentias prædictas.

Secundò arguitur, hæc oratio verum, vel falsum significat verum, vel falsum, & similiter iudicium intellectus est verum, vel falsum, quia est conforme, vel difforme suo obiecto, & tamen nullum horum propositio est. Ergò diffinitio tradita alijs ad infinitum cōvenit, & consequenter bona non est.

Confirm. & vrgetur ab opposito, quia propositio in communi non significat determinatè verum aliàs essentia propositionis non conveniret propositioni falsæ, nec significat determinatè falsum, aliàs non conveniret essentia propositioni veræ. Ergò non

significat verum, vel falsum exclusivè.

Confirm. secundò: Dabilis est propositio, quæ non significet verum, nec falsum. Ergò non benè propositio per verum, vel falsum diffinitur, prob. ant. primò. In hac propositione homo est animal, quæ dum componit istam *homo est animal*, est propositio, non significat verum, vel falsum. Ergò dabilis est propositio, quæ non significet verum, vel falsum. Prob. ant. Subiectum propositionis non significat verum, vel falsum, sed prædicta propositio dum componit alteram solum est subiectum. Ergò.

Secundò prob. ant. Propositio conditionalis non est vera, vel falsa; sed solum est bona consequentia, vel mala. Ergò idem quod prius.

Tertiò prob. ant. Naturalis similitudo rei namquam est falsa; sed propositio mentalis est naturalis similitudo rei. Ergò idem.

Quartò prob. Propositiones se falsificantes: V.g. *Ego semper mentior*. *Omnis propositio est particularis*, non significat verum determinatè, nec falsum. Ergò idem. Prob. ant. Si propositio, *ego semper mentior*, significat verum, dum illam profero non mentior, & consequenter ipsam profereudo, falsifico illam. Et si significat verum, dum illam profero, non facio propositionem universalem, & consequenter omnis propositio est particularis non erit universalis.

X4.

pro-

propositio. Et similiter, si ego semper mentior significat falsum, dum illam profero dico verum, & consequenter est vera, & si alia significat falsum, erit etiam falsum ipsam esse universalem, & consequenter *omnis propositio est particularis* erit propositio vera, & propterea propositiones prædictæ dicuntur se falsificantes, quia ex quo sint veræ sequitur esse falsas, & ex quo sint falsæ sequitur esse veras.

Quintò prob. ant. Si ego diluculo dicam, propositio prima ame in vespere proferenda est vera, & rursus in vespere primo dicam, illa propositio in diluculo ame pro-lata fuit falsa, prima propositio nec est vera, nec est falsa. Ergò idem, prob. ant. Si prima vera est eo erit, quia secunda, quam affirmavit fore veram, vera utique est; sed si secunda vera est, iam prima non erit vera, si quidem secunda asserit primam fuisse falsum. Ergò prima vera non est: Si autem prima falsa est. Ergò secunda, quam affirmavit fore veram, non est vera; sed si secunda non est vera, eo erit, quia prima, quæ asserit fuisse falsam, non est falsa. Ergò prima non erit falsa, sed vera.

Resp. ad argumentum: Quod hæc oratio verum, vel falsum significat verum, vel falsum signatè, & per modum rei, non tamen exercitè vnum de alio exercitè affirmando, vel negando, quod est proprium propositionis. Iudicium similiter intellectus significat ve-

rum signatè, & obiectivè iudicando, ita esse, vel non esse, non tamen enuntiando, qualiter propositio, vnde iudicium fertur in totam propositionem iam factam. Et si addas istam orationem *verum, vel falsum exercitè*, significare verum, vel falsum exercitè: Respondemus significare verum, vel falsum exercitè ex parte rei, & exercitè sumpto signatè, non tamen exercitè ex parte modi enuntiandi, aut exercitè significativè, non exercitè effectivè, quia nihil efficit verum.

Ad primam confirm. Resp. dist. consequens: Verum, vel falsum exercitum in ratione communi, concedo consequ. In singularibus exercendum, neg. consequ. Quia de essentia propositionis est significare verum, vel falsum exclusivè, non quidem veritate, vel falsitate exercita in ratione communi, sed solum in singularibus exercenda, & hoc modo propositio in communi verum, vel falsum significat.

Ad secundam confirm. neg. ant. & ad primam prob. resp. Propositionem prædictam reduplicativè, ut alteram componentem, non esse propositionem, sed esse formalitè terminum, & ita mirū, nō est, nō significare verū, vel falsum, dū verò cōponit istā homo est animal est verū, adhuc pro vt ibi non significat verū formalitè, nec propterea falsa est, quia prædicatum non dicitur de illa reduplica-

cativè pro vt ibi, sed solum de illa specificativè sumpta, & ex parte rationis quæ, nam in hac consideratione significat verum, & est formalitè propositio.

Ad secundam probationem dist. ant. si particula sumitur illativè, conc. ant. si purè vnitivè, nego antec. & consequ. Quia si particula si sumitur pure vnitivè, non constituit argumentationem, sed propositionem hypoteticam, quæ dicitur vera, vel falsa.

Ad tertiam probationem, dist. mai. relativè ad signatum, conc. mai. relativè ad subiectum signati, neg. mai. & concessa min. neg. consequ. Similitudo namque naturalis non est falsa relativè ad signatum, quia illi verè assimilatur, est tamen falsa relativè ad subiectum eo quod est similitudo rei, quæ non est in subiecto de quo dicitur.

Ad quartam prob. Respondent aliqui: Omnes propositiones se falsificantes: Esse solum propositiones in voce, & quantum ad apparietiam, non verò quantum ad sensum, & rem, quia nullum habent obiectum, nec exprimunt aliquem conceptum mentis: qui namq̄ asserit omnē propositionē esse particularem, non potest formare iudicium de eo, quod ita sit, siquidem exercitè asserit ita non esse proferendo universalē propositionem: nec item potest formare iudicium de eo, quod ita non sit, siquidē expressè affirmat ita esse,

Insuper etiam hoc persuadent ex eo, quod dum quis ducit, hæc propositio est falsa, ego semper mentior, subiectam videlicet hæc propositio nihil esse distinctum repræsentat. Ergò non significat. Probatur antec. Dum dicitur hæc propositio nulla præexistit propositio, quæ demonstrari possit, nam propositio, quæ poterat demonstrari non dum est constructa. Ergò subiectum nihil à se distinctum repræsentat.

Sed revera inter propositiones se falsificantes latissima differentia est, nam aliqua verum habent obiectum, & verum exprimunt iudicium, sicut istæ *omnis propositio est particularis, ego semper mentior*, quæ quidem si se ipsas non habent pro obiecto significant verum dum ita est, quod affirmant, & ideò verum exprimunt iudiciū, nam dum dico, *omnis propositio est particularis* si intendo omnem aliā distinctam ab ista comprehendere, propositio erit vera, si omnis alia particularis sit, si autem intendam etiam comprehendere ipsam, erit ipsa falsa, eo quod ipsa particularis non est, cum tamen sit aliqua propositio.

Et si dicas: Nullam propositionem se ipsam posse habere pro obiecto, quia obiectum debet esse à propositione distinctum, sicut nulla vox se ipsam significat, nec ullus conceptus de se ipso iudicat.

Resp. Nullam propositionem posse se ipsam habere pro obiecto adequato, bene tamē pro obiecto

in adæquato, & partiali, sicut vox significat omnem vocem, & consequenter in adæquatè se ipsam, & conceptus quo intellectus iudicat on-ne ens habere esse, iudicat etiam de se ipso in adæquate.

Et si iterum dicas: Propositionem se ipsam habentem pro obiecto involuere iudicia opposita circa idem: negamus assumptum, quia dum quis dicens omnis propositio est particularis, & ego semper mentior intendit etiam ipsas comprehendere, solum format determinatum iudicium de eo, quod verum non dicat, sed falsum.

Argumentum verò supra factum nihil probat, nec verum assumit, quia dum dicitur *hæc propositio ego mentior* ly hæc non designat propositionem, quæ iam est, sed propositionem, quæ fit, & illam verè designat, sicut dum dicitur, hæc propositio homo est animal, ly hæc non designat propositionem præcedentem, sed propositionem, quæ fit immediate post, aut immediate sequentem, & cum dicitur hoc est corpus meum per verba consecrationis, ly hoc non designat contentum sub speciebus, quod est cum in principio sit panis, & non Corpus Christi, sed solum designat contentum, quod per ea verba fit.

Aliæ verò propositiones solum in apparientia rationem pro-

positionis obtinent, nec revera habent obiectum causativum veritatis, vel falsitatis, sed potius cum veritate, & falsitate repugnans, qualis est illa propositio in quinta probatione relata, & similiter ista omnis propositio est falsa, quæ nec potest dicere verum, nec falsum, nam si verum dicit ipsa erit vera: ergo quia aliqua propositio non est falsa: ergo hæc omnis propositio est falsa, non est vera: intuper etiam preposito prædicta non potest dicere falsum alias esset falsa; sed si est falsa, est vera: ergo nequit dicere falsum. Prob. min. Si est falsa: ergo verum est omnem propositionem esse falsam: ergo hæc, omnis propositio est falsa, erit vera. Per quæ patet ad quintam, & ultimam probationem.

Secundò supponendum est: Propositionem vocalem, & scriptam esse compositas qualitates ex subiecto, copula, & prædicato constantes; sed de propositione mentali non levis controversia est. Triplex tamen mentalis propositio invenitur; alia quidem apprehensiva, quæ videlicet est apprehensio subiecti, copulæ, & prædicati secundum suas naturas, non tamen unum de altero affirmando, vel negando, de qua quidem certum est esse compositam qualitatem cum importet unum actum intellectus attingentem subiectum, & alium attingentem prædicatum, & alium copulam atting-

attingentem: alia insuper est propositio mentalis iudicativa, quæ solum importat unicum actum intellectus iudicantem de enuntiatione iam facta, & ita simplex qualitas est.

Et si dicas: D. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. in corp. Affirmare, quod quando intellectus iudicat rem ita se habere, sicut est, tunc dicit verum, & hoc facere componendo, & dividendo: ergo iudicium intellectus est compositum, & non simplex.

Resp. D. Thom. Non loqui de iudicio signato, quo quis iudicat de tota enuntiatione iam facta, sed loqui de iudicio exercito, quo intellectus dum enuntiat, & propositionem facit, exercite iudicat se componere, & recte enuntiare, quæ solutio ex ipso corpore articuli manifesta est.

Præter propositiones mentales enumeratas: Alia media reperitur, quæ dicitur enuntiativa, quando videlicet intellectus concipit unum, & alterum, unum de altero affirmando, vel negando, & ad hanc propositionem mentalem tota devolvitur difficultas in qua.

Affirmat prima sententia: Propositionem mentalem enuntiativam esse simplicem qualitatem, quam quidem plures Thomistæ defendunt, ut Ferrara 1. contrag. cap. 55. Soto lib. 2. Sum. cap. 5. S. Thoma q. 5. de enuntiatione, art. 1, quibus novissime

adharet Lince, & plurimi in manu scriptis.

Secunda sententia asserit: Propositionem prædictam esse compositam qualitatem, ita Nazarius 1. p. q. 58. art. 2. Aran. 6. Metaphysice, q. 2. art. 2. Subtilis Mag. Ortiz, & Thomistæ magis communiter cum quibus.

§. II.

NOSTRA CONCLUSIO.

Propositio mentalis enuntiativa non est simplex, sed composita qualitas.

CONCLUSIONEM istam expressit D. Thom. 1. post lect. 1. per ea verba: *Veritas, & falsitas nunquam invenitur in intellectu nisi per hoc quod unus simplex conceptus comparatur alteri.* Et 1. per hierm. lect. 3. & 1. p. q. 14. art. 14. & q. 58. art. 4. ad 1. & q. 85. art. 5. Vbi probat intellectum humanum intelligere componendo, & discurrendo, quia non statim percipit prædicatum in subiecto, nec conclusiones in principio continente, sed successive, & paulatim venit imperfectam cognitionem veritatis.

Insuper etiam 2. 2. q. 1. art. 2. asserit, obiectum fidei esse aliquid incomplexum ex parte rei creditæ, esse tamen complexum per modum anuntiabilis ex parte credentis, quia cognita sunt in cog-

cognoscente secundum modum cognoscentis, & cum modus proprius intellectus humani sit cognoscere componendo, ideo quæ sunt simplicia, complexe ex parte sui, vel compositivè intelligit intellectus.

Ratione verò efficaci ex prædictis locis desumpta, conclusionem suademus: quia intellectus humanus dum format propositionem mentalem, intelligit componendo, & dividendo, ut docet D. Thom. Locis anteedenter relatis, & in hoc ab intellectu Angeli difert; sed compositio salvari non potest absque pluralitate conceptuum: ergò propositio enuntiativa mentalis non est simplex qualitas, sed potius composita ex conceptibus diversis. Prob. min. Unicus simplex conceptus non facit compositionem, quia compositio est distinctorum unio, & ita eisdem ad se ipsum vera compositio non datur: ergò compositio salvari non potest absque pluralitate conceptuum.

Secundò prob. min. Non intelligitur compositio, nisi intelligantur partes, quarum una se habeat, ut forma determinans, & alia ut potentia determinabilis; sed unus, & idem conceptus non potest se habere ut materia, vel potentia determinabilis, & simul ut forma determinans cum idem non possit determinare se ipsum: ergò idem quod prius.

Tertio prob. min. Compo-

sitio enuntiativa est unio unius cum altero, vel attributio unius ad alterum ut subiectum; sed attributio unius ad alterum absque pluralitate conceptuum inveniri non potest, siquidem eiusdem ad se ipsum non potest fieri comparatio, & attributio: ergò idem.

Confirm. & vrgetur ratio prædicta: Compositio mentalis representat in recto, distinctè, & expressè, subiectum, copulam, & prædicatum, siquidem representat in recto totam compositionem obiectivam, & hæc importat in recto subiectum, copulam, & prædicatum, eo quod totum quantum tale non importat unam partem in recto, & alteram in obliquo, sed omnes importat in recto, sed unicus, & simplex conceptus non potest representare subiectum, copulam, & prædicatum explicitè distinctè, & in recto: ergò compositio mentalis absque pluralitate conceptuum inveniri non potest. Prob. min. Plura obiecta quamvis ordinata explicitè attracta, & in recto exigunt plures conceptus ordinate se habentes: ergò unicus, & simplex conceptus non potest explicitè, & in recto attingere subiectum, copulam, & prædicatum. Ant. prob. Quia partes termini complexi ordinatè se habent, & tamen pluribus sub ordinantur conceptibus; & insuper quia plura obiecta disparatè, & sine ordine se habentia

ria exigunt plures conceptus disparatè se habentes: Ergò plura obiecta ordinata in recto, & explicitè attracta secundum proprias, & peculiare rationes exigunt plures conceptus ordinate se habentes.

Respondet Lingé. Cum alijs potius esse necessarium unicum, & simplicem conceptuum attingere subiectum, copulam, & prædicatum, quia conceptus, qui copulam attingit unicus est, & iste non potest non attingere prædicatum, & subiectum, eo quod per eundem conceptum, quo attingitur unio exercita inter aliqua, ipsa etiã extrema unia representantur.

Hæc tamen solutio principio nititur falso, quia conceptus, qui exercitam unionem attingit non propterea debet attingere extrema explicitè, & in recto, sed dumtaxat in obliquo, sed conceptus, qui subiectum, & prædicatum solum in obliquo attingit non est propositio mentalis, cum non exprimat in recto totam compositionem obiectivam: Ergò idem quod antea. Prob. mai. Ideò conceptus prædictus in recto, & explicitè deberet attingere extrema, quia exercitam unionem attingit; sed inde non inferitur: Ergò non debet attingere extrema in recto, & explicitè. Prob. min. Copula vocalis representat unionem exercitam prædicati cum subiecto, & tamen extrema non representat in recto, & explicitè, alias sola

copula verbalis constitueret propositionem vocalem, & consequenter etiam propositio vocalis esset qualitas simplex: Ergò ex quo conceptus unionem exercitam representet, non inferitur extrema unia representare in recto, & explicitè.

Secundò impugnatur: Impliat eundem conceptum in recto, & explicitè representare subiectum, & prædicatum quamvis ad invicem ordinentur; Ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. Primò conceptus, qui attingit subiectum in recto, attingit in obliquo prædicatum, & conceptus, qui attingit prædicatum in recto attingit in obliquo subiectum, sed implicat eundem conceptum attingere prædicatum in recto, & in obliquo simul, & idem de subiecto dicendum: Ergò implicat eundem conceptum in recto, & explicitè representare subiectum, & illius prædicatum.

Secundò. Prob. ant. conceptus: Qui attingit prædicatum in recto per se primò terminatur ad relationem prædicati ad subiectum, & qui subiectum in recto attingit, respicit per se primò relationem illius ad prædicatum; sed implicat eundem conceptum per se primò terminari ad utramque relationem: ergò idè quod prius. Prob. min. Impliat eundem conceptum per se primò comparare prædicatum ad subiectum, & etiam subiectum ad prædicatum:

ergò implicat ad relationem utriusque per se primò terminari. Prob. ant. Comparatio subiecti ad prædicatum, & comparatio prædicati ad subiectum, sunt comparationes formalitèr diversæ, cum habeant terminos distinctos formalitèr, ut per se manifestum est; sed comparationes formalitèr diversæ important necessario conceptus, & actus comparantes formalitèr diversos: ergò implicat eundem conceptum per se primò comparare prædicatum ad subiectum, & simul subiectum ad prædicatum.

Secundò ad rationem supra factam alijs terminis adversarij respondent asserentes compositionem, quam intellectus format in secunda operatione non esse compositionem formalem, sed dumtaxat virtuales, eo quod conceptus formatus in secunda operatione supponit plures conceptus in prima operatione existentes, & equivaleret omnibus illis, quatenus ipse solus attingit subiectum, copulam, & prædicatum, & unit omnia ea, quæ per plures conceptus in prima operatione attinguntur.

Verum solutio ista ex dictis impugnata relinquatur, siquidem probavimus eundem conceptum non posse explicite, & in recto subiectum, copulam, & prædicatum attingere. Viterius tamen impugnatur data solutio, quia ex eodem principio oritur intelle-

ctum humanum intelligere componendo, & intelligere discurrendo, ex eo videlicet, quod propter sui imperfectionem non statim videt prædicatum in subiecto, nec conclusiones in principio continente; sed ob hanc rationem discursus in tertia operatione repertus formalis est, & constat pluribus actibus distinctis realitèr: ergò etiam compositio in secunda operatione reperta debet esse formalis.

Impugnatur secundò: Si compositio in secunda operatione reperta esset tantum virtualis, non esset homo in secunda operatione distinctus ab Angelo, nam etiam Angelus virtualitèr componit, sicut etiam virtualitèr discurret; sed hoc non admittunt adversarij: ergò compositio in secunda operatione reperta formalis est.

Resp. Contrarij compositionem in secunda operatione intellectus humani repertam esse virtuales subiectivè, id est formalitèr supponentem plures conceptus in prima operatione eiusdem intellectus existentes, & ita per talem compositionem formalitèr distingui intellectum humanum ab intellectu Angeli, qui non supponit multitudinem conceptuum, & ideò non subiectivè; sed tantum obiectivè componit.

Hæc tamen solutio in efficaci est, quia multitudo concep-

tuum

tuum ad secundam operationem præsupposita non distinguit formalitèr intellectum humanum in secunda operatione ab intellectu Angeli: ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. Si tertia operatio intellectus humani esset tantum vnicus, & simplex actus, quamvis supponeret plures conceptus existentes in secunda operatione, non propterea intellectus humanus esset distinctus formalitèr in tertia operatione ab intellectu Angeli, ut adversarij fatentur: Ergò multitudo conceptuum ad secundam operationem præsupposita, non potest etiam formalitèr distinguere intellectum humanum in secunda operatione ab intellectu Angeli.

Explicatur sicut intellectus humanus in tertia operatione distinguitur ab intellectu Angeli, ita etiam distinguitur formalitèr in secunda; sed multitudo conceptuum præsupposita ad tertiam operationem satis non est ut debitè formalitèr distingatur in tertia: Ergò multitudo conceptuum præsupposita ad secundam non sufficit ut debitè formalitèr distingatur in secunda.

Explicatur vterius: Quia homo, viso principio non statim videt conclusiones in principio contentas, nedum præsuppositivè, sed etiam formalitèr debet in tertia operatione plures actus, & conceptus habere; sed homo viso subiecto non statim videt prædi-

cata, quæ possunt de subiecto enuntiari: Ergò nedum præsuppositivè, sed etiam formalitèr debet habere in secunda operatione plures conceptus, & actus.

Secundò rejicitur solutio data differentia inter Angelum, & hominem in secunda operatione, non solum debet esse in modo generandi conceptuum, sed etiam in modo attingendi simpliciter intuitu, vel compositè, aut intuitione diversa, sed multitudo conceptuum præsupposita solum facit differentiam in modo generandi conceptuum, vel quatenus conceptus ex pluribus præsuppositis generatur, non verò in modo attingendi, siquidem secunda operatio non diversa intuitione, sed vnico intuitu attingit obiectum: Ergò præsupposita multitudo non sufficit ut homo in secunda operatione debitè formalitèr ab Angelo distingatur.

Tertiò rejicitur multitudo præsupposita solum præsuppositivè distinguit: Ergò non sufficit ut homo in secunda operatione formalitèr ab Angelo distingatur. Prob. ant. Per multitudinem præsuppositam solum distinguitur homo in eo, quod præsupponitur ad secundam operationem: Ergò multitudo præsupposita tantum præsuppositivè distingit.

Quartò rejicitur data solutio: Quia multitudo præsupposita conceptuum non sufficit ut dicatur hominem propriè subiectivè

in-

intelligere componendo: Ergò idem quod prius. Prob. ant. Cognitio per quam Angelus attingit propositionem istam homo non est gratia supponit plures conceptus in Angelo, alium videlicet supernaturalem gratiæ, & alium hominis naturalem; & tamen hæc præsuppositio non sufficit ut dicatur Angelum in prædicta cognitione propriè subiectivè intelligere componendo: Ergò multitudo præsupposita conceptuum non sufficit ut dicatur hominem in secunda operatione propriè subiectivè intelligere componendo.

§. III.

Argumentis contra conclusionem occurritur.

CONTRA conclusionem nostram poterat in primis argui, ex Angel. Doct. qui 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. asserit: *Quod aliqua potentia cognoscitiva sunt, quæ ex speciebus prius conceptis alias formare possunt, sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis, & aurum format speciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis speciebus generis, & differentie format conceptum speciei, & similiter ex similitudine imaginis formare possumus in nobis similitudinem eius, cuius est imago: Ergò pariter intellectus noster ex præsuppositis conceptibus subiecti, copulæ, & prædicati poterit alium*

conceptum formare, quo attingat totam compositionem obiectivam, & efficiat propositionem mentalem quæ consequenter erit simplex qualitas in vno illo conceptu consistens.

Confirm. ex eodem D. Th. 1. p. q. 58. art. 2. in corp. asserente: *Quod intellectus noster simul intelligit subiectum, & prædicatum, prout sunt partes vnius propositionis, & duo comparata secundum quod conveniunt in vna comparatione, sicut sensus simul, & vnica operatione intelligit partes continui quatenus ununtur in toto: Ergò intellectus vnico conceptu subiectum, copulam, & prædicatum attingit, ac proinde propositio mentalis, quam efformat, simplex qualitas est.*

Ad argumentum tamen facile resp. explicando ant. Format speciem montis aurei per modum vnus naturæ, & essentiæ, conced. ant. per modum duplicis naturæ, quarum vna de altera prædicatur, neg. ant. & dist. conseq. Totam compositionem obiectivam per modum vnus essentiæ, concedo conseq. per modum duplicis ad invicem ordinatæ, neg. conseq. Sicut namque intellectus ex præconceptis format speciem representantem montem aureum per modum vnus essentiæ, ita etiam formare potest vnicum conceptum representantem totam propositionem per modum vnus, & eiusdem quidditatis non tamen potest formare conceptum vnicum

cum representantem subiectum, & prædicatum per modum duplicis quidditatis, quarum vna de altera dicitur, sed ad hoc plures conceptus requirit, & ita plures conceptus habet dum mentalem propositionem format.

Et si dicas D. Tho. 6. meth. lect. ult. comparare modum, quo formatur species montis aurei, cum eo, quod formatur propositio: Ergò si species montis aurei vna est, etiam species, qua formatur exercitè propositio vna erit, & consequenter dum fit exercitè propositio, erit conceptus mentalis vnicus, & simplex tantum.

Resp. D. Th. non comparare modum quo formatur species montis aurei cum eo, quo formatur propositio, sed dumtaxat comparare modum quo intelligimus montem aureum, cum modo quo totam propositionem intelligimus, quæ utique congrua comparatio est, quia sicut montem aureum per modum vnus essentiæ, vnico conceptu intelligimus, ita totam propositionem per modum vnus essentiæ vno conceptu cognoscimus, quæ solutio ex ipso contextu constat, nec ibi ad oppositum verbum aliquot invenitur.

Ad confirm. verò respondent aliqui D. Th. esse intelligendum de similitudine ordinis, quatenus subiectum, & prædicatum ordine quodam intelligit, sed simul, & in eodem instanti, eo quod intellectus potest in eodem

Mag. Froylan.

instanti elicere cognitiones ad invicem ordinatas: non tamen esse intelligendum de similitudine simplicitatis, ita quod intellectus vnico simplici actu, & vnica specie simplici, subiectum, copulam, & prædicatum attingat.

Hæc tamen solutio litteræ conformis non est, quia D. Th. ibidem asserit: *Quæcumque igitur per vniam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur ut vnum intelligibile, & ideo simul cognoscuntur, & in hoc sensu affirmat ibi intellectum, simul intelligere subiectum, & prædicatum, & insuper q. 85. art. 4. in corp. affirmat quod dum intellectus simul intelligit partes propositionis, per eandem speciem intelligit eas, & L. contrag. cap. 55. affirmat quod intellectus noster simul intelligit totam propositionem, quia secundum vniam speciem totius omnes partes comprehendit; sed quæ per vniam speciem intelliguntur, per eundem etiam actum, aut simul similitudine simplicitatis intelliguntur: Ergò de similitudine simplicitatis intelligendum est D. Th. & ideo.*

Ad prædictam confirm. Resp. aliter D. Th. esse intelligendum de cognitione subiecti, copulæ, & prædicati, quatenus implicite, & in confusio cognoscuntur in ipsa propositione, & per speciem ipsius qualiter omnes partes cognoscimus per speciem ipsam totius; non verò loqui de cognitione explicitè, & in recto ter-

X

minata

minata ad subiectum, copulam, & prædicatum, qualis est illa cognitio, per quam exercite fit propositio, quæ propterea non potest esse simplex, & vnica, eo quod vna species, & vna operatio non potest plura distincta secundum suas naturas, & differentias explicite, & in recto attingere. Ita se explicat Doct. S. q. 85. art. 4. ad 3. per ea verba, *partes possunt intelligi dupliciter, vno modo sub quadam confusione, prout sunt in toto, & sic cognoscuntur per vnā formam totius, & simul cognoscuntur: alio modo cognitione distincta, secundum quod quilibet cognoscitur per suam speciem, & sic non simul intelliguntur*: Et ibi ad 4. eandem doctrinam habet.

Secundò arguitur, subiectum, & prædicatum obiectivæ propositionis vnico representantur conceptu: Ergò propositio mentalis, qua intellectus intelligit prædicatum, & subiectum vnica, & simplex qualitas est. Prob. ant. prim. Quidditas propositionis vnico representatur conceptu, aliàs non esset dabilis quidditativus propositionis conceptus; sed quidditas propositionis subiectum, & prædicatum importat: Ergò subiectum, & prædicatum vnico representantur conceptu.

Secundò prob. ant. Idem conceptus sufficit ad attingendū ea, quæ ordine se habent; sed subiectum, & prædicatum ordinate se habent siquidem subiectum dicit ordinem ad prædicatum, &

etiam prædicatum ordinem ad subiectum importat: Ergò idem.

Tertiò probatur ant. Quæ representantur vnica specie, vnico etiam conceptu representantur; sed subiectum, & prædicatum huius propositionis homo est animal representantur vnica specie: Ergò idem.

Quartò prob. ant. In subiecto huius propositionis homo est animal, intelligitur prædicatum: Ergò subiectum, & prædicatum vnico representantur conceptu. Probat. ant. Prædicatum prædictæ propositionis est de essentia subiecti, & idem cum illo realiter: Ergò intelligitur in subiecto.

Quintò prob. ant. Subiectum, & prædicatum propositionis indentica, vt huius *homo est homo* vnico representantur conceptu: Ergò idem in quacumque propositione dicendum. Prob. ant. prim. Subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis, vnico tantum habent conceptum in prima operatione: Ergò etiam in secunda, vnico representantur conceptu.

Secundò prob. ant. Subiectum, & prædicatum prædictæ propositionis non representantur duplici conceptu solo numero distincto, quia duo accidentia solo numero distincta, non possunt esse simul in eodem intellectu; aliàs non representantur duplici conceptu specificè diverso: Ergò. Probat. ant. quantum ad secundam partem.

tem. Subiectum, & prædicatum in præfata propositione sunt idem specificè obiectum vt patet: Ergò non representantur duplici conceptu specificè distincto.

Resp. ad argumentum neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. dum representantur per modum vnus, & eiusdem quidditatis conc. mai. per modum duplicis quidditatis partialis, quarum vna de altera prædicatur, vel cū altera vnitur exercite neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Secundū distinctionē maioris, nam ex quo vnico conceptu quidditatem propositionis attingamus, tantum infertur vnico conceptu representare subiectum, & prædicatum per modum vnus, & eiusdem quidditatis, aut quatenus in ipsa propositione sunt vnico, & vnica quidditatem efficiunt; non tamen sequitur ea representare per modum duplicis rei, quatenus vna de altera dicitur, & per actionem intellectus vnitur in exercitio cum altera ad faciendam propositionem. Sicut conceptus hominis quidditativus representat animal rationale per modum vnus essentie non tamen per modum duplicis formalitatis, quarum vna determinat aliam, sic enim attinguntur per modum diffinitionis, quæ est obiectum complexū, & in mente duplicem conceptum habet.

Sed in labis: Conceptus quidditativus propositionis representat totam quidditatem ipsius, sed

subiectum quatenus est *id de quo*, & prædicatum quatenus est *id quod dicitur*, sunt de essentia propositionis: Ergò conceptus quidditativus representat subiectum, & prædicatum per modum duplicis rei, quarum vna de altera dicitur.

Resp. dist. mai. totam quidditatem per modum vnus rei, conc. mai. illam exponendo per partes neg. mai. & dist. min. per modum diffinitionis explicantis quidditatem conc. min. per modum rei explicatæ, vel essentie diffinitæ neg. min. & conseq. Quia conceptus quidditativus propositionis representat quidditatem illius per modum vnus essentie, vel per modum diffinitivi non tamen illam explicat per partes; subiectum vero, & prædicatum secundum formalitatem, & expressionem *habentis*, & *habiti*, vel *id de quo*, & *id quod dicitur*: Explicant propositionis essentiam per illius partes, & habent rationem diffinitionis, & ideo sub hoc munere solū implicite, & non expresse representantur conceptu quidditativo ipsius propositionis. Exemplum est in conceptu quidditativo hominis, qui non explicat animal rationale, nisi tantum per modum vnus rei, non tamen explicat animal vt determinabile, & rationale, vt determinans, nā sub hoc munere solū representantur explicite per duplicem conceptum representantem diffinitionem hominis quidditativam.

Ad secundam prob. ant. dist. mai. ea in recto, vel in obliquo conc. mai. in recto, & explicitè neg. mai. Quia prædicatum, formalitèr vt tale dicit, ordinem ad subiectum, & etiam ipsum subiectum importat ordinem ad prædicatum, & ideò conceptus, qui repræsentat vnum eorū in recto, alterum etiā repræsentat in obliquo, sicut conceptus, qui repræsentat relationem, terminum relationis in obliquo repræsentat, non tamen potest idem conceptus in recto repræsentare.

Sed instabis: Idem conceptus repræsentare potest in recto ea, quæ sunt ordinata; sed prædicatū, & subiectum ordinatè se habent: Ergò idem conceptus potest vtrūque in recto repræsentare. Prob. mai. Quamvis ea repræsentet in recto non erit æquivocus: Ergò potest ea in recto repræsentare. Probat. anteced. Conceptus æquivocus repræsentat plura, vt plura, vel plura non ordinata: Ergò conceptus qui plura ordinata repræsentat in recto, non erit æquivocus.

Resp. dist. mai. Ordinata per modum vnius recti, conc. mai. per modum recti, & obliqui, neg. mai. & dist. min. per modum recti, & obliqui conc. min. per modum vnius recti, neg. min. & conseq. Illa namque quæ ordinata sunt per modum vnius recti; possunt benè repræsentari per eundem conceptum in recto; quia repræsentantur

vt vnum rectum adæquatum, & totale; sed subiectum, & prædicatum non sunt ordinata per modū vnius recti, siquidem prædicatum non importat in recto subiectum, nec subiectum importat prædicatum in recto, & ita non potest idē conceptus vtrumque in recto repræsentare, & si ea repræsentaret, esset cōceptus æquivocus eo quod repræsentaret plura, vt plura, vel sub ea ratione, qua ordinata non sunt vtrumq̄ videlicet in recto repræsentando, cum tamen vnum illorum non dicat alterum in recto, aut ipsum in recto respiciat. Et quidem si replica probaret, convinceret etiam eundem conceptum posse in recto repræsentare partes termini complexi, & præmissas, & conclusionem in recto.

Ad tertiam prob. ant. nego mai. Quia ens reale, & ens rationis vnica specie impræssa repræsentantur, & tamen in veriori sententia conceptu duplici cognoscuntur, & species impræssa creaturæ repræsentat creatorem, cum tamen duplici specie expressa vnū, & alterum cognoscamus: ratio autem ea est, quod species impræssa habet rationem principij, & ita magis ampla, & vniversalis est in repræsentando, quam expressa, quæ rationem termini habet, vnde species impræssa naturæ repræsentat singularia, cum tamen species expressa singularis distincta sit.

Se

Secundò resp. aliter, dist. mai. vnico conceptu confusè, conc. mai. vnico distinctè, neg. mai. Quia intellectus noster propter imperfectionem suam, non potest vnico conceptu distinctè cognoscere ea, quæ vnica repræsentantur specie, sed potius indiget pluribus conceptibus, vt ea, quæ implicitè repræsentat species, intelligat distinctè componendo, & dividendo.

Ad quartam prob. dist. ant. implicitè conc. ant. explicitè, & distinctè, neg. ant. & conseq. Quia licet in subiecto prædicto intelligatur prædicatum implicitè tanquam pars illius essentiae, non tamen intelligitur expressè, sed potius ad illud explicitè cognoscendum distinctum conceptum format, & propterea intelligit componendo, quia in subiecto non intelligit explicitè prædicatum, qualiter Angelus intelligit prædicatum in subiecto.

Dices: Lumen intellectus excedit aliquando passivam cognoscibilitatem obiecti quantum ad omnia prædicata, quæ continent: Ergò poterit explicitè per conceptum subiecti intelligere prædicatum in ipso.

Resp. dist. ant. vt absolute cognoscibilem, & modo humano, conc. ant. vt cognoscibilem omni modo, vel supra modum humanum, neg. ant. & conseq. Quia licet lumen intellectus excedat aliquando passivam cognos-

Mag. Froylan.

cibilitatem obiecti, quantum ad omnia, quæ continent, & possit ea omnia perfectè cognoscere componendo, & dividendo, non tamen potest ea omnia per eundem conceptum explicitè, & secundum proprias differentias attingere, & sub omni eorum habitudine in recto, nam hæc attingentia superat modum humanum.

Dices: Lumen intellectivum nostri intellectus esse idem in statu separationis, & in statu coniunctionis ad corpus; sed in statu separationis intelligit explicitè prædicatum in subiecto: Ergo etiam in statu coniunctionis ad corpus.

Resp. Tamen lumen esse idem in vtroque statu quantum ad virtutem subiectivam, non tamen quantum ad virtutem obiectivam, vel speciem, quia in statu separationis intelligit per species infusas ex platas ab idea divina, & non acceptas à rebus, quæ quidem vniversaliores sunt, & explicitè repræsentant prædicatū in subiecto, & propterea potest anima intelligere in statu separationis sine compositione, & discursu.

Ad quintam prob. principalis ant. neg. ant. si sermo sit de repræsentatione conceptus explicita, & ad primam prob. neg. conseq. Quia in simplici apprehensione repræsentatur idem, & eodem modo, sed in secunda operatione repræsentatur subiectum vt habens, vel id de quo, & prædicatum repræsentatur vt habitum, vel

Y 3

vt

vt id quod praedicatur, & ita diverso conceptu representatur vtrumque, sicut 1. part. quaest. 13. art. 12. tradit Angel. Doct.

Ad secundam prob. neg. ant. quo ad secundam partem, & ad prob. dist. ant. idem specificè in esse rei, conc. ant. in esse obiecti, neg. ant. Quia homo idem in esse rei, representatur in esse obiecti sub habitudine subiecti; & habitudine praedicti, & ita terminat conceptum specificè diversum, sicut idem homo vt species subijcibilis, & vt species praedicabilis terminat conceptum specificè distinctum.

Sed instabis: Illi modi per modum habentis, & habiti vel praedicti, & subiecti non representantur in conceptu: Ergò non possunt essentialitè variare. Prob. antec. Si representarentur modi praedicti in conceptu, propositio esset falsa, nam esset idem ac dicere subiectum formalitè vt subiectum est praedicatum. Ergò modi praedicti non representantur in conceptu.

Resp. dist. ant. signatè per modum subiecti quod, conc. ant. per modum formæ subiecti, neg. ant. Nam licèt modi praedicti non represententur signatè per modum subiecti, quod, representantur tamè signatè per modum formæ subiecti, quod sufficit ad variandam essentialitè conceptum; sed vt propositio esset falsa debebant representari signatè per modum subiecti quod,

quia praedicatum non dicitur de secunda intentione, vel de forma subiecti, sed solum de subiecto quod, vt alibi diximus de hac propositione: homo est animal, est propositio: in qua praedicatum verè dicitur de subiecto ex parte rationis quæ.

Secundò alij ad eandem probationem, respondent: Conceptum non representare modos praedictos signatè quod erat necessarium vt propositio esset falsa, sed solum exercitè representare modos praedictos.

Sed contra primò: Modi praedicti non representantur exercitè. Ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. In vocibus non representantur exercitè, cum voces non sint, impositæ ad illos representandos. Ergò etiam in conceptu non representantur exercitè.

Contra secundò: Quamvis represententur exercitè non possunt conceptum essentialitè variare. Ergò non variant essentialitè illum. Prob. ant. primò: In modis praesentiae, & absentiae, qui representantur exercitè, & tamen non variant essentialitè notitiam in probabili Thomistarum sententia.

Secundò: Cum quis format hanc propositionem *homo currit*, idem conceptus representat exercitè modum copulae, & modum praedicti, nam si conceptus non esset idem, verbum praedictum esset

esset complexum, quod falsum est. Ergò diversi modi exercitè representari, non variant essentialitè conceptum.

Resp. ad primam replicam neg. vtrumque ant. Quia licèt voces absolutè, & extra propositionem non significant modos praedictos, voces tamen intra propositionem etiam significant modos exercitè, & ad illos significantes imponuntur dum intra propositionem existunt.

Ad secundam replicam dicimus: Latum esse discrimen, quia modi praesentiae, & absentiae non sunt formalitè intranei, sed potius extra lineam notitiae; modi verò subiecti, & praedicti sunt formalitè intra lineam obiecti, & ita ipsum essentialitè variant, sicut propter eandem rationem modi recti, & obliqui variant essentialitè obiectum, quamvis solum represententur exercitè in probabili sententia.

Ad secundam prob. quamvis alitè infra dicemus, respondemus modo, dist. conseq. modi in adequati, conc. conseq. totales, & adequati, neg. conseq. Quia modi subiecti, & praedicti sunt adequatè distincti, & similiter cum copula non habet rationem praedicti, solum habet modum copulae, qui respectu ipsius pro tunc, est solus, & vnicus modus, & ita est totalis, & adequatus, ipsamque propterea copulam essentialitè variat in ratione obiecti; sed cum

copula per se ipsam includit participium, vel praedicatum, habet simul rationem vnionis, & extremi vniti, & ita modus vnionis, & extremi in adequatè se habent, & illam essentialitè obiectivè non variant, sicut materia in physici essentialitè distincta, nõ est vt extremum vnitum, & vt ratio formalis vnendi, quia per se ipsam exercet vtrumque formalitè.

Tertiò arguitur: Propositio mentalis est vnica, & simplex conceptus: Ergò simplex qualitas est. Prob. ant. primò. Propositio mentalis est terminus secundae operationis intellectus; sed secunda operatio intellectus est vna simplex: Ergò etiam propositio mentalis est vnica, & simplex conceptus, quia operatio, & illius terminus debent habere proportionem.

Secundò prob. ant. Iudicium importat vnum simplicem conceptum, sed propositio mentalis est iudicium, cum per eam iudicet intellectus de propositione obiectiva: Ergò idem.

Tertiò prob. ant. Potentia immaterialis elevatur in agendo supra potentiam materialem, sed potentia materialis loquutiva per tres veces format propositionem vocalem: Ergò potentia intellectiva vnica tantum conceptum formabit mentalem propositionem, aliàs non elevabitur supra aliam.

Quartò prob. ant. Propositio

tio mentalis est ens per se; sed ex duplici conceptu, vnum ens per se resultare non potest: Ergo propositio mentalis est vnus tantum conceptus. Prob. min. Ens per se resultare non potest ex duplici ente in actu; sed potius in illo vna pars se habet vt materia, & altera se habet vt forma, sed quilibet conceptus est ens in actu. Ergo ex duplici conceptu, vnum ens per se resultare non potest.

Quintò prob. ant. Propositio mentalis non fit ex pluribus conceptibus pertinentibus ad primam operationem, cum in prima operatione non detur conceptus subiecti, & conceptus prædicati, ex quibus mentalis propositio componitur, eo quod subiectum, & prædicatum non dantur extra propositionem, quæ tamen in prima operatione non est, sed aliunde non fit ex pluribus conceptibus pertinentibus ad secundam. Ergo non importat plures. Prob. min. Propositio mentalis ex terminis mentalibus fit, sed termini mentales supponuntur ad secundam operationem. Ergo non fit ex pluribus conceptibus pertinentibus ad secundam.

Sextò prob. Intellectus minus perfectus hominis, v.g. Rustici pluribus conceptibus format propositionem mentalem. Ergo intellectus hominis docti vno conceptu format illam, quia quo perfectior est intellectus, eo per pauciores species intelligit, &

ideò Angelus perfectior per pauciores species intelligit veritatem.

Confirm. argumentum: In propositione de secundo ad iacentem, vt in hac *homo legit*, idem conceptus correspondet copulæ, & prædicato, sed eadem ratione idem conceptus debet correspondere subiecto, siquidem intentio prædicati non minus distinguitur ab intentione copulæ, quam intentio subiecti. Ergo conceptus omnium vnus est. Prob. mai. Prædicatum in propositione prædicta non est distinctum à copula. Ergo idem conceptus correspondet vtrique.

Secundò confirm. & vrgetur argumentum. In sententia probabiliter asserente discursum in sola illatione, vel in nota illationis consistere, in qua quidem sententia saluatur adequatè discursus in vno actu. Ergo etiam compositio saluari poterit in vno conceptu, patet conseq. Quia sicut per compositionem movetur intellectus de subiecto ad prædicatum, ita per discursum ex præmissis ad conclusionem movetur.

Resp. ad argumentum, neg. ant. & ad primam prob. neg. min. Quia secunda operatio intellectus nostri importat plures conceptus, & actus, quorum vno attingit subiectum, & altero prædicatum, distinctè, & in recto, & ita composita est.

Ad secundam prob. eiusdem ant. dist. mai. iudicium signatum,

&

& reflexum, conc. mai. exercitum, neg. mai. & sub eadem distinctione minoris, neg. conseq. Quia licet iudicium signatum, quo intellectus iudicat de propositione iam facta, sit vnus actus; iudiciū tamen exercitū vnū non est, quia dum intellectus componit exercitū prædicatum attribuendo subiectum iudicat etiam in exercitio se verè componere, & ideò, sicut per plures actus componit, ita etiam per plures actus iudicat exercitū de compositione, quam facit.

Et si dicas: Iudicium etiam exercitium exprimi per hæc verba *ita est*, vel *ita non est*, sed hæc verba indicant formalem compositionem. Ergo iudicium exercitium formaliter compositū est.

Resp. Iudicium exprimi per verba prædicta propter penuriam vocum ad exprimendum actum simplicem iudicij, & non quia ipsum formaliter compositum sit, vnde solum virtualiter est compositum, & obiectivè, quatenus iudicat de compositione facta.

Ad tertiam prob. dist. mai. intra proprium modum cognoscendi, conc. mai. supra illum, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia elevatio supra potentiam materialem non debet extrahere spiritualem potentiam à modo proprio intelligendi, quod est intelligere componendo, sed debet intra ipsum manere. Vnde elevatio prædicta consistere non debet

in eo, quod potentia spiritualis non componat, sed in eo, quod fiat alia à se, & sub vniuersaliori, vel perfectiori ratione attingat obiecta. Et quidem si argumentum convinceret, probaret etiam intellectum vnica operatione apprehendere prædicatum, & subiectum, siquidem intellectus, vt apprehensivus, potentia spiritualis est.

Ad quartum prob. dist. mai. perfectitate ordinis, conc. mai. perfectitate informationis, neg. mai. & sub eadem distinctione minoris, neg. conseq. Quia propositio est ens per se, non quidem perfectitate physica, & informationis, sed perfectitate intentionali, vel ordinis, aut habitudinis inter duo, quæ perfectitas ex duplici ente in actu resultare potest, sicut numerus, & oratio sunt entia per se, cum sint per se scibilia, & numerus sit obiectū arithmeticae, quod enti per accidens convenire non potest; & tamen numerus, & oratio ex pluribus in actu resultant.

Ad quintum prob. neg. min. & ad prob. dist. mai. ex terminis mentalibus, vt induunt intentionem subiecti, vel prædicati, conc. mai. ex terminis sub intentione termini præcise, neg. mai. & quavis termini mentales sub intentione termini præsupponantur ad secundam operationem, sub intentione tamen subiecti, & prædicati non præsupponantur ad illam.

Et si dicas: Intentionem subiecti, & prædicati ad compositionem

siuo-

sitionem praesupponi tanquam partes illius: Ergo etiam ad secundam operationem supponuntur.

Resp. dist. ant. ad compositionem in facto esse, & pro aliquo priori rationis, conc. ant. ad illam in fieri, neg. ant. Quia compositio complete fit, dum intellectus format conceptum copulae, per quam unit praedicatum, cum subiecto, & conceptus subiecti, & praedicati conceptus copulae antecedunt pro aliquo priori rationis, consequenterque praecedunt compositionem factam, illam vero non antecedunt in fieri, nam quando fit subiectum, & praedicatum incipit iam fieri exercite compositio, quae quidem tam in fieri, quam in facto esse, ad secundam dumtaxat pertinet operationem.

Ad sextò prob. neg. conseq. & ad prob. in ductam dist. ant. per pauciores intra proprium modum intelligendi, conc. ant. contra, vel supra illum neg. ant. Nam inter homines, qui perfectiorem intellectum habet, per pauciores etiam species saltem expressas intelligit plura obiecta; eo, quod magis penetrat representationem speciei impressae, semper tamen hoc facit servando modum proprium intelligendi, videlicet componendo, & dividendo.

Secundò resp. absolute negando intellectum humanum perfectiorem intelligere per pau-

ciiores species: quia quilibet intellectus humanus intelligit per species desumptas à rebus, & ita per easdem species, & excelsius solum in eo consistit, quod intellectus perfectior plus penetrat de subiecto per speciem, & plura in eo intelligit praedicata, quae tamen solum attribuit subiecto per veram compositionem.

Et si dicas: D. Thom. ut probet Angelum perfectiorem intelligere per pauciores species, apponere exemplum in homine perfectiori.

Resp. D. Thom. apponere exemplum in homine perfectiori, ad probandum praecise Angelum perfectiorem intelligere etiam perfectiori modo, non verò quantum ad alia: sed ex hoc infert Angelo perfectiori, & perfectius intelligenti deberi univales species; eo, quod species Angeli non desumuntur à rebus, sed causantur ab idea divina, & ita infunduntur iuxta modum, & perfectionem intellectus Angelici, quod tamen in homine propter rationem oppositam, non contingit.

Ad primam argumenti confirm. aliter, quam supra resp. neg. mai. Nam ea, quae dividunt essentialiter rationem aliquam communem, non possunt in aliqua specie formaliter ad unari, quae ratione practicum, & speculativum non possunt in habitu Logicae ad unari, quia dividunt essentialiter

tialiter habitum inferiorem incommuni, & cum ratio subiecti. copulae, & praedicati essentialiter dividant rationem communem partis componentis propositionem, inde fit; copulam formaliter ad unare non posse rationem copulae cum ratione praedicati, nec eundem terminare conceptum.

Non tamen inferas inde: verbum *scribit* esse complexum, quia illi duplex conceptus correspondet; nam illi duplex correspondet conceptus: alter in ratione nominis, alter quidem in ratione verbi; ex quo solum sequitur esse complexum ex nomine, & verbo formaliter, non tamen ex duplici verbo.

Ad secundam confirm. omisso ant. neg. conseq. Quia discursus est quidam motus per modum viae, & tendentiae, vel transitus à praemissis ad conclusionem, & ita sicut in motu progressivo terminus à quo, & ad quem non constituunt ipsum motum, sed sola via per quam mobile de uno ad alterum transit; ita pariter discursus non in praemissis, & conclusione, sed in sola illatione, quae est via, & tendentia adaequate consistit: compositio verò non est sola via, & tendentia de subiecto ad praedicatum, sed est quodam totum ex utroque resultans, & ideo ex utroque componitur.

Sed instabis: Compositio mentalis eo importat plures conceptus, quia intellectus viso subie-

cto, non statim videt praedicatum, & ea, quae de subiecto enuntiari possunt, sed intellectus, viso principio, non videt statim conclusiones in principio, & propterea discurret: Ergo si semel discursus plures actus essentialiter non requirit, idem de compositione dicendum.

Fatemur replicam esse difficilem, sed hoc ideo quia sententia admissa difficilis est, iuxta modum tamen illius, reddimus disparitatem consistentem in eo, quod compositio est distinctorum unio aut totum ex distinctis compositum, & cum totum nihil aliud sit, quam partes simul unite, & coniunctae, propterea compositio plures partes importat in recto: discursus verò non est in recto compositio, sed sequela unius ex alio, vel via ab uno in alterum, & via in uno solo salvatur, quae propter in opinione praedicta ex quo intellectus, viso principio, non videat conclusiones in eo, bene infertur intellectum discurre iuxta naturam discursus, qui cum sit via, non debet in pluribus, sed in uno tantum in recto consistere, in quo à compositione distinguitur quae plures partes debet in recto importare.

Quartò arguitur: Propositio mentalis non potest esse vera, nisi simplex qualitas sit: Ergo debet esse qualitas simplex. Prob. ant. primò: Proprietas non potest esse simplex, nisi etiam essentia simplex

plex sit, eo quod proprietates, & essentia debent proportionē habere; sed veritas, quæ est passio propositionis est aliquid simplex; Ergo propositio non poterit esse vera, nisi simplex qualitas sit.

Secundò prob. ant. Veritas consistit in adæquatione cum obiecto pro vt est; sed adæquatio est vnus tantum conceptus adæquatus cum obiecto pro vt est: Ergo propositio mentalis nequit esse vera, nisi simplex qualitas sit.

Confirm. argumentum: Propositio mentalis, ad hoc deberet esse composita, vt salvaretur distinctio inter intellectum Angelicum, & humanum; sed quamvis composita non sit salvatur ista distinctio: Ergo non debet esse composita. Prob. min. primò. Quamvis voluntas humana, & Angelica modo composito tendant ad finem, & media per intentionem, & electionem realiter ab intentione distinctam, salvatur vtrunque voluntatem formaliter esse distinctam: Ergo ab opposito, quamvis propositio quam format intellectus humanus non sit composita, sed simplex, sicut ea, quam Angelus format, salvabitur distinctio inter vtrunque intellectum.

Secundò prob. min. Quamvis Angelus inferior vnico conceptu totam enuntiationem attingat, sicut Angelus superior, ad huc salvatur distinctio inter intellectum vtriusque: Ergo quamvis

propositio, quam format intellectus humanus non sit composita, sed simplex, & vnus conceptus, salvatur distinctio inter vtrunque intellectum.

Tertiò prob. min. Doctrina vrgentiori contrariorum. Quamvis propositio intellectus humani composita non sit, essentialiter tamen supponit plures conceptus, & actus in prima operatione existentes, sed conceptus, quo Angelus intelligit totam propositionem obiectivam, similes conceptus prius existentes non supponit: Ergo quamvis propositio, quam format intellectus humanus composita non sit, salvatur ad huc distinctio inter vtrunque intellectum.

Resp. ad argumentum, neg. ant. & ad primam prob. neg. mai. Quia proportio inter essentiam, & illius proprietatem, consistere debet in eo, quod sicut essentia proprietatem determinatam radicat, & illam apriori probat, ita proprietates exigit determinatam essentiam, & illam aposteriori demonstrat. Non tamen debet supra dicta proportio in entitativa simplicitate consistere, quia risibilitas est aliquid simplex, & tamen hominis natura physice, & metaphysice composita est.

Ad secundam prob. eiusdem ant. dist. mai. in adæquatione intellectus exercita, vel iudicij exerciti, conc. mai. iudicij signati; vel reflexi neg. mai. & dist. min. adæ-

adæquatio per iudicium signatū, conc. min. exercitè tantum iudicativa neg. min. & conseq. Quia dum intellectus concipit subiectū, prædicatum exercitè, iudicat vnū esse subiectum, & alterum prædicatum, & dum per conceptum copulæ coniungit vtrunque, exercitè iudicat vnum alteri convenire, vel non convenire, & rem ita esse, vel non esse, in quo quidem adæquatio consistit, vnde adæquatio exercitè iudicativa consistit partialiter in conceptu subiecti, & conceptu prædicati, & ultimè, vel completè in conceptu copulæ coniungentis vtrunque, & ita adæquatio prædicta composita, vel composita est.

Dices primò: Quod quando intellectus format conceptum copulæ, iam non existit conceptus subiecti, & conceptus prædicati: Ergo per conceptum copulæ non potest propositio significare verū, vel falsum completè.

Dices secundò: Conceptum subiecti, & conceptum prædicati per conceptū copulæ coniunctos, non posse significare verum: Ergo idem quod prius. Prob. ant. Ante coniunctionem non significabant verum saltim completè: Ergo per coniunctionem verum significare non possunt, quia per coniunctionem non mutatur eorum representatio.

Resp. ad primam, dist. ant. non existit in se, conc. ant. in sui continuatiuo, neg. ant. Quia sicut

in instanti temporis non existit pars præterita in se ipsa, existit tamen ratione instantis, quo cum parte futura coniungitur ita dum ponitur conceptus copulæ existit conceptus subiecti, & conceptus prædicati in ipso conceptu copulæ, vt in medio, vel vinculo continuatiuo vtriusque, in quo quidem significatio veri, vel falsi completur, nam oratio mentalis etiā est ens successivum, cuius partes non quidem in se, sed solum in termino continuatiuo simul existere debent.

Ad secundam, neg. ant. & ad prob. neg. conseq. Quia licet representatio conceptuum quantum ad substantiam eadem sit, & idem representet, quantum ad modum tamen diversa est, nā conceptus vt ordinati per copulam significant ordinatè, & ita verum, vel falsum significant, sicut voces diuise non significant verum, & tamen vt in propositione coniunctæ, & ordinatæ significant veritatem.

Ad confirm. verò argumenti, neg. min. & ad primam prob. neg. conseq. Quia voluntas humana, & Angelica non differunt in modo attingendi finem, & media per vnum, vel plures actus, sed diuersitas vtriusq̄ consistit in modo flexibiliter, vel inflexibiliter operandi, & ita dū modus iste diuersus est salvatur inter vtrunque distinctio: modus verò operandi hominis in secunda operatione,

consistit in eo, quod non simplici intuitu, sicut Angelus, sed potius per plures intuitiones, & actus veritatem attingat, & propterea tali modo deficiente non salvatur complete imperfectio intellectus humani, nec distinctio inter utrumque intellectum.

Doctrinæ tradita consentit D. Thom. 1. p. q. 60. artic. 2. in corp. per ea verba: *Cognitio intellectus fit secundum quod res cognita sunt in intellectu cognoscente. Est autem ex imperfectione intellectus naturalis naturæ in homine, quod non statim eius intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia, sed quedam, à quibus in alia quodammodo movetur: sed actus appetitivæ virtutis est, è converso secundam ordinem appetentis ad res, quarum, quedam sunt secundum se bona, & ideo secundum se appetibilia, quedam vero habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & sunt appetibilia propter aliud, unde non est ex imperfectione appetentis quod aliquid appetat naturaliter ut finem, & aliquid per electionem ut ordinatur ad finem.*

Ad secundam prob. dist. ant. distinctio in specie, conc. ant. in gradu immaterialitatis neg. ant. Quia ex quo Angelus inferior unico conceptu totam enuntiationem attingat, bene infertur convenire in gradu immaterialitatis cum Angelo superiori, & ideo si intellectus humanus unico conceptu totam enuntiationem attingeret sicut intellectus Angeli,

uterque quidem existeret in eodem gradu immaterialitatis, & consequenter non salvaretur debita distinctio inter utrumque intellectum.

Ad tertiam prob. poterat responderi primò, neg. min. Quia licet intellectus Angeli, aliquando conceptus similes non supponat, eos tamen aliquando supponit, nam Angelus per unum conceptum intelligit hominem secundum suam naturam, & per alium intelligit gratiam, & postea utrumque simul intelligit, & ita factum est conceptum quo Angelus intelligit totam propositionem obiectivam, alios non supponere conceptus; quod utique in Angelo inferiori in ordine etiam ad naturalia verum est, qui quidem non vno conceptu intelligit extrema huius propositionis homo non est Cælum, & ita conceptus, quo totam propositionem attingit plures conceptus supponit. Sed quia hæc necessaria non sunt.

Secundò ad tertiam probat. resp. dist. conseq. distinctio in completa, vel in adæquata, conc. conseq. completa, & adæquata, neg. conseq. Sicut namque noticia, quæ exigeret præsentiam obiecti, solum in complete, & in adæquate esset intuitiva, & in adæquate ab abstractiva diversa, ita secunda operatio, & propositio intellectus humani, quæ in se non esset composita, per exigentiam

tiam plurium conceptuum præcedentium solum in adæquate, & in complete differret à conceptu Angeli, sed non adæquate, & complete.

Sed instabis: Si semel propositio mentalis humana, vel homo in secunda operatione essentialiter. Supponit, & exigit plures conceptus præcedentes, iam salvatur adæquata distinctio inter intellectum Angelicum, & humanum: Ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. primò. Per exigentiam in hærentia adæquate distinguitur accidens à substantia: Ergò si propositio mentalis humana plures exigit conceptus, per exigentiam prædictam distinguetur adæquate intellectus humanus ab Angelico intellectu.

Secundò prob. ant. Si semel propositio prædicta supponit, & exigit plures conceptus præcedentes iam verificatur, quod intellectus humanus viso subiecto non videat prædicatum, siquidem ad secundam operationem humanam supponitur unus conceptus, quo subiectum attingitur, & alter, quo attingitur prædicatum: Ergò salvatur adæquata distinctio, inter utrumque intellectum.

Tertiò prob. ant. Iudicium, quo intellectus humanus iudicat de compositione iam facta, complete, & adæquate distinguitur ab Angelico iudicio; sed hæc completa distinctio provenit inde, quod iudicium humanum plures

conceptus antecedentes essentialiter requirit, & exigit: Ergò per hoc solum salvatur completa, & adæquata distinctio.


Resp. ad replicam, neg. ant. & ad primam prob. neg. conseq. Quia plura non in exercitio consistunt, sed in aptitudine sola, & inter hæc accidens enumeratur, cui exercitium in hærenti accidentaliter convenit, & per aptitudinem ad ipsum sufficienter à substantia distinguitur; homo vero in secunda operatione essentialiter habet intelligere componendo, quod quidem non salvatur, nisi in secunda operatione existant plures conceptus, sicut non salvatur, hominem in tertia operatione proprie intelligere discurrendo, nisi in ipsa tertia operatione plures conceptus, & operationes existant.

Ad secundam prob. dist. ant. prædicatum secundam suam naturam, conc. antec. dum ipsum enuntiat exercitè, neg. antec. & conseq. Nam per exigentiam plurium conceptuum præcedentium, verificatur hominem viso subiecto, non videre prædicatum secundum suam naturam, non tamen verificatur non videre prædicatum dum enuntiat, & ipsum exercitè cum subiecto coniungit, siquidem in secunda operatione per eundem conceptum attingit prædicatum, & subiectum, quamvis antecederet ad enuntiationem plures conceptus supponantur;

tur; ut autem homo complete distinguatur ab Angelo, nedum antecedente, sed etiam dum enuntiat non debet predicatum videre, quia propria, & formalis distinctio consistit in eo, quod dum predicatum exercite enuntiat, non videatur in subiecto, eo quod si dum enuntiat, attingit predicatum in subiecto, iam proprie non intelligit componendo.

Ad tertiam prob. dist. min. plures in secunda operatione existentes, conc. min. plures absolute, vel in prima operatione, neg. min. & conseq. Quia sicut ait D. Thom. 1. p. q. 85. art. 3. ad 2. non qualiscumque multitudo conceptuum compositionem causat, sed illa, quae unum alteri attribuit; & cum in prima operatione non inveniatur attributio unius conceptus ad alterum, inde fit, quod multitudo praesupposita in prima operatio-

ne non sufficit, ut homo proprie intelligat componendo, & habeat modum proprium intelligendi in secunda operatione, quod est componendo intelligere, qua propter inditium humanum ideo complete a iudicio Angeli distinctum est, quia supponit plures conceptus in secunda operatione existentes, quorum uno intelligit subiectum, & altero predicatum illi attribuit, & ita tale iudicium supponit proprium modum intelligendi, & consequitur ad ipsum, sed per exigentiam plurium conceptuum tantum salvatur modus proprius cognoscendi in operatione prima, non vero in secunda operatione. Sicut si intellectus humanus haberet plures conceptus in secunda operatione, & non in tertia, solum esset complete distinctus in secunda, sed in tertia non esset complete, & adaequate distinctus.



ARTICV.

ARTICVLVS II.

UTRVM VNA PROPOSITIO POSSIT ESSE
verior altera formaliter.

§. PRIMVS.

SENSVS DIFFICULTATIS APPERITVR, ET
statuitur negativa conclusio.

DE Veritate transcendentali in praesenti sermo non est, quia certum debet esse vnam transcendentalem veritatem esse altera maiorem, eo quod veritas praedicta consistit in entitate, & immaterialitate rei, quatenus potest per intellectum attingi, & inter ipsas actualitates rerum, vna alteram excedit, aut altera maior est; quapropter solum de veritate formali difficultas nostra procedit, quae quidem veritas consistit in adaequatione iudicij intellectus cum re pro ut est, vel in eo, quod res habeat esse qualiter esse iudicatur per iudicium intellectus, de quo modo dubitamus. An in ratione formali adaequationis admitat excessum, & maius sit in ordine ad aliquam veritatem quam in ordine ad aliam. Pro cuius intelligentia perfecta.

Quaedam breviter praemittit.
Mag. Eroylan

tenda sunt. Et primum illorum est, aliquam veritatem fundamentaliter, & antecedenter, vel concomitanter posse suscipere magis, & minus, aut esse maiorem, vel minorem altera veritate, eo quod vna veritas habet perfectiora fundamenta, & causas perfectiores sui esse, ratione quarum magis falsitati resistit, & firmitior, vel immutabilior est, sicut veritas haec *Deus est* excedit alteram *Petrus currit*, & universaliter veritas necessaria immutabilior est veritate contingente, & inter ipsas veritates necessarias altera superat aliam sicut veritas praemissarum veritatem conclusionis, quia veritas praemissarum minorem dependentiam importat.

Secundo praemittendum est: Nullam formam secundum specificum, & essentialem conceptum, posse magis, & minus admittere, quia

Z quia

quia species rerum sunt sicut numeri, & ita sicut numerus destruitur quacumque unitate superaddita, vel destructa; ita essentia quolibet prædicato superaddito, vel ablato, destruitur.

Tertio præmitendum est: Aliquas esse formas, quæ quantum ad explicationem effectus proprii formalis magis, & minus admitunt, quales sunt illæ, quæ habent plures gradus intensiōis, ut calor, & frigus, albedo, & nigredo, vitium, & virtus, & secundum maiorem intensiōem, perfectius explicant proprium formalem effectum. Et an veritas sit de prædicto formarum genere in præsentī disputamus. Affirmant plures ut Suarez, Vazquez, quibus adherent recentiores Iesuitæ, sed negant discipuli D. Th. cum quibus.

§. II.

Vna veritas non potest esse formaliter altera maior.

UERITATEM istam in libro de fide ad Petrum docuit Parens Augustinus dum affirmat; quod æqualitas intelligitur in Patre, & Filio, in quantum nullus horum, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; ex quibus habetur manifestè æqualitatem negationem excessus, & defectus importare.

Eundem sequutus est D. Th.

1. p. q. 42. art. 1. ad 2. dicens: *Quæcumque enim communicant in una forma possunt dici similia, etiam si in æqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aer esse similis igni in calore, sed non possunt dici æqualia, si unum altero perfectius formam illam participet.*

Eandem etiam doctrinam habet Angel. Doct. 4. metaphisicæ lect. 9. & q. 2. de verit. art. 9. & in 1. 2. q. 22. art. 2. & in 1. p. q. 85. art. 7. & clarius q. 2. de virtutibus art. 9. ad 1. per ea verba: *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei, si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus, sic non contingit aliquid esse magis, & minus verum.*

Ratione verò ex prædictis locis desumpta. Prob. conclusio nostra: Quia veritas formaliter accepta consistit in adæquatione intellectus cum obiecto pro ut est; sed adæquatio pro formali non potest magis, & minus suscipere: Ergò vna veritas nequit esse altera maior. Prob. min. Adæquatio importat negationem excessus, & defectus, unde si aliqua forma aliam superat, vel exceditur ab alia, non dicitur alteri æqualis: Ergò adæquatio pro formali non potest magis, vel minus suscipere, & ita quantitas vnius palmi non magis æquatur cum altera palmi, quam vna cū vna, nec minor est æqualitas cubiti ad cubitū quam duorum cubitorum ad alios duos.

Confirm. Veritas pro formali in indivisibili consistit: Ergò

non

non potest vna veritas esse altera maior. Prob. ant. Veritas pro formali consistit in eo quod iudicium intellectus asserat rem sicut est; sed rem dicere sicut est in indivisibili consistit, nam sive plus, sive minus dicatur deficit veritas: Ergò veritas pro formali in indivisibili consistit.

Respondebis: Iudicium quo Deus iudicat de aliquo obiecto creato adæquari cum obiecto, & tamen ipsum excedere eo quod omne divinum iudicium debet necessario quamcumque creaturam superare.

Sed contra est: Quod licet divinum iudicium entitativè, aut in esse rei excedat creatum obiectum, ipsum tamen non excedit formaliter: Ergò solutio tradita nulla est. Prob. ant. primò: Iudicium illud non excedit obiectum in ratione termini adæquationis, quia sicut iudicium adæquatur cum obiecto pro ut est terminus veræ attingentiæ, ita obiectum in ratione terminantis attingentiæ prædictam adæquatur cum iudicio, nec minus est in ratione terminantis, quam iudicium in ratione terminabilis, sicut tota collectio possibilium in ratione productibilis adæquat omni potentiâ in ratione productivæ: Ergò tale iudicium non excedit obiectum formaliter.

Secundò prob. ant. Quia iudicium, & obiectum comparantur secundum rationem iudicabi-

lis, & iudicantis; sed secundum rationem istam iudicium non excedit obiectum, cum non asserat plusquam est, nec minus eo quod est: Ergò formaliter non excedit obiectum.

Respondebis iterum: Actum quo Angelus cognoscit hominē, etiam in ratione adæquationis esse maiorem actu, quo homo cognoscit se ipsum, & universali-ter omnem adæquationem comprehensivam esse quidditativa maiorem, siquidem actus comprehensivus adæquatur cum obiecto toto, & totaliter, actus verò quidditativus cum obiecto non totaliter adæquatur.

Sed contra est: Quia actus quidditativus, vel attingit rem pro ut est, vel illam pro ut est non attingit, si secundum nullatenus adæquatur, si primum totaliter adæquatur cum re per ipsum at- tacta, quia non attingit plus, vel minus, eo quod est: Ergò implicat cognitionem comprehensivam in ratione adæquationis esse quidditativa maiorem.

Contra secundò: Actum adæquari cum obiecto toto, & totaliter comprehensivè non est magis formaliter adæquari: Ergò non probat actum esse maiorem in ratione adæquationis. Probat. ant. Actum adæquari cum obiecto toto, & totaliter comprehensivè, est attingere non solam quidditatem obiecti; sed etiam omnem modum illius; sed actum

attingere omnem modum obiecti non est actum esse maiorem in ratione adæquationis: Ergò antecedens verum est. Probat. min. Actum attingere omnem modum obiecti solum est esse maiorem in ratione adæquationis extensivæ, vel materialiter, id est cum pluribus formalitatibus adæquari, vel plures modos attingere: Ergò non est actum esse maiorem in ratione adæquationis formaliter, quia si cum illis, quæ attingit ita adæquatur sicut alter actus cum suis, æquales sunt in ratione adæquationis sive plura, sive pauciora attingat, sicut corpus, quod cum duabus vlnis adæquatur, ita equaliter adæquatur, sicut alterum corpus adæquatum quatuor vlnis.

Et si dicas: Ergò actus quidditativus non solum cum re tota, sed etiam cum ea totaliter adæquatur: Ergò comprehensivus est. Resp. dist. primum consequens cum ea totaliter in ratione terminantis conc. consequ. cum ea totaliter absolute neg. consequ. Quia actus quidditativus non superat rem affectam formaliter, vel ab ea deficit, & ita in ratione adæquationis, totaliter adæquatur; cum re tamen absolute non totaliter adæquatur, quia non attingit omnes modos in obiecto repositos, & ita non attingit obiectum totaliter ex parte obiecti, vel cum omnibus modis, qui in obiecto inveniuntur, in quo consistit actum esse comprehensivum.

§. III.

Argumentis contra conclusionem, occurritur.

CONTRA conclusionem nostram plura militant, & difficilia argumenta, & quamvis infra de argumento desumpto à perfectione veritatis aliqua proferamus, modo tamen pro hac eadem via specialiter arguimus. Quia veritas reperta in intellectu divino etiam in ratione adæquationis essentialiter distincta est à veritate reperta in intellectu creato: Ergò utraque veritas æqualis non est formaliter in ratione adæquationis. Probat. ant. Si non esset essentialiter distincta, sed potius specificè, & quidditative eadem, daretur species quidditativa creata adæquationis divinæ; sed talis species implicatoria est cum in via D. Thom. non possit dari species quidditativa creata alicuius prædicati divini: Ergò prædicta veritas in ratione adæquationis essentialiter distincta est à veritate reperta in intellectu creato. Probat. mai. datur de facto species quidditativa veritatis formalis existentis in intellectu creato, siquidem Angelus veritatem formalem existentem in intellectu proprio quidditative cognoscit, & per speciem creatam: Ergò si altera specificè eadem est, dabitur species quidditativa creata

creata adæquationis divinæ.

Resp. neg. ant. & ad probat. dist. mai. adæquationis divinæ in ratione adæquationis formaliter conc. mai. in esse rei, & quatenus divina est neg. mai. & sub eadem dist. min. neg. consequ. Quia licet implicatoria sit species creata quidditativa prædicati proprii Dei, vel prædicati divini quatenus divinum est, & secundum esse distinctum à prædicato in creaturis reperto, non tamen implicatoria est species quidditativa creata prædicati non proprii Dei, sed ipsi, & creaturæ communis; cumque veritas pro formali, & in ratione adæquationis non sit prædicatum divinum, sed potius præcindat à creato, & in creato, nec limitationem, vel infinitatem importet; indè sit veritatem formalem existentem in intellectu divino, & intellectu creato, posse pro formali à creatura quidditative cognosci, & per speciem quidditativam creatam.

Secundò arguitur. Veritas formaliter accepta crescere potest, & magis, vel minus suscipere: Ergò potest vna veritas esse altera maior. probat. ant. Primò, forma quæ potest magis, ac magis in subiecto radicari, etiam crescere valet; sed veritas formaliter accepta potest magis ac magis in subiecto radicari, siquidem in intellectu melius disposito melius radicatur, & homo doctus difficilius à veritate

Adag. Froylan.

te dimovetur: Ergò veritas formaliter accepta crescere potest, & magis, vel minus suscipere.

Secundò probat. ant. Forma, quæ perfectiori modo potest à subiecto participari, etiam crescere potest, nam ideò potest crescere calor, & in vno subiecto esse maior, & in altero minor, qui potest magis participari ab vno, quam ab altero subiecto; sed veritas potest magis ab vno subiecto, quam ab alio participari, siquidem ab aliquibus participatur cum maiori firmitate, certitudine, & claritate: Ergò idem quod prius.

Resp. ad argumentum neg. ant. Et ad primam prob. dist. mai. Ea ratione quæ magis potest in subiecto radicari conc. mai. alia quæ non potest neg. mai. & dist. min. sub conceptu certitudinis, & firmitatis, aut adhesionis ad obiectum conced. min. sub conceptu veritatis neg. min. & consequ. Quia licet veritas sub conceptu firmitatis, vel adhesionis ad obiectum possit magis radicari eo quod vnus intellectus firmiter adhæret veritati, quam alter, sub conceptu tamen veritatis formaliter non magis in vno, quam in altero, sed in vtroque æqualiter invenitur.

Ad secundam probat. dist. min. In ratione firmitatis, aut adhesionis conc. min. in ratione veritatis neg. min. & consequ. Quia

Z 3

ve-

veritas in ratione formali veritatis, & in explicando proprium, & formalem effectum, non magis participatur ab vno, quam ab altero subiecto, sed æqualiter invenitur in omnibus, & æqualem præbet effectum in ratione adæquationis; unde solum participatur in æqualiter in ratione certitudinis, aut claritatis quatenus vnus intellectus magis penetrat veritatem, & magis adhæret illi, nulum tamen horum oritur formaliter ex conceptu adæquationis, nec infert excessum in conceptu prædicto; sicut circulus aureus firmior est circulo in arena descripto, sed in ratione formali circuli melior non est, & virga ferrea firmior est lignea, sed in ratione perfecta rectitudinis maior non est.

Sed instabis: Veritas in ratione adæquationis, & in explicando proprium, & formalem effectum crescere potest: Ergò solutio traddita nulla est probat. ant. eo crescere non posset, quia augmentum non provenit à ratione formali veritatis, sed ex ordine ad subiectum, vel ad causas similitatis, sed hæc ratio non obstat: Ergò crescere potest in ratione veritatis prob. min. calor formaliter, & quantum ad effectum proprium crescere potest; & tamen augmentum non provenit à ratione formali caloris, siquidẽ ratio formalis caloris divisibilis non est: Ergò ratio prædicta non obstat.

Resp. dist. secundum min. In omni genere causæ conc. min. in genere causæ formalis nego min. & conseq. Quia sicut primus effectus caloris, qui est reddere subiectum calidum, ita perfectior effectus, qui est reddere magis calidum provenit tanquam à causa formali ab eodẽ calore, qui quidẽ secundum propriam naturam exigit se explicare, & maiorem effectum præbere iuxta perfectiorem subiecti capacitatem, eo quod forma, quæ secundum propriam rationem respicit subiectum in hærentiæ per modum actus illius, & potest alterationem terminare, potest etiam magis, & plus in hærentiæ, & per alterationem intendi, vel perfectius à subiecto possideri, cuius capacitas divisibilis est, & potest magis, & magis per calorem actuarij, & ideò calor secundum naturam propriam exigit gradualem latitudinem habere: Veritas verò secundum conceptum proprium non importat in hærentiam, sed à subiecto præscindit, & solum comparatur ad obiectum per adæquationem cum ipso, à quo quidem conceptu non exigitur latitudo gradualis, nec maior effectus provenire potest.

Et si dicas: Formam caloris esse indivisibilem: Ergò ab ea tanquam à causa formali provenire non potest gradualis latitudo: Resp. esse indivisibilem Metaphis. non verò Physicè confi-

de-

deratam, quia est forma in hærentiæ, & capax alterationis, & ita potest esse maior, vel minor.

Tertiò arguitur: Vna propositio potest magis habere de veritate quam altera: Ergò potest esse altera verior prob. ant. primò: Præmissæ magis habent de veritate quam conclusio: Ergò vna propositio potest magis habere de veritate. Prob. ant. Propter quod vnum quodque tale, & illud magis; sed conclusio est vera propter præmissas: Ergò præmissæ magis habent de veritate.

Secundò prob. ant. Vnum infinitum potest magis habere de infinitate quam alterum, & vna vnitas potest esse altera maior, siquidem vnitas numerica maior, est vnitate formali, & infinitum per essentiam maius est infinito, quod solum per communicationem est tale: Ergò etiam vna propositio potest magis habere de veritate quam altera, patet conseq. Quia sicut veritas dicit negationem excessus, & defectus, ita infinitum importat negationem finiti, & vnitas negationem divisionis.

Tertiò prob. ant. Vna propositio potest esse magis necessaria quam altera, sicut hæc *homo est animal* magis necessaria est quacunque propositione contingente, & etiam vna propositio potest esse altera certior vt constat in eodem exemplo, & similiter potest vna propositio esse altera evidentior,

& clarior: Ergò potest etiam vna propositio magis habere de veritate.

Quartò prob. ant. Hæc propositio *homo est lapis* aliquid habet de veritate, & tamen non est ita vera sicut hæc *homo est animal*, quæ nullo modo potest esse falsa: Ergò potest vna propositio magis habere de veritate. Prob. mai. hæc propositio *homo est lapis* infert aliam, *homo est substantia*: Ergò aliquid habet de veritate, aliàs veram propositionem inferre non posset.

Confirm. primò: Quanto perfectior est causa in agendo, & in causando, perfectiorem producit effectum, sicut lux maior splendorem maiorem producit; sed causa alicuius veritatis formalis perfectior est quam altera: Ergò aliqua veritas formalis poterit esse maior. Probat. minor. Primò, veritas fundamentalis est causa veritatis formalis; sed vna veritas fundamentalis perfectior est altera: Ergò causa vnus veritatis formalis perfectior est quam altera.

Secundò prob. min. Veritas formalis causatur à veritate obiectiva, nam ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; sed aliqua veritas obiectiva superat aliam, sicut hæc *Deus est*, superat alteram *Petrus currit*: Ergò idem quod prius.

Confirm. & vrgetur secundo: Si semel vna propositio est falsior altera, etiam vna propositio erit altera verior; sed vna propositio potest esse falsior altera: Ergo etiam vna potest esse altera verior. Prob. mai. Primò: contrariorum eadem est ratio, & disciplina; sed veritas, & falsitas contrariantur: Ergo si semel vna propositio est falsior altera, etiam vna propositio erit altera verior.

Secundo probat. mai. Sicut vna propositio magis à veritate recedit, ita etiam vna propositio magis recedit à falsitate quam altera; sed propter maiorem recessum à veritate vna est falsior altera: Ergo propter maiorem recessum à falsitate, erit vna altera verior.

Tertio prob. mai. Quo falsitas maior est, eo magis veritas falsitati resistit, sed veritas quæ magis, falsitati resistit, maior etiam est, & magis à subiecto participatur, sicut magis participatur à subiecto calor dum magis resistit frigori: Ergo si semel vna propositio est falsior altera, etiam vna propositio erit altera verior.

Resp. ad argumentum neg. ant. & primam prob. illius, & ad prob. explico mai. quando forma capax est maioritatis conc. mai. quando indivisibilis est neg. mai. & cum veritas indivisibilis sit secundum conceptum proprium, inde sit, præmissas non esse magis veras, quamvis conclusio vera sit

propter præmissas. Nec Aristoteles docuit vnquam præmissas esse veriores, sed solum esse certiores, quod nos vtique non negamus.

Ad secundam prob. poteramus dicere: vnum infinitum non esse altero maius formaliter quatenus dicit negationem principij, & finis, sed solum esse maius pro materiali in quo infinitas invenitur; Et vnam vnitatem non esse altera maiorem pro formali, & quatenus intra propriam lineam negationem divisionis importat, sed solum extensivè, & materialiter esse maiore, quatenus importat negationem divisionis per plura, vel pauciora prædicata.

Sed verius resp. neg. conseq. Quia veritas pro formali dicit negationem tam excessus, quam defectus, quæ negatio in indivisibili consistit; infinitum verò non importat negationem excessus, & defectus, sed solum negationem sui oppositi, & idem de vnitatem dicendum, propterea quæ possunt suscipere magis, & minus, sicut scientia dicit negationem opinionis, & infidelitas negationem fidei; & gratia negationem peccati, quæ tamen omnia magis, & minus suscipiunt.

Ad tertiam probant neg. conseq. Et ratio discriminis ea est, quod propositio dicitur necessaria ex connexionem extremorum, & cum connexio aliquando sit magis indefectibilis, vt in exemplo

in argumento relato, inde sit aliquam propositionem esse magis necessariam quam altera sit. Ex quo infertur, vnam etiam propositionem esse magis per se, quia perfectitas in necessitate fundatur, & consequitur ad illam formaliter.

Pro altera verò parte de certitudine disparitas facilis est, quia certitudo est adhesio firma intellectus ad rem, & hæc per ordinem ad causas attenditur, nam ratione firmioris causæ, vel principij perfectioris, firmiter etiam adhæret intellectus veritati, sicut huic veritati *Deus est* firmiter adhæret intellectus, quam alteri *Petrus currit*, eo quod Dei existentia perfectiores habet causas.

Et si dicas: Quod certitudo consequitur veritatem: Ergo si certitudo maior est, etiam veritas erit maior. Resp. certitudinem consequi veritatem sequæla ordinis, quatenus veritatem supponit, non tamen sequæla, vt ad rationem formalem, quia ab alio principio sumitur formaliter veritas, & ab alio certitudo, secunda videlicet per ordinem ad causas, & prima à conceptu adæquationis, qui indivisibilis est.

Pro vltima denique paritate reddimus rationem discriminis, quia evidentia, & claritas desumuntur per ordinem ad medium manifestativum obiecti, & cum vnū medium altero manifestius, & clarius sit, inde est vnam pro-

positionem esse altera clariorem, & evidentiorum altera.

Et si dicas: Claritatem dicere negationem obscuritatis, sicut adæquatio dicit negationem excessus, vel defectus: Ergo si potest vna propositio esse clarior altera, poterit etiam esse altera verior.

Resp. neg. conseq. Quia negatio excessus, & defectus, quam veritas importat, indivisibilis est; sed negatio obscuritatis est divisibilis, eo quod importat recessum, & distantiam divisibilem.

Ad quartam prob. principalis ant. dist. mai. habet aliquid illativè conc. mai. subiectivè, & formaliter neg. mai. & dist. min. per negationem extremi conc. min. comparative neg. min. & conseq. Quia prædicta propositio formaliter, & subiectivè non habet aliquid de veritate, sed totaliter, falsa est, & ita nunquam verificatur, vnam propositionem, esse formaliter veriorum altera propositione: Esse verò vnam propositionem altera veriorum illativè nullam implicationem involuit, nam veritas illativa non consistit in adæquatione formaliter, sed fundatur in continentia veritatis illatæ, & connexionem cum illa, & potest benè vna propositio plures veritas quam altera continere.

Et si dicas: Propositionem inferentem alteram veram habere esse

esse veram formaliter subiectivè aliàs inferre non posset, sicut principium formaliter, & subiectivè incertum, aut dubium non potest conclusionem certam inferre.

Resp. disparitatem in eo consistere, quod ad bonitatem consequentiæ non requiritur veritas antecedentis, sed solum quod consequens cum antecedenti connectatur ex suppositione, quod ant. supponatur verum, & ideò ex propositione falsa potest inferri prioristicè conclusio vera; sed certitudo conclusionis pendet ex principij certitudine, quia intellectus adhæret firmiter conclusioni ratione principij, vel causæ, & ita si causa conclusionis certa non est, non potest intellectus certò conclusioni assentiri, aut conclusionem certam inferre.

Ad primam argumenti confirm. infra dicemus, causam veritatis formalis in quantum illius causam, nunquam esse perfectiorem, nec veritatem fundamentalem, vt causantem esse maiorem, vel minorem, eo quod solum formaliter fundat, & causat, quatenus dicit unitatem indivisibilem, & perfectam, aut perfectæ commensurationis cum ipso obiecto, quæ unitas, & perfecta commensuratio maior, vel minor non est: Nec ipsum etiã obiectum est causa formalis, & obiectiva veritatis formalis, sed solum est pure terminus connexionis, & adæ-

quationis extremum. Modo tamen.

Resp. dist. mai. perfectiorem sub aliqua ratione concedo mai. sub omni formalitate nego mai. & concessa min. neg. consequ. Nam ex quo veritas fundamentalis, & obiectiva, quæ causant veritatem formalem perfectiores sint, solum inferitur veritatem formalem evadere perfectiorem sub ratione certitudinis, aut firmitatis, non verò sub ratione veritatis formaliter, eo quod sub formalitate prædicta veritatis in capax est perfectionis, & augmenti. Per quod patet ad utramque probationem.

Ad secundam confirm. qua vrgetur argumentum respondent aliqui idem de veritate, & falsitate assentes, & utramque profundamento tantum, & entitativa perfectione crescere posse, non tamen pro formali utriusque conceptu.

Solutionem tamen istam credimus opponi Augustino, & Thomæ, primo quidem epist. 29. assenti curvitatem non consistere in indivisibili, & ita non omnia curva esse æqualiter curva, quamvis omnia recta æqualiter recta sint. Secundo verò 3. contrag. cap. 139. affirmanti non esse tam magnam falsitatem existimantis tria esse quinque, quam existimantis tria esse centum.

Insuper etiã videtur ex eo constare, quod falsitas consistit

stet formaliter in recessu à puncto veritatis, & ab adæquatione cum ipso, in quo quidem recessu magis invenitur, & minus, qualiter invenitur magis, & minus in distantia locali à centro, vel ab aliquo Polo mundi, & ita sicut adæquari cum loco, vno tantum modo contingit, inadæquari verò multis modis, & secundum plures partes, quibus loco inadæquatur, ita etiã adæquari cum obiecto, pro vt est; & attingere veritatem, vnico modo contingit, aberrare verò multis. Quapropter.

Ad confirm. prædictam neg. mai. & ad primam prob. explico mai. Eadem quantum ad prædicta communia, conc. mai. quantum ad opposita, nego mai. & concessa min. nego consequ. Quia licet quantum ad ea, in quibus conveniunt eadem sit contrariorum ratio, quantum ad ea, tamen in quibus opponuntur, eadem ratio non est, sed potius opposita ratio, nam virtus, & vitium, fidelitas, & infidelitas, sanitas, & ægritudo, contrariantur, & tamen vitium non consistit in medio sicut virtus, nec infidelitas est vna specie sicut fides, nec ægritudo semper est eiusdem rationis, sicut sanitas. Præterquam quod illud Proverbium *Contrariorum eadem est ratio*, solum intelligendum est de attingentia per eundem habitum, quia habitus attingens vnum contrarium vt tale, etiã de alio tra-

ctare debet, eo quod perfecta cognitio vnus contrarij non habetur sine alterius cognitione; quæ doctrina ex ipso contextu appertissimè constat.

Ad secundam prob. eiusdem maioris dist. mai. ly ita parificante in recessu, conc. mai. in modo recessus neg. mai. & concessa min. neg. consequ. Quia veritas magis recedit à falsitate tantum terminativè, aut quatenus terminat maiorem, vel minorem distantiam falsitatis ab obiecto, vel ab adæquatione cum illo; non tamen veritas magis à falsitate recedit subiectivè, vel quia veritas modo sit propinquior obiecto, & ita remotior à falsitate, & modo sit ab obiecto distantior, & ita falsitati propinquior, quia recessus veritatis à falsitate habetur per adæquationem indivisibilem cum obiecto, aqua quidem adæquatione potest falsitas elongari magis, & minus, sicut corpus potest magis, & minus distare ab aliquo loco per mutationem corporis, & recessum, non verò per loci mutationem, quia locus est immobilis formaliter, & semper idem in variabiliter perseverat.

Ad tertiam prob. mai. dist. mai. eo magis veritas, ratione fundamenti, conc. mai. ratione adæquationis neg. mai. Quia veritas ratione adæquationis æqualiter semper falsitati resistit, & solum illi potest magis, vel minus resistere ratione perfectioris conne-

xionis extremorum, aut maioris immutabilitatis, vel firmiter adhesionis ad obiectum, & ideo solum ratione certitudinis, vel connexionis, aut immutabilitatis potest magis, & minus recipere; sicut vna forma substantialis ratione proprii conceptus æqualiter opponitur, & resistit cuicumque alteri formæ, sed ratione dispositionum præcedentium in materia magis vni, & minus alteri resistit.

Sed instabis: Si semel falsitas potest esse maior, vel minor, etiam veritas hoc debet habere: Ergò nulla est data solutio. Prob. ant. primò: Eo veritas non posset maior, vel minor esse, quia consistit in attingere rem, & inter attingere, & non attingere non est assignabile medium; sed etiam falsitas consistit in non attingere rem, & inter non attingere, & attingere, non datur medium: Ergò si semel falsitas potest esse maior, vel minor, etiam veritas hoc debet habere.

Secundò prob. ant. Sicut veritas in adæquatione consistit, ita falsitas consistit in privatione adæquationis; sed privatio non potest magis, & minus suscipere, si forma opposita hoc non habet: Ergò idem.

Tertiò probat. ant. Si semel hæc propositio *homo est lapis*, falsior est ista *homo non est albus*, contradictoria primæ non erit ita vera, sicut contradictoria secundæ: Er-

gò si semel falsitas potest esse maior, idem erit de falsitate dicendum. Prob. ant. Maior falsitas magis de veritate diminuit, aut destruit: Ergò si illa propositio *homo est lapis* falsior est, illius contradictoria non erit ita vera cum contradictoria alterius propositionis, quæ ita falsa non est.

Resp. ad replicam neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. In attingere rem per adæquationem cum ipsa conc. mai. quacumque attingentia neg. mai. & dist. min. in non attingere per modum recessus conc. min. quacumque non attingentia neg. min. & conseq. Quia veritas consistit in attingere rem per adæquationem cum ipsa, & inter adæquari, vel non adæquari non est assignabile medium; sed falsitas consistit in non attingere per recessum, & in tali recessu datur gradualis latitudo, sicut in recessu, vel distantia ab aliquo loco latitudo reperitur, unde inter non attingere per recessum, & attingere, datur medium, videlicet per maiorem, vel minorem recessum attingere.

Ad secundam prob. antecedentis dist. min. privatio in facto esse concedi. min. privatio inferi neg. min. Quia privatio in facto esse privat in toto, & ita non admittit magis, & minus, sicut vnus homo non dicitur magis mortuus, vel magis cæcus, quam alter, quia cæcitas, & mors sunt privationes in facto esse; sed falsitas non

non est privatio in facto esse, sed solum inferi veritatis, & ideo non privat in toto, sed suscipit magis, & minus, sicut ægrotudo potest esse maior, vel minor, & peccatum potest esse minus, vel maius, eo quod peccatum est privatio inferi gratiæ, & ægrotudo sanitatis.

Ad tertiam prob. neg. vtrumque ant. Quia forma non destruit magis de opposita forma, nisi forma opposita secundum conceptum proprium divisibilis sit, sicut vna ægrotudo maior est altera, quamvis sanitas perfecta maior altera non sit, nec distantia ab adæquatione cum loco, quando maior est destruit magis de prædicta adæquatione, quia ipsa adæquatio formaliter indivisibilis est, & ideo quamvis vna propositio sit altera falsior, inde non potest inferri falsitatem prædictam magis destruere de opposita veritate, quæ in sola adæquatione consistit.

Quartò arguitur: Veritas necessario debet magis, & minus admittere: Ergò vna propositio non solum potest, sed debet esse altera maior. Prob. ant. Primò: Veritas pro fundamento necessario debet magis, & minus admittere, vt fatemur: Ergò etiam pro formali hoc habere debet, quia fundamentum veritatis est ipsa adæquatio cum obiecto, de qua simul & veritate eadem ratio est.

Secundò prob. ant. Veritas

formalis consistit in relatione transcendentali iudicij intellectus ad veritatem attactam; sed relatio prædicta necessario debet admittere magis, & minus iuxta maiorem, vel minorem perfectionem obiecti, à quo accipit speciem: Ergò etiam veritas debet necessario magis, & minus admittere.

Tertiò prob. ant. Ea, quæ magis, vel minus accedere possunt ad primum suæ lineæ magis, & minus suscipiunt, sicut 1. 2. q. 22. art. 2. Et pluribus alijs in locis docet Angel. Doct. Sed veritas vna magis accedit ad primum verum, quam alia, nam visio beata magis accedit ad Deum, vel divinam cognitionem, quam cognitio scientiæ infusæ: Ergò veritas necessario debet magis, & minus admittere.

Confirm. & vrgetur argumentum: Eo veritas non posset magis, & minus admittere, quia consistit in adæquatione, vel conformitate intellectus ad rem; sed prædicta conformitas, & adæquatio non tollit veritatem magis, & minus admittere: Ergò veritas necessario debet admittere magis, & minus. Prob. min. Primò. In sanitate, quæ consistit in cōmensuratione, & æqualitate humorum, & tamen magis, & minus admittit, nam vnus homo dicitur magis sanus, quam alter.

Secundò prob. min. Quia actus affirmans hominem esse animal rationale, magis homini

conformatur, quam actus, qui solum affirmat hominem esse animal, eo quod primus actus attingit totam essentiam; secundus vero solum partem essentiae: Ergo inoradicta conformitas non tollit veritatem magis, & minus admittere.

Tertio prob. min. In veritate transcendentali, quae consistit in adaequatione cum intellectu divino, & in conformitate ad divinam ideam, quam aliquis imitatur; & tamen veritas transcendentalis magis, & minus admittit, nam Angelus magis perfecte imitatur ideam, & fit ad similitudinem Dei, quam altera creatura.

Quarto prob. min. In bonitate morali, quae consistit in adaequatione, & conformitate cum regulis motum: & tamen una bonitas moralis altera maior est, siquidem bonitas charitatis superat bonitatem moralem cuiuscumque virtutis. Ergo idem quod prius.

Resp. ad argumentum neg. ant. & ad primum prob. dist. ant. pro fundamento remoto, conc. ant. pro fundamento proximo, neg. ant. & conseq. Quia veritas duplex habet fundamentum, remotum videlicet, quod est connexio extremorum, quam necessario supponit adaequatio intellectus cum obiecto, & fundamentum hoc magis admittit, & minus, sed cum fundamento praedi-

cto veritas proportionari non debet: Aliud etiam habet veritas fundamentum, in quo veritas proximè fundatur, & cum quo proportionari debet; sed hoc fundamentum magis, & minus non admittit, eo quod est ipse actus intellectus, attingentis obiectum prout est, cum negatione excessus, & defectus, in quo quidem actu prout sub est negationi, tam defectus, quam excessus fundatur proximè veritas, & cum actus intellectus quamvis entitativè magis, vel minus perfectus, non possit tamen magis, & minus admittere prout sub est negationi praedictae inde fit veritatem formalem non debere magis, & minus admittere.

Ad secundam prob. Respondent aliqui veritatem formalem consistere in relatione praedicali reali: quae sententia vera esse non potest, quia actus attingens ens rationis est formaliter verus; & tamen relationem praedicalentalem realem non importat ad obiectum, eo quod relatio praedicalentalis realis terminum realem requirit.

Alij verò asserunt veritatem formalem consistere in relatione praedicali abstrahente à relatione reali, & relatione rationis: quae utique sententia non potest veritatem habere, quia relatio praedicalentalis est formaliter de genere entis, & cum ens reale, & rationis in linea entis non pos-

possint univocè convenire, inde fit, quod veritas formalis in utroque non haberet univocam convenientiam, & consequenter esset in aequalis formaliter.

Alij autem affirmant veritatem formalem in relatione transcendentali consistere, adhuc tamen posse magis, & minus non admittere, quia licet relatio transcendentalis ex conceptu communi, non petat, positivè magis, & minus excludere, hoc tamen permittit ex conceptu peculiari, & ita ex praedicto conceptu poterit veritas magis, & minus excludere.

Et si illis obijcias, quod si relatio praedicta veritatis transcendentalis est, debet respicere obiectum ut causam, & consequenter debet recipere magis, & minus iuxta maiorem, vel minorem perfectionem obiecti.

Respondent: Obiecta veritatis secundum se, aut in esse rei esse magis, vel minus perfecta, non tamen in ratione specificantis, & causantis formaliter veritatem, quia eam specificant, & causant secundum quod adaequatè terminant, & in ratione terminandi omnia obiecta aequalia sunt.

Verum solutionem praedictam non possumus approbare, quia omnia praedicta in aperiencia sola fundantur, nam si semel veritas formalis respicit obiectum, ut causam, ipsum etiam debet respicere tanquam finem, &

mensuram, & consequenter in ratione veritatis non adaequabit obiectum in ratione terminantis, ac proinde non poterit consistere in aequalitate ad obiectum. Quia propter his omisissis, aut in sua probabilitate relictis.

Resp. Aliter ad secundam prob. neg. mai. Quia veritas formaliter, ut talis relativa non est, sed solum connotativa extremorum, & solum consistit in unico, & indivisibili adaequationis conceptu cum veritate obiectiva, tanquam termino adaequationis primario, de formali se habente ratione termini adaequationis, in qua omnia obiecta conveniunt, & de materiali, ipsa entitate, vel perfectione veritatis obiective.

Ad tertium prob. antecedentis concessa maiori dist. min. in firmitate, vel in certitudine, conced. min. in ratione formali veritatis, neg. min. & conseq. Nam ea, quae magis accedunt ad primum alicuius lineae crescunt formaliter in ea ratione, in qua invenitur accessus, sicut lucidum augetur per accessum ad primum lucidum, eo quod in ipsa ratione lucidi invenitur accessus; verum in ratione veritatis formalis non reperitur accessus ad veritatem divinam, eo quod in veritate formali solum datur adaequatio indivisibilis cum obiecto, quae quidem in Deo, & creatura formaliter aequalis est.

Ad confirm. argumenti, neg. min.

min. & ad primam, prob. concessa maiori. Loquendo de sanitate perfecta, neg. min. Quia perfecta sanitas non suscipit magis, & minus; quia tamen nomen sanitatis impositum non est ad significandam tantum sanitatem perfectam consistentem in aequalitate humorum, sed ad hanc, & simul ad sanitatem parum deficientem ab aequalitate praedicta, propterea unus homo dicitur magis sanus quam alter, quatenus minus deficit a praedicta aequalitate.

Ad secundam prob. minoris, neg. ant. Quia licet primus actus plura praedicata attingat, & sic magis conformis extensive, formaliter tamen magis conformis non est, eo quod ita adaequatur cum eo, quod affirmat ut obiecto, & termino veritatis, sicut conformatur alius actus, nullus quippe eorum asserit obiectum esse plusquam est, nec minus, quod est in ratione terminantis veritatem. Sicut quantitas maior conformatur magis extensive quantitati maiori, quam minor minori, sed formaliter non magis conformatur, quia ita aequaliter adaequatur palmus palmo, sicut vlna vlnae adaequatur.

Ad tertiam prob. min. dist. mai. consistit inadaequate, conc. mai. adaequate, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia in veritate transcendentali duplex conceptus invenitur, unus videlicet, qui est adaequatio cum idea,

in quo non datur magis, & minus; nam licet Angelus magis assimiletur ideae generaliter, & absolute, quatenus perfectius ex parte rei imittatur divinam essentiam, non tamen cum essentia reduplicative, ut idea adaequatur magis, sed potius ita adaequatur homo cum essentia reduplicative, ut ipsius idea, sicut Angelus cum idea sua: alius insuper reperitur conceptus in veritate transcendentali per ordinem ad intellectum creatum per modum intelligibilis, aut passive cognoscibilis ab ipso, & cum praedicta cognoscibilitas fundetur in immaterialitate obiecti, eo quod unum quodque est cognoscibile in quantum immateriale; inde fit, quod sicut in entitate, & immaterialitate obiectorum invenitur inaequalitas, ita etiam in veritate transcendentali inaequalitas invenitur.

Ad quartam prob. min. Respondent aliqui moralitatem solum addere supra rationem boni communis adaequationem cum regula, & cum inadaequatione cum regula omnes actus, & obiecta convenient aequaliter, inde fit unam bonitatem moralem in ratione bonitatis absolute esse altera maiorem, non tamen in ratione moralis.

Sed contra est: Quia premium solum correspondet actui morali formaliter; sed bene operantibus confertur aliquando distinctum premium: Ergo inter actus, ut sunt

sunt de genere moris inaequalitas invenitur.

Secundo rejicitur solutio data, quia fides, & charitas inaequales sunt formaliter in genere moris, nam charitatem esse saltem moraliter fide perfectiorem, est de fide; sed inaequalitas praedicta desumitur penes ordinem ad actus magis, vel minus perfectos in genere moris: Ergo idem quod prius; & hanc solutionem satis efficaciter impugnatam, habent nostri, proptereaque non eam ultra impugnamus, ne plusquam oportet extra chorum immoremur. Unde.

Ad quartam, & ultimam prob. resp. Bonitatem moralem duplicem importare conceptum inadaequatum, alterum quidem adaequationis cum regula, in quo magis, & minus non datur, sed potius omnes bonitates morales conveniunt aequaliter, alterum etiam dari conceptum inadaequatum consistentem in respectu ad obiectum, & illius circumstantias, qui respectus magis, & minus admittit iuxta ordinem ad obiectum magis, vel minus perfectum, & secundum conceptum praedictum dicimus unam bonitatem moralem esse altera maiorem, & fidem superari a charitate.

Et si dicas: Primum conceptum inadaequatum respectum videlicet ad obiectum, non esse ad obiectum, nisi ut adaequatum cum regula: Ergo si in adaequatione

Mag. Freyhan.

cum regula aequalitas reperitur, in altero conceptu non poterit inaequalitas dari.

Resp. dist. ant. nisi ut adaequatum connexive, conc. ant. expressively, neg. ant. & conseq. Quia in primo conceptu non exprimitur respectus ad regulam, sed solum in eo importatur implicite, formaliter tamen, & connexive importatur, eo quod actus non respicit obiectum ibi sistendo, sed ultra ad regulam traeseundo, & ita transitus ad regulam est conceptus inadaequatus secundus, & cum primo connexus, sicut conceptus ad est conceptus secundus in relatione, inadaequatus tamen, & connexus cum peculiari in quatenus relatio non respicit subiectum sistendo ibi, sed ipsum ad terminum referendo, & propterea in primo conceptu potest inaequalitas reperiri, quamvis in conceptu secundo inveniatur aequalitas.

Quinto arguitur: Vna veritas formaliter perfectior est altera veritate: Ergo etiam altera maior est. Prob. ant. Primo: Actus visionis beatae, & actus fidei sunt formaliter actus veri; sed visio perfectior est fide: Ergo vna veritas altera perfectior est.

Secundo prob. ant. Sicut veritas in indivisibili consistit, ita etiam substantia; sed vna substantia est formaliter perfectior altera: Ergo idem de veritate dicendum.

Tertio prob. ant. Vna veritas habet perfectius obiectum, sicut

Aa

gem

dem obiectū huius veritatis *Deus est*, perfectius est quam obiectū huius veritatis *homo existit*: Ergo etiā vna veritas perfectior est, nam perfectio veritatis ab obiecti perfectione desumitur.

Confirm. Veritas divina perfectior est veritate creata: Ergo idem. Prob. ant. Primò: Æqualitas reperta inter Divinas Personas perfectior est æqualitate reperta inter personas, vel quantitates creatas: Ergo etiam divina veritas perfectior est quam creata.

Secundò prob. ant. Veritas creata est veritas secunda, & dependens à divina veritate, & consequenter formaliter participatur ab illa: Ergo veritas divina perfectior est.

Tertiò prob. ant. in divisione analogica membrum minus principale, minus etiam perfectum est; sed veritas in veritatem creatam, & increatam analogicè dividitur, & veritas creata est minus principale membrum: Ergo veritas divina perfectior est. Min. probat. Quia enti creato, & increato nihil datur univocum: Ergo veritas in creatam, & increatam analogicè dividitur.

Resp. ad argumentum, neg. ant. & ad primam prob. dist. min. in ratione cognitionis, conc. min. in ratione veritatis formalis, neg. min. & conseq. Quia licet visio in ratione cognitionis perfectior sit, eo quod clarè Deum attingit, in ratione tamen veritatis perfectior

non est, eo quod ita fides adæquatur cum obiecto, quod credit, sicut charitas cum obiecto, quod videt.

Ad secundam prob. dist. mai. Ly sicut parificante in substantiali vtriusque differentia absolute sumpta, conc. mai. sumpta comparative, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia licet differentia essentialis substantiæ in se ipsa, & absolute indivisibilis sit; comparative tamen indivisibilis non est, sed potius comparata ad aliam perfectiorem est minus perfecta, & ad aliam minus perfectam comparata, perfectior est: quod quidè provenit ex eo quod ratio substantiæ est contrahibilis per differentias magis, & minus perfectas intra lineam substantiæ, per differentiam videlicet exigentem perfectiorem substantiam, & modum perfectiorem essendi; & per differentiam exigentem modum non ita perfectum; veritas verò etiam comparative minor esse non potest, quia adæquatio in ratione formali adæquationis, nec plus habet, nec est minor in vno, quam in altero obiecto.

Ad tertiam prob. dist. antec. perfectius absolute, & comparative ad veritatem in ratione cognitionis, conc. ant. Comparative ad ipsam in ratione veritatis, vel per modum termini adæquationis, neg. ant. & conseq. Quia licet obiectum vnius veritatis perfectius sit absolute, non tamen per-

fe

fectius est in ratione termini adæquationis, eo quod ita perfectè terminat adæquationem sui iudicij obiectum huius veritatis *Deus est*, quam obiectum alterius *homo currit*, sicut quantitas palmaris ita perfectè terminat adæquationem alterius palmi, sicut quantitas bicubita alterius quantitas bicubitæ, vnde vna veritas in ratione veritatis formalis nunquam altera maior est.

Ad confirm. autem argumenti, neg. antec. & ad primam prob. dist. antec. perfectior in esse entis, conc. antec. in ratione æqualitatis, neg. antec. & conseq. Quia æqualitas reperta inter Divinas Personas entitative substantia infinita est, & ita magis perfecta, quam æqualitas creata; sed in ratione æqualitatis perfectior non est, eo quod in ea ratione formali in qua sunt æquales quantitates creatæ, ita adæquantur per negationem excessus, & defectus, sicut Personæ Divinæ.

Ad secundam prob. respondent nostri communiter: Veritatem creatam formaliter in ratione talis non esse primam, sed secundam, & dependentem à divina veritate, & veritatem in communi analogicè de vtraque prædicari, ad quod tamen affirmant sufficere, quod minus perfectè participetur à veritate creata, & cum dependentia à veritate divina: inde tamen non inferri veritatem formalem suscipere ma-

gis, & minus, quia substantia magis, & minus non suscipit; & tamen minus perfectè participatur à substantia creata, & dependentèr à divina substantia.

Ignoramus tamen qualiter quiescant in solutione prædicta, quia licet ex inæqualitate, & dependentia, aut analogica convenientia in ratione veritatis, non inferatur veritatem suscipere magis, & minus in se ipsa, & absolute per intensionem gradualem, sicut patet in substantia; bene tamen, ex inæqualitate prædicta colligitur vnam veritatem comparative ad alteram magis, & minus suscipere, id est non esse ita perfectam, sicut veritas divina, eo modo, quo substantia creata non est ita perfecta, sicut divina substantia; sed Authores prædicta solutione vtentes, nobiscum defendunt non solum veritatem magis, & minus non admittere per augmentum graduale absolute, & in se ipsa, verum etiam comparative, vnam videlicet veritatem non esse aliam maiorem, & perfectiorem: Ergo nec solutio tradita vera est, nec argumenti difficultatē evacuat.

Secundò respondent alij: Veritatem in communi esse analogam, non quidem analogiam inæqualitatis, & dependentiæ, sed solius transcendentæ, & ita ex transcendentia inæqualitatem non sequi.

Sed hæc etiam solutio argu-

mentum non soluit, quia veritas creata non est prima veritas, sed secunda, & à prima dependens.

Insuper etiam ubi datur transcendentia, ratio communis non descendit cum omni differentia sibi essentiali, alias adequatè descenderet, & univocè; quia propter solum descendit ad unum, cum aliqua differentia, & ad alterum cum altera differentia; sed differentie predictæ non possunt equales esse, cum sint primo diversæ: Ergò predicta ratio inæqualiter descendit.

Et si dicas: Non esse vtramque differentiam essentialem, & formalem comparative ad rationem communem. In contra est: Ergò vtraque essentialis non est: Ergò ratio communis ab ea præcindit: Ergò non prædicatur analogicè de illa, quia ratio communis non dicitur analogicè respectu illius, à quo perfectè præcindit. Undè.

Ad secundam prob. antecedentis eiusdem confirm. resp. aliter dist. ant. formaliter in esse rei conc. ant. in ratione veritatis neg. ant. & conseq. Quia licet veritas creata quatenus comparatur ad subiectum, & ad Deum, ut ad causam entitatis, secunda sit, & à prima dependens, vel ab illa participata; formaliter tamen quatenus comparatur ad obiectum per adequationem cum ipso, nec secunda est, nec dependens, nec à Deo participata formaliter, eo

quod in conceptu explicito adequationis in quo solo veritas consistit, nulla inferioritas explicatur.

Et si dicas: Veritatem pro formali dicere perfectionem, nã intellectum adequari cum obiecto est propria intellectus perfectio: facile resp. Adequationem predictam non esse perfectionem formaliter, sed solum argutivè, quatenus ex predicta adequatione colligimus perfectionem intellectus.

Et si iterum dicas: Quod ubi datur dependentia in essentia, datur etiam dependentia in proprietate consequuta; sed veritas est passio entis: Ergò si veritas creata dependet à divina in esse entis, etiam in veritate dependet.

Resp. veritatem transcendentalem esse passionem entis, non tamen veritatem formalem, quæ aliunde desumitur, ex adequatione videlicet intellectus cum obiecto.

Et si dicas: Quod veritas formalis pro formali est ens: Ergò si in ratione entis pendet, hoc idem habebit in ratione veritatis. Resp. idem quod diximus q. 1. art. 2. de scibilitate entis rationis loquentes, quia veritas pro formali adequationis nihil explicat entitatis, sed solum explicat aliquid formalitatis.

Ad tertiam prob. ant. nego min. Quia licet in esse entis, & pro

pro eo, quod veritas implicat, analogicè conveniat veritas creata cum veritate in creata; formaliter tamen in ratione veritatis habent univocam convenientiã, nam in ratione veritatis solū importatur formalitas quædã connotativa obiecti, per adequationem cum illo, & in hoc inæqualitas nõ datur, sicut in ratione entis specificantis intellectum conveniunt univocè Deus, & creatura, quatenus ens in ratione specificantis solum importat expressum entis formaliter, in quo convenientia, & non inæqualitas invenitur. Nec est simile de sapientia, quo exemplo utuntur aliqui, quia sapientia est cognitio, per altissimas causas, & cognitio divina magis penetrat, & per altiores causas probat.

Sed instabis primò: Causa æqualitatis, & adequationis est unitas extremorum, sed actus intellectus divini magis, unus est cum essentia divina, quam attingit, siquidem est unus per identitatem cum illa: Ergò in ipso conceptu adequationis inæqualitas invenitur.

Secundò instabis: Ex predicta solutione sequitur, dari in Deo compositionem methaphisicam veram, quæ quidem admittenda non est: Ergò nec data solutio. Prob. ant. Veritas univocè dicitur de creata, & increata iuxta datam solutionem; sed predicatum univocum veram facit compositi-

Mag. Eroylan.

tionem methaphisicam, cum differentia contrahente: Ergò ex predicta solutione sequitur etiam in Deo compositio predicta.

Resp. ad primam replicam, dist. mai. unitas commensurationis, conc. mai. quatenus dicit carentiam divisionis, neg. mai. Quia unitas, quam æqualitas requirit, non est unitas per carentiam divisionis, quæ in Deo maxima est; sed est sola commensurationis unitas, in qua utique non datur magis, & minus, sed ita commensuratur per negationem excessus, & defectus, intellectus creatus cum obiecto verè attacto, sicut intellectus divinus cum essentia attracta verè.

Ad secundam replicam, nego ant. & ad prob. dist. min. Contrahente ipsum intra propriam lineam, aut ipsum formaliter, concedo minor. ipsum materialiter, aut extra lineam propriam, nego minor. Quia veritas creata, & in creata solum contrahunt veritatem pro implicito, & materiali, non verò pro expresso, & formali, in quo solo consistit veritas, & idè cum veritate formali veram compositionem non faciunt.

Dices: Veritas saltem materialiter multiplicatur in veritate creata, & veritate increata, siquidem comparatur ad illas, ut ad subiecta diversa: Ergò contrahitur in vtraque per indivi-


Aa 3

dua-


duales saltim, & diversas differen-
tias: Ergo facit veram composi-
tionem cum illis, sicut homo cum
differentia individuali, quae de-
terminat materialiter speciem.

Resp. dist. ant. *materialiter*, id
est pro subtracto veritatis, conc.
ant. *materialiter*, pro conceptu ve-
ritatis, neg. ant. & conseq. Quia
veritas pro subtracto, & materia
veritatis, multiplicatur realiter, &
formaliter in creata, & increata,
sed conceptus formalis veritatis,
nec materialiter multiplicatur, eo
quod multiplicatio, & divisio nu-
merica, & individualis, non exer-
cetur in expressio adaequationis, in
quo solo veritas formalis confi-
sit, cum expressum adaequatio-
nis nihil aliud possit exprimere, &

consequentè nihil aliud possit
formaliter importare, sed potius
est vnus, & indivisibilis materialiter
conceptus, quem omnia mul-
tiplicantia solum pro substrato
plurificant, & substratum non est
de linea veritatis; in quo quidem
veritas distinguitur ab homine, &
omni alia specie faciente compo-
sitionem cum differentia indivi-
duali, quia quamvis individualis
differentia non determinet essen-
tiam hominis per aliquid essen-
tiale speciei, ipsam tamen spe-
ciem pro formali determinat, &
ipsam formam specificam limi-
tat, vnde ipsa forma specifica in
diversis individuis realiter,
& numericè distin-
cta est.



QVÆST.



QVÆST. SEXTA.

DE SYLLOGISMO, ET IN EA.

ARTICVLVS VNICVS.

VTRVM CONCLUSIO SIT DE ESSENTIA Syllogismi?

§. PRIMVS.

Quibusdam prenotatis, statuitur negativa conclusio.

IN difficultate præsentis, quæ
non argumentorum gra-
vitate, sed authorum con-
fusione difficilis effecta
est, debemus primò præmittere:
Motum discretum in recto im-
portare vtrumque terminum, à
quo videlicet, & ad quem sicut i. p.
q. 52. artic. 1. & 2. docet Angel.
Doct. dum ibi motum Angeli dis-
cretum, vtrumque terminum im-
portare affirmat expresse, & ipsa
ratio convincit, quia in motu præ-

dicto mobile non movetur in ali-
qua via mediante inter terminos
prædictos, sed movetur præcise
per attingentiam vtriusque, con-
sequenterque motus prædictus
non aliqua via media, sed po-
tius in vtroque termino debet
adæquatè consistere; cumque dis-
cursus intellectus nostri sit motus
intellectualis discretus, in quo
præmissæ habent rationem termi-
ni à quo, & conclusio habet ratio-
nem termini ad quem: inde fit dis-

cursum nostrum in recto importare præmissas inferentes, & conclusionem illatam. Quia propter dum in dubium vertimus, an conclusio sit de essentia syllogismi, pariter dubitamus, an syllogismus sit discursus adæquatè, & dicat totum quod motus, vel minus importet in recto, aut an syllogismus salvetur adæquatè in termino a quo discursus, vel utrumque terminum importare debeat, qualiter utrumque terminum motus intellectualis importat.

Secundò præmittendum est; argumentationem, vel syllogismum, de quibus in difficultate nostra æqualiter disputamus, non posse adæquatè consistere in illatione mediãte inter antecedens, & consequens, aut inter præmissas, & conclusionem illatam, quæ quidem illatio explicatur per particulã *quia si*, vel *ergò*, quasi per modum motus inter terminum utrumque mediantis, & existentis.

Assumptum probamus primò: Quia syllogismus est oratio, ut conitat ex eius diffinitione; sed illatio illa, quæ mediat inter præmissas, & conclusionem illatam, non est oratio: Ergò non potest in illa sola adæquatè consistere syllogismus. Prob. min. Nota prædicta illationis explicatur per incomplexam, & unicam tantum vocem, & consequenter illatio prædicta non habet partes per se significativas separatas: Ergò vera oratio non est siquidem diffinitio

orationis illationi prædictæ non convenit.

Secundò prob. assumptum: Syllogismus debet esse modus sciendi, sed nota prædicta non est modus sciendi: Ergò in ea sola nequit consistere syllogismus. Prob. min. Modus sciendi manifestat ignotum; sed nota illatio manifestat ignotum: Ergò modus sciendi non est. Prob. min. Illud manifestat ignotum, quod continet ipsum; sed nota prædicta non continet ignotum, sed solum est nexus, & unio continentis, & contenti: Ergò nota illa non manifestat ignotum.

Confirm. Syllogismus non potest in vno solo termino sine thegotimatico adæquatè consistere, alias terminus cathegorematicus syllogismum superaret; sed nota prædicta est vnus tantum terminus sine cathegorematicus: Ergò non potest in ea sola adæquatè consistere syllogismus.

Sed instabis contra præfatum doctrinam, quia in eo debet consistere adæquatè syllogismus, in quo consistit adæquatè consequentia; sed consequentia in recto, & adæquatè consistit in illatione mediãte: Ergò in eadem debet consistere syllogismus. Prob. min. Quando negamus consequentiam, non negamus antecedens, vel consequens, conclusionem, vel præmissas: Ergò in nullo horum, sed solum in illatione mediãte consistit adæquatè

quatè consequentia.

Secundò probat. min. in eo consistit in recto, & adæquatè consequentia, quod per eius diffinitionem importatur in recto; sed in diffinitione consequentiæ sola illatio importatur in recto, alia verò importantur in obliquo, siquidem consequentia diffinitur: illatio vnus ex alio, in qua diffinitione vnus, & aliud importantur in obliquo: Ergò in illatione sola debet consistere adæquatè consequentia.

Confirm. Motus non potest in recto, & intrinsicè consistere in termino a quo, vel ad quem, aut simul in utroque: cum uterque terminus extrinsicè comparetur ad motum; sed syllogismus est motus, & præmissæ habent in eorationem termini a quo, conclusio verò habet rationem termini ad quem: Ergò non potest in præmissis, vel in conclusione, aut in utroque simul consistere syllogismus, sed solum in illatione mediãte.

Resp. ad argumentum neg. min. Quia consequentia importat formaliter dispositionem debitam præmissarum, ut inferant conclusionem, aut connexionem activam antecedentis ratione, cuius habet continere consequens, & illud inferre, & idè consequentia non consistit in illatione verè mediãte, sed potius in illatione activa se tenente ex parte præmissarum, aut ex parte antecedentis,

& solum in obliquo importat conclusionem illatam; vnde ad primam prob. dist. ant. antecedens, vel præmissas absolutè conced. ant. ut illativas neg. ant. & consequ. Quia quando negamus consequentiam, negamus antecedens, vel præmissas benè inferre conclusionem, aut illam continere, in qua quidem continentia, vel illatione consistit adæquatè consequentia.

Ad secundam probat. min. resp. Quod dum consequentia diffinitur: illatio vnus ex alio, idem est, quod dicere vnus, ut inferens aliud, & idè licet in voce, & quantum ad apparietiam ponatur antecedens in obliquo, verè tamen, & in re ponitur in recto, & solum aliud illatum in obliquo collocatur, ex quo tantum inferitur conclusionem illatam non esse de essentia consequentiæ formaliter, & in recto, non tamen antecedens, vel præmissas de illius essentia non esse.

Ad confirm. dist. min. Motus inadæquatè sumptus pro termino a quo, vel præmissis, ut inferentibus conced. min. adæquatè sumptus neg. min. Quia syllogismus non est motus adæquatè, sed solum principium motus, nam ut dicemus infra, syllogismus solum in præmissis, ut inferentibus consistere debet. Verum modo nolumus doctrinam ad mentem nostram restringere; sed in opinione etiam contraria.

Respondemus dist. mai. Motus continuus conc. mai. motus discretus neg. mai. Quia motus continuus importat in recto viam, mediantem inter terminum à quo, & ad quem, & realiter ab utroque distinctam, in qua sola consistere debet; sed motus discretus qualis est syllogismus, vel discursus non importat viam mediantem vere, sed solum terminum à quo, & terminum ad quem, ut successivè se habent, & ita utrumque importat in recto.

Contra doctrinam prædictam, quæ difficilis non est, nihil speciale opponit Huertos. Potest tamen contra eam replicari, primo: Quia motus etiam discretus est vnus; sed talis non esset si utrumque terminum importaret in recto: Ergò non importat utrumque. Prob. min. Primò, quia intellectus non attingit utrumque terminum vnica operatione, sed duplici operatione, vel motu: Ergò motus non esset vnus, si utrumque terminum importaret in recto.

Secundò prob. min. Motus interruptus quiete, non est vnus motus; sed si utrumque terminum importat in recto, iam interruptur quiete: Ergò idem. Probat. min. Mobile solum movetur, dum vnum, & alium terminum attingit; sed inter vnus, & alterius attingentiam, mediat quies, cum vnum, & alterum attingat; induplici instanti, & inter duo

instantia mediat tempus in quo nullum eorum attingit, sed necessario quiescit: Ergò minor. vera est.

Secundò instabis: Intellectus non movetur dum attingit præmissas, quia tunc adhuc est in termino à quo, nec movetur dum attingit conclusionem, eo quod iam est in termino ad quem, & consequenter iam transiit motus: Ergò solum movetur intellectus dum est in via mediantem inter præmissas, & conclusionem illatam, ac proinde non in ipsis terminis, sed potius in via prædicta debet consistere motus.

Resp. ad primam replicam neg. min. & ad primam prob. dist. ant. duplici operatione ordinata per modum principij, & termini conc. ant. non sic ordinata nego ant. & conseq. Quia quamvis intellectus duplici operatione utrumque terminum attingat, vna tamen operatio se habet, ut principium, & quasi potentia ad aliam operationem, ut terminum, eo quod per primam attinguntur præmissæ, ut causa conclusionis, & ut ex illis intellectus ad conclusionem, ut ad terminum procedat, & propterea uterque terminus in recto importatur in motu, cum se habeant per modum prioris, & posterioris inter quos nulla possit intercedere via, in qua motus possit consistere, sicut motus discretus Angeli consistit adæquatè in duplici operatione quarum pri-

prima attingit terminum à quo, non ut Angelus ibi maneat, sed ut transeat ad aliam operationem, in qua motus consumatur, & completur.

Ad secundam prob. neg. min. & ad prob. neg. etiam min. Quia intellectus præmissas, & conclusionem attingit in vno, & eodem instanti, eo quod prædictæ operationes inter se subordinantur, & ideò potest in eodem instanti utramque operationem habere, sicut Christus in vno, & eodem instanti intelligebat per cognitionem scientiæ beatæ, scientiæ infusæ, & naturalis, quapropter inter attingentiam vnus, & alterius termini, non mediat aliqua quies in motu intellectuali discreto, nec mediat aliquod tempus, quod utique in motu intellectuali discreto nostri intellectus semper verum est; sed in motu Angeli induplici instanti attingitur uterque terminus, quæ tamen instantia immediatè se habent in tempore discreto mensurante Angeli motum, quamvis duo instantia, in tempore nostro immediatè esse non possint.

Ad secundam instantiam principalem resp. dist. ant. non movetur terminativè: conc. ant. initiative, neg. ant. Quia cum intellectus per primum actum attingat præmissas, ut ex illis inferat conclusionem, & ad ipsam tendat, per ipsum primum actum incipit intellectus moveri, & in

conclusionem motus ipse terminatur, seclusa via inter utrumque terminum mediantem, & ita in utroque termino debet consistere motus.

Præmissis igitur, in prædicta via non consistere syllogismum adæquatè, solum ad præmissas, & conclusionem difficultas nostra devolvitur: in qua parte, affirmat prima sententia syllogismum in præmissis, & conclusionem simul in recto, & adæquatè consistere. Ita Iavellustract. 6. dialect. cap. 1. Mag. Ioann. à Sanct. Th. q. 8. art. 3. Prado, & Parra quos plures alij sequuntur. Secunda sententia asserit syllogismum in solo antecedenti, aut in solis præmissis in recto, & adæquatè consistere, & solum extrinsecè, & in obliquo conclusionem importare, ac proinde, syllogismum adæquatè non esse motum intellectualem discretum, sed duntaxat aliquam partem illius. Quæ quidem sententia inter nostros communis est, & eam magis securam, & certam existimamus in doctrina D. Thom. sit ergò.

§. II.

Nostra conclusio.

PROBANT aliqui conclusionem prædictam ex Aristotele 2. Pri. cap. 1. asserente: syllogismum inferre conclusionem, sentit ergò illud idem quod

quod infert, esse syllogismum, & cum solæ præmissæ inferant, in eis tantum debere consistere syllogismum.

Sed quamvis non improbemus adductam probationem, recognoscimus tamen facile ad eam adversarios respondere: Aristotelem videlicet accipere syllogismum pro parte principaliori, quæ sunt præmissæ inferentes, eo quod *ab optimo in quocumque venit denominatio*; non tamen loqui Philosoph. de syllogismo considerato adæquatè, & ideò quidquid de ratione prædicta sit.

Efficacius veritatem istam 1. Pri. cap. 9. Arist. expræsit, dum ibi constitutionem adæquatam syllogismi explicat per tres terminos, & duas propositiones, quod utique rectè non faceret, si conclusionem importaret in recto, eo quod si conclusionem importat in recto, iam non duas, sed tres propositiones habebit, & per eas debite constitueretur.

Eandem similiter veritatem opusc. 48. cap. 1. docuit Angelic. Doct. nam ibi propositionem, ut pertinentem ad constitutionem syllogismi diffinit: *Esse enuntiationem, ad quam aliud sequitur*; & propterea ibi etiam affirmat conclusionem non esse propositionem. Ergò propositio, quæ syllogismum constituit est sola enuntiativa illativa, quæ solum in obliquo conclusionem importat.

Respondent adversarij Ari-

stotelem loqui tantum de syllogismo in adæquatè considerato, & quoad vim illativam, iuxta quam solum importat tres terminos, & duas propositiones conclusionem inferentes.

Hæc tamen solutio inefficax est, quia eodem modo, & eodem tenore affirmat Arist. duas propositiones, & tres terminos constituere syllogismum; sed tres termini tantum constituunt adæquatè syllogismum: Ergò duæ tantum propositiones syllogismum constituere debent.

Rursus etiam: Si Arist. constitutionem explicans syllogismi, de illo in adæquatè loqueretur, diminutè quidem procederet, quod tamen sine fundamento desiderant adversarij persuadere.

Insuper etiam, id ipsum doctrina D. Thom. convincit, quia dum opusc. supra dicto diffinit propositionem pertinentem ad materiam syllogismi, non potest dici, unam tantum, & non omnes diffinire, quia diffinitio propositionem universalem includit, sicut dum diffinitur homo per animal rationale, omnis homo diffinitur; sed D. Thom. propositionem pertinentem ad materiam syllogismi diffinit per enuntiationem illativam, quod tamen conclusioni non convenit: Ergò sentit conclusionem formaliter, & in recto non intrare in materia syllogismi.

Ratione verò conclusio nostra

stra prob. quia in syllogismo demonstrativo conclusio non est de illius essentia formaliter, & in recto; sed de hoc, & alijs eadem est ratio formaliter: Ergò conclusio in nullo syllogismo intrat illius essentiam formaliter, & in recto. Prob. mai. Nullus effectus formaliter, & in recto est de essentia sue causæ efficienter producentis, sicut etiam nulla causa effectiva est de essentia proprii effectus; & utriusque eadem ratio assignatur, quod videlicet causa est extrinseca effectui, & effectus extrinsecus causæ: Sed conclusio in syllogismo demonstrativo est effectus illius, ut causæ efficientis, siquidem demonstratio teste Arist. 1. Posteriorum cap. 2. est syllogismus faciens scire; quod utique, tam de scientia habituali, quam de scientia actuali, aut assensu conclusionis intelligitur: Ergò conclusio in syllogismo demonstrativo non est de illius essentia formaliter, & in recto.

Secundò, ratione communi, & efficacissima valdè, prob. conclusio nostra. Solus conceptus orationis specialiter manifestantis ignotum, potest formaliter, & in recto constituere syllogismum; sed conclusio non est oratio verè manifestativa, sed potius manifestata: Ergò conclusio formaliter, & in recto non potest constituere syllogismum, min. cum conseq. tenet, & mai. in qua difficultas est, prob. ita, Illud solū for-

maliter, & in recto potest constituere syllogismum, quod ipsum ab omni alia specie modi sciendi distinguit formaliter; sed solus conceptus orationis specialiter manifestantis ignotum, distinguit formaliter syllogismum à quacūq; altera specie modi sciendi: Ergò solus conceptus prædictus potest formaliter, & in recto constituere syllogismum min. constat, ex eo quod modus sciendi est oratio manifestativa ignoti, & consequenter solum per conceptum specialiter manifestantis ignotum, poterit syllogismus ab omni alia specie modi sciendi discriminari, aut distingui formaliter. Mai. verò probat. Illud solum potest constituere speciem, quod illam distingui formaliter ab omni alia specie contenta intra rationem communem, sicut illud solum potest hominem constituere, quod illud distinguit ab omni alia specie contenta intra lineam animalis; sed syllogismus est species modi sciendi, qui quidem adæquatè dividitur indiffinitionem, divisionem, & argumentationem tanquam in species proprias: Ergò solum illud formaliter, & in recto potest constituere syllogismum, quod ipsum ab omni alia specie modi sciendi distinguit formaliter.

Confirm. & explicatur ratio prædicta; nulla differentia syllogismi constitutiva potest esse formaliter extra lineam modi sciendi; sed conclusio sumpta formaliter, est

est differentia extra lineam modi sciendi; cum verè manifestativa non sit: Ergò non potest conclusio formaliter, & in recto constituit syllogismum. Probat. mai. Nulla differentia essentialiter divisiva generis, & constitutiva speciei, potest esse formaliter extrarationem communem, nam eorationalitas est intranea differentia in ordine ad rationem animalis, aut intra talem lineam formaliter, quia essentialiter dividit rationem animalis, & constituit speciem intra rationem communem; sed omnis differentia syllogismi constitutiva essentialiter divisiva est modi sciendi; & constitutiva speciei intra lineam predictam, siquidem modus sciendi essentialiter, & tanquam per species diversas dividitur indiffinitionem, divisionem, & argumentationem, quæ ultima species entimema, & syllogismum comprehendit: Ergò nulla differentia syllogismi constitutiva potest esse formaliter extra lineam modi sciendi.

Respondent adversarij regulariter, & primò: Syllogismum duplicem importare conceptum inadæquatum constituentem adæquatam syllogismi differentiam, alium videlicet orationis illativæ secundum quem importat præmissas, ut inferentes, & alium orationis illatæ secundum quem conclusionem importat, & solum secundum primum conceptum

esse formaliter intra lineam modi sciendi; & importare differentiam essentialiter dividentem modum sciendi in communi, & ipsum essentialiter contrahentem; quia cum syllogismus sit motus intellectualis discretus, non solum importare debet terminum à quo, vel præmissas, ut illativas, sed etiam terminum ad quem, vel conclusionem formaliter, ut illatam.

Hæc tamen solutio, si vera est, persuadet modum sciendi non dividi indiffinitionem, divisionem, & argumentationem adæquatè consideratam, quod utique ignoramus quo verò fundamento affirmetur efficaciter tamen.

Impugnatur data solutio; quia quando duo conceptus inadæquatè se habent, & constituunt vnam adæquatam differentiam, vterque conceptus continetur intra eandem rationem communem, & essentialiter dividit illam, sicut in relatione non solum conceptus ad, sed etiam peculiare in est formaliter de genere relativo, & in accidente respectivo non solum peculiare in, sed etiam respectus ipse est formaliter intra genus accidentis, & in intellectu humano nedum conceptus discursus, sed etiam conceptus intellectus est formaliter in genere intellectivo, & in voluntate creata, nedum conceptus liberæ, sed etiam conceptus naturæ est for-

ma-

maliter intra genus volitivum; sed syllogismus secundum primum, & inadæquatum conceptum est formaliter intra lineam modi sciendi: Ergò etiam secundum conceptum vltimum, & adæquatum intra eandem lineam exillit.

Secundò etiam efficaciter reijcitur data solutio: quia conceptus in adæquati non possunt obiectivè præscindere, eo quod ad invicem connectuntur, & convertibiliter se habent, & se mutuo in bibunt ex conceptu formali, sicut peculiare in non præscindit obiectivè à conceptu ad, nec conceptus intellectus à conceptu discursus in humano intellectu, aliàs conceptus prædicti non inadæquatè, sed adæquatè præscinderent, nam ea, quæ obiectivè præscindunt adæquatè distinguuntur; sed si primus conceptus syllogismi est formaliter intra lineam modi sciendi, & secundus, vel vltimus conceptus intra talem lineam non est, conceptus prædicti debent obiectivè præscindere: Ergò non poterunt se habere, ut inadæquati conceptus. Prob. min. Si secundus, & vltimus conceptus intra lineam modi sciendi nō est, erit in altera linea adæquatè distincta; sed si in altera linea adæquatè distincta est, debet necessario præscindere à primo conceptu obiectivè, sicut etiam lineæ adæquatè distinctæ obiectivè præscindunt, ut patet per singulas discurrendo: Ergò prædicti concep-

tus debent obiectivè præscindere.

Ex his habes syllogismum secundum sui adæquatam differentiam, esse distinctum formaliter à motu intellectuali discreto, vel à discursu considerato adæquatè, & formaliter, quia discursus, vel motus intellectualis discretus vtrumque terminum importat formaliter, & in recto, & ita constituitur in recto per præmissas, & per ipsam conclusionem, syllogismus verò solum constituitur formaliter, & in recto per præmissas, ut illativas, & solum in obliquo per conclusionem illatam.

Dices: Si doctrina hæc vera est, motus discretus, vel discursus constituitur formaliter per vnum conceptum existentem intra lineam modi sciendi, & per alterum inadæquatum conceptum existentem formaliter extra lineam prædictam: Ergò etiam syllogismi differentia poterit ex similibus inadæquatis conceptibus adæquatè conflari, & consequenter doctrina, qua contrarios impugnavimus, vera non erit. Prob. ant. Si doctrina hæc vera est, discursus, vel motus intellectualis discretus constituitur adæquatè per præmissas, ut illativas, & simul per conclusionem illatam; sed præmissæ, ut illativæ sunt formaliter intra lineam modi sciendi non verò conclusio, ut illata: Ergò discursus, vel motus intellectualis

con-

constituitur per vnum conceptum existentem intra lineam modi sciendi, & alium extra illam existentem.

Resp. Tamen facile dist. ant. existentem intra lineam modi sciendi materialiter conced. ant. formaliter neg. ant. & conseq. Quia discursus, vel motus intellectualis discretus non constituitur etiam inadæquatè per præmissas formaliter, vt inferentes, & manifestantes conclusionem ignotam, qua ratione sunt formaliter intra lineam modi sciendi, sed solum constituitur per illas, vt habentes rationem termini à quo, & quatenus intellectus ex illis procedit ad conclusionem tanquam ad terminum motus, & quamvis ad rationem termini à quo, & termini ad quem præsupponatur, pro abstracto, vel ex parte rationis, quæ præmissas esse illativas, & conclusionem illatam, alia tamen est formaliter ratio termini, qua præmissæ pertinent ad motum, & alia ratio inferentis, qua constituentur syllogismum, & formaliter continentur intra lineam modi sciendi: sicut dum intellectus prædicat diffinitionem de diffinito, non diffinit, quia diffinitio in propositione non se habet, vt diffinitio formaliter, sed solum pro materiali, eo quod alia est ratio diffinitionis, alia ratio prædicati.

Secundò ad rationem nostram adversarij respondent: Quod quamvis syllogismus con-

stituarur formaliter per præmissas, & per conclusionem simul, non infertur inde aliquam differentiam, vel conceptum inadæquatam syllogismi esse formaliter extra lineam modi sciendi, eo quod conclusio est de essentia syllogismi quatenus ipsa est formaliter manifestativa præmissarum, & ex illa per viam resolutionis regreditur intellectus ad præmissas secundum quam considerationem ipsa conclusio est formaliter intra lineam modi sciendi.

Sed hæc etiam solutio efficaciter impugnatur: quia ad essentiam syllogismi inferentis conclusionem, magis pertinere debet ipsa conclusio, vt illata, quam conclusio, vt illativa, siquidem vt illata terminat hunc syllogismum, & vt illativa pertinet formaliter ad alterum syllogismum, quo per ipsam præmissas a posteriori probamus; sed conclusio vt illata non pertinet in recto ad essentiam syllogismi iuxta solutionem datam: Ergò minus, vt illativa poterit ad illius essentiam formaliter, & in recto pertinere.

Secundò reijcitur: Quia si solutio tradita vera est, terminus à quo syllogismi à posteriori formaliter, vt talis, erit de essentia syllogismi à priori; sed hoc asserere est confundere syllogismorum essentias, & eorum terminos ignoranter involvere: Ergò solutio tradita nulla est. Prob. mai. Conclusio vt illativa formaliter est

ter-

terminus à quo syllogismi, quo per ipsam probamus à posteriori præmissas: Ergò si solutio tradita vera est, terminus à quo syllogismi à posteriori erit de essentia syllogismi à priori. Ex quo ulterius non per inefficacem consequentiam infertur syllogismum à posteriori esse de essentia syllogismi à priori.

Tertiò reijcitur: Quia medium alterius, & diversi syllogismi, non potest esse de essentia syllogismi distincti, sicut medium vnius motus formaliter vt tale, non potest esse de essentia alterius motus diversi; sed conclusio, vt manifestativa formaliter est medium syllogismi à posteriori: Ergò non potest esse de essentia syllogismi à priori.

Tertiò respondent alij: Conclusionem esse de essentia syllogismi, non quidem, vt manifestativam præmissarum, sed vt manifestativam sui, sub qua ratione etiam est formaliter intra lineam modi sciendi.

Sed etiam hæc solutio falsa est: Quia quælibet oratio, quæ verè est intra lineam modi sciendi, debet esse manifestativa per modum diffinitionis, divisionis, vel argumentationis, cum modus sciendi in species prædictas adæquatè dividatur; sed conclusio non manifestat se ipsam, vt diffinitio, divisio, vel argumentatio, sicut ex terminis notum

Mag. Froylan.

est: Ergò conclusio non est manifestativa sui intra lineam modi sciendi.

Secundò reijcitur solutio data: Quia Sæpè D. Thomas comparavit præmissas luci, quia sunt ratio formalis illuminandi conclusionem, sed conclusionem respectu sui nunquam luci comparavit: Ergò quamvis præmissæ manifestent conclusionem, ipsa tamen conclusio non proprie, sed in proprie se ipsam manifestat.

Tertiò reijcitur: Quidquid artificiosè manifestat, debet distinguui à re manifestata, saltem distinctione rationis penes implicitum, & explicitum, & magis, vel minus notum; sed conclusio solum distinguitur distinctione prædicta à sua diffinitione: Ergò conclusio non potest modo artificioso se ipsam manifestare, ac proinde si conclusio est de essentia syllogismi, iam differentia adæquata syllogismi non erit conceptus orationis specialiter artificiosè manifestantis ignotum, consequenterque syllogismus adæquatè non erit intra lineam modi sciendi, quod

sufficienter relinquimus impugnatum.

Eb

s. III.

§. III.

*Argumentis contra conclusionem
occurritur.*

CONTRA conclusionem nostram arguitur primò: Ex Angelico Doct. opusc. 48. cap. 4. asserente syllogismum constare tribus propositionibus, quarum duae primae sunt praemissae, & ultima conclusio; sed nihil constat, nisi ex partibus, quae illum componunt intrinsecè: Ergò conclusio in recto, & intrinsecè debet constituere syllogismum.

Resp. explicando maiorem: Tribus propositionibus ingredientibus inaequaliter, & aliqua earum intrante in obliquo conc. mai. ingredientibus aequaliter neg. mai. & dist. min. constat rigurose conc. min. in lata acceptione eaque satis frequenti neg. min. & conseq. Asserimus namque D. Th. ibidem tantum intendere ad syllogismum tres propositiones requiri inter se connexionem habentes, non tamen aequaliter ingredi, sed duas ingredi in recto, & alteram in obliquo, & ita esse intelligendum constat ex eo, quod in eod. opusc. cap. 1. affirmavit propositionem pertinentem ad constitutionem syllogismi, esse enunciationem illativam, quod utique signum est excludere conclusionem a constitutione praedicta formaliter, & in recto, & ita esse intelligendum

cap. 4. ne dicamus tan cito fuisse contrarium; & consequenter non loqui de constare in rigurosa acceptione, iuxta quam solum dicitur, rem constare ex illis, quae in ea intrinsecè existunt, sed tantum de constare in acceptione lata, usitata tamen in loquutione communi, sicut motus localis dicitur constare terminis à quo, & ad quem, qui tamen extrinsecè componantur ad motum: & regulariter dicitur etiam in littera D. Th. bonitatem actus humani, & moralis coalescere ex bonitate obiecti circumstantiarum, & finis, cum tamen obiectum, & finis extrinsecè tantum comparentur ad actum.

Sed instabis primò: D. Th. in eodem cap. affirmare quod: *Sicut omnes triangulus constat tribus angulis, ita syllogismus ex tribus propositionibus; sed triangulus constat tribus angulis aequaliter ingredientibus, & in recto: Ergò sentit syllogismum ex tribus propositionibus eodem modo constare.*

Secundò instabis: Syllogismus in doctrina D. Th. est processus intellectualis à notis ad minus nota, sicut etiam hoc habet argumentatio, & syllogismus est species argumenti; sed processus à notis ad minus nota includit in recto attingentiam, utriusque: Ergò syllogismus debet includere conclusionem formaliter, & in recto, sicut includit praemissas.

Resp. explicando maiorem: Ly sicut parificante in numero par-

partium, conc. mai. in modo illas habendi, neg. mai. Quia triangulus habet specialem extensionem in ipso formaliter existentem, quae talis esse non posset, si tres anguli non essent in ipso formaliter, nam quod ad extra est non potest praebere intrinsecam extensionem, & ideo triangulus debet constare tribus angulis aequaliter ingredientibus, & in recto; quod tamen non ita de syllogismo dicendum.

Ad secundam instantiam, dist. mai. processus in adaequatè, & secundum primam partem illius, conc. mai. adaequatè, & formaliter, neg. mai. Quia licet processus, vel motus intellectualis praemissas, & conclusionem includat, syllogismus tamen secundum differentiam adaequatam est formaliter extra lineam motus, & intra lineam modi sciendi, & solum dicitur processus in adaequatè, quatenus praemissae in quibus syllogismus consistit sunt terminus à quo motus, & hoc quidem in esse rei, & non formaliter, quia sub alia ratione formali sunt terminus à quo motus, & sub alia habent constituere syllogismum.

Secundò arguitur: Discursus essentialiter includit praemissas, & conclusionem in recto, sed syllogismus essentialiter est discursus: Ergò etiam debet in recto includere conclusionem. Probat. min. Tertia operatio intellectus dirigitur per discursum, eo quod

est operatio discursiva; sed syllogismus dirigit tertiam operationem intellectus: Ergò syllogismus est essentialiter discursus.

Respondent: Aliqui syllogismum essentialiter esse discursum, & idem de illo, & de discursu dicendum, non tamen importare discursum praemissas, & conclusionem in recto; quia discursus etiam constituitur per conceptum orationis manifestantis ignotum, & ita solas praemissas manifestantes debet importare in recto, & conclusionem manifestatam extrinsecè, & in obliquo.

Et si illis objicias: D. Th. 1. p. quaest. 58. art. 3. eo probare Angelos non discurrere, quia non habent duplicem cognitionem, quarum una causetur ex alia: Ergò discursus duplicem cognitionem importat unam quidem terminatam ad praemissas, & aliam conclusionem attingentem.

Respondent, dist. causalem antecedentis, duplicem cognitionem simul, & in recto importatam, neg. causalem, duplicem, & unam in recto, alteram verò in obliquo, conc. causalem: Quia Angelus viso principio, videt etiam in principio conclusiones; & ita per eundem actum principium, & conclusiones attingit, propterea quae non habet duplicem actum distinctum, adhuc unum importatum in recto, & alterum in obliquo, & ideo probat D. Thom. in Angelis non esse discursum.

Solutionem tamen praedictam non totaliter improbamus, non tamen eam totaliter possumus approbare, ut magis probabilior quia discursus dicitur per analogiam ad cursum temporalem, & materialē, unde discursus idem est, quod de vno ad alterum cursus; sed cursus est essentialiter motus: Ergo etiam discursus essentialiter motus est, & propterea Dr. Sanct. aequaliter semper, & in omnibus locis discurret de discursu, & motu intellectuali discreto, & loco supra citato respondet ad r. quod *discursus quendam motum nominat, omnis autem motus est de vno priori, in aliud posterius.* Quae omnia indicant manifeste discursum, & motum idem significare, & pro eodem supponere, & consequenter discursum consistere in recto in duplici mutato esse, in termino à quo, & in termino ad quem, eo quod motus discretus non importat viam mediantem inter terminum à quo, & ad quem, sed solum in ipsis terminis, vel in mutato esse per utrumque in recto, & adaequatè consistit. Et ideo hac solutione relicta.

Resp. aliter, neg. min. Quia syllogismus dumtaxat importat in recto primam partem discursus, & motus, eam videlicet quae manifestativa est, non verò partē manifestantem, & partem manifestatam, quarum utramque importat in recto discursus. Ad probationem verò dist. min. tertiam

operationem in adaequatè, conc. min. tertiam adaequatè neg. min. Quia tertia operatio importat adaequatè discursum, quem quidem non dirigit syllogismus adaequatè, sed solum in adaequatè, & secundum eam partem, quae est oratio manifestativa ignori, eo quod haec sola constituit adaequatè syllogismum intra lineam modi sciendi.

Dices primò: Praedictam partem non pertinere ad tertiam operationem, quia praedicta pars sunt quaedam propositiones ad secundam operationem expectantes: Ergo si solum partem praedictam dirigit syllogismus, non verificabitur syllogismum tertiam operationem dirigere.

Dices secundò: Discursum esse adaequatè dirigibilem per aliquod instrumentum logicale; sed non per aliud distinctum à syllogismo, ut per se constat: Ergo ipse syllogismus dirigit adaequatè discursum.

Resp. ad primam replicam: Propositiones secundum se pertinere ad secundam operationem, ipsas tamen ut illativas ad tertiam operationem pertinere, & cum syllogismus dirigat discursum secundum propositiones, ut illativas inde fit tertiam operationem in adaequatè consideratam dirigere.

Ad secundam resp. dist. mai. per aliquod instrumentum terminativè sumptum, conc. mai. subiectivè consideratum nego mai.

mai. & dist. min. à syllogismo terminativè conc. min. subiectivè, & in recto, neg. min. & conseq. Quia discursus adaequatè est dirigibilis per syllogismum secundum ea, quae syllogismus importat, tam in recto, quam in obliquo, eo quod discursus secundum terminum ad quem solum dirigitur per conclusionem in obliquo tantum in syllogismo importatam.

Et si dicas, quod conclusio in obliquo, tantum importata in syllogismo non est modus sciendi: Ergo non potest dirigere ultimam partem discursus, eo quod directio ad solum modum sciendi pertinere potest.

Resp. neg. conseq. Quia ultima pars discursus non est actus scientiae primarius, sed solum est secundarius, & ita potest per conclusionem dirigi, & si conclusio non sit modus sciendi; quamvis verum sit conclusionem non dirigere talem partem discursus nisi dependenter à modo sciendi, vel à syllogismo, ut primam partem dirigente, & dependenter etiam à directione praedictae partis, quae in scientia actus primarius est, & secundarium procedere debet.

Tertiò arguitur: Essentia syllogismi non salvatur, sine ipsa conclusione in recto, & formaliter componente: Ergo conclusio formaliter, & in recto est de essentia syllogismi. Prob. ant. primò:

Mag. Froylan.

Ita pars movens, & pars mota comparantur ad vivens, sicut praemissae inferentes, & conclusio illata ad syllogismum comparantur; sed essentia viventis non salvatur sine parte movente, & mota: Ergo essentia syllogismi non salvatur sine ipsa conclusione in recto, & formaliter componente.

Secundò probat. ant. Sine eo, quod ponitur in eius definitione non salvatur essentia syllogismi, quia definitio explicat essentiam: sed conclusio ponitur in definitione syllogismi, ut constat ex illis verbis *neesse est aliud accidere*: Ergo non salvatur essentia syllogismi sine ipsa conclusione.

Tertiò prob. Quando negamus consequentiam, non totum syllogismum negamus: & tamen negamus praemissas, ut inferentes: Ergo essentia syllogismi non salvatur in solis praemissis sine ipsa conclusione.

Quartò prob. Sicut syllogismus importat ordinem ad conclusionem per ipsum manifestatam, ita totum ordinem ad suas partes importat; sed totum non salvatur sine vna, & altera parte: Ergo essentia syllogismi non salvatur sine ipsa conclusione.

Quintò prob. Sicut in ipsa propositione videtur praedicatum cum subiecto media copula verbali, ita in syllogismo, videtur conclusio cum praemissis

Bb 3

dante nota illationis; sed essentia propositionis non salvatur sine subiecto, & prædicato ingredientibus formaliter, & in recto: Ergò idem de syllogismo in ordine ad conclusionem.

Resp. ad argumentum, neg. ant. & ad primam prob. dist. mai. ad syllogismum, vt motum, conc. mai. vt modum sciendi, aut secundum differentiam adæquatam syllogismi, neg. mai. & concessa minori, neg. conseq. sub. distinctione maioris, nam quamvis syllogismus, vt motus intellectualis discretus importet conclusionem in recto formaliter tamen vt est modus sciendi, in quo consistit adæquata differentia syllogismi, solas præmissas importat, eo quod de essentia modi sciendi est conceptus orationis manifestantis ignotum, quod solum in præmissis invenitur: Essentia verò viventis consistit in eo, quod possit movere se ipsum, sicut 6. Phisic. textu 29. cap. 4. docet Aristot. & 1. part. quest. 14. art. 3. habet Angelicus Doct. & cum non possit vivens movere se ipsum secundum eandem partem, inde fit duplicem partem esse de essentia viventis & non eodem modo comparari ad ipsam sicut præmissæ, & conclusio ad syllogismum comparantur.

Ad secundam antecedentis prob. resp. Conclusionem esse de essentia syllogismi eo modo quo

ponitur in eius diffinitione; cumque conclusio tanquam terminus extrinsecus tantum, & in obliquo importatus, in diffinitione syllogismi ponatur, fit inde solum modo prædicto esse de illius essentia, quo etiam modo obiectum est de diffinitione potentia, & subiectum de diffinitione accidentis, & vnum relatiuum de alterius diffinitione.

Ad tertiam prob. resp. Pariter negantes consequentiam, non negare totum syllogismum vt motum, negare tamen totum syllogismum, vt modum sciendi, quia negant præmissas vt inferentes in quibus vt sic consequentia, & adæquata differentia syllogismi consistere debet.

Ad quartam prob. dist. mai. ly ita parificante in ordine, conced. mai. in modo ordinis, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia totum ad partes dicit ordinem includentis ad inclusum, & compositi ad componentia, & cum compositum nihil aliud sit, quam partes componentes in recto, & includens in se ipso habeat inclusa, inde fit essentiam totius in vtraque parte consistere: syllogismus verò solum respicit conclusionem, vt manifestatam per ipsum, & ideo non in illa, sed in parte manifestante, adæquata essentia illius consistit.

Ad quintam prob. disting. mai. ly ita parificante in vnione, con-

conced. mai. in modo vnionis, nego mai. & concessa min. nego conseq. Quia quamvis copula verbalis, & nota illationis in vniendo convenient, in modo tamen vnendi differunt, eo quod copula verbalis vnit cum subiecto prædicatum per modum partis præbentis formaliter significationem partialem, ex qua simul cum significatione subiecti resultat significatio totalis, & cum de ratione propositionis fit totalis significatio, cum propositio sit totum enuntiativum, inde fit sine vtraque parte subiecto videlicet, & prædicato non salvari essentiam propositionis, sicut non salvatur essentia Phisica hominis sine materia, & forma, quarum quælibet præstat esse phisicum partialem: Nota verò illationis solum vnit conclusionem cum præmissis tanquam veritatem manifestatam per ipsas, & ita non vnit illam, vt dantem aliquod esse syllogismo, cuius adæquata differentia solum est conceptus orationis manifestantis ignotum.

Sed instabis primò: Sicut de essentia propositionis est esse signum veritatis complexæ, ita de essentia syllogismi est esse signum complexæ illationis; nam sicut propositio diffinitur enuntiatio vnus de alio, ita argumentatio, quæ est de essentia syllogismi, diffinitur illatio vnus ex alio,

vel oratio in qua vno dato alterum sequitur, sed illud, quod enuntiatum est de essentia propositionis: Ergò de essentia syllogismi erit illud, quod inferitur.

Secundò instabis: Sicut ex subiecto, & prædicato confurgit totum dialecticum, ita etiam ex conclusione, & præmissis totum dialecticum confurgit; sed primum totum vtrumque importat in recto: Ergò etiam secundum.

Tertiò instabis: Sicut de essentia enuntiationis sunt plures termini, ita argumentatio, quæ est de essentia syllogismi plures orationes requirit, cum argumentatio prædicta sit oratio perfecta; sed conclusione seclusa plures orationes non habet, cum solum maneat in ea vnicum antecedens: Ergò debet in recto conclusionem importare, & idem de syllogismo.

Quartò instabis: Eodem actu, quo attinguntur præmissæ, vt illativæ, attingitur etiam conclusio, vt in exercitio illata; sed syllogismus mentalis importat in recto actum attingentem præmissas, vt illativas: Ergò importat etiam in recto actum attingentem conclusionem, qui quidem actus nihil aliud est nisi conclusio mentalis. Prob. mai. Præmissæ, vt illativæ sunt lumen sub quo videtur conclusio; sed lumen eodem actu attingitur, quo res illuminata per

ipsum: Ergo eodem actu, quo attinguntur præmissæ ut illativæ, attingitur etiam conclusio, ut in exercitio illata.

Resp. ad primam replicam, disting. maior. illationis activè sumptæ, concedo mai. terminativè, neg. mai. Quia de essentia syllogismi est conceptus orationis manifestantis ignotum, & ita de essentia illius solum est esse signum illationis activè considerata ex parte præmissarum, quæ unicè conclusionem manifestant, illatio verò sumpta passivè, & terminativè solum extrinsecè, & in obliquo importatur, & dum in diffinitione argumentationis, vel syllogismi ponitur in recto illatio, de illatione activa intelligitur, & similiter dum dicitur syllogismum esse collectionem orationum intelligitur etiam orationum inferentium, non verò orationis inferentis, & illatæ: Verum propositio est signum veritatis complexæ per modum rei compositæ ex duplici parte, & cum totum compositum ex duplici parte utramque importet in recto, fit inde dispari esse rationem.

Ad secundam instantiam, dist. mai. totum per modum motus intellectualis discreti, conc. mai. per modum syllogismi, nego mai. Ex quo solum sequitur motum discretum importare conclusionem in recto, non verò syllogismum, qui quidem totum

non est ex ipsa conclusione resultans, sed solum ex oratione illativa, quæ in præmissis habetur.

Ad tertiam instantiam, dist. mai. argumentatio perfectissima, concedo mai. argumentatio secundum conceptum communem, nego mai. Quia licet argumentatio perfectissima qualis est syllogismus duplicem orationem, aut duplicem præmissam requirat in recto, argumentatio tamen secundum conceptum communem abstrahentem à syllogismo, & ab alijs solum requirit in recto unicam propositionem artificiosè inferentem, & artificiosè manifestativam ignoti.

Ad quartam instantiam, qua leviter motus est quidam ingeniosus Thomista, dist. mai. attingitur conclusio in obliquo, concedo mai. in recto, nego mai. Nam actus qui attingit præmissas, ut illativas, solum attingit in obliquo conclusionem, sicut actus, qui attingit causam, ut productivam effectus, in obliquo attingit effectum, nec conclusio mentalis est ille actus, sed potius actus alter distinctus qui conclusionem attingit in recto, eo quod ex actu attingente præmissas, & actu attingente conclusionem resultat totus discursus mentalis, qui ex vno tantum actu consurgere nequit. Exemplum autem de luce inutiliter adducitur ad intentum, quia quamvis

præ-

præmissæ illuminent conclusionem, ut sæpè repetit D. Thomas, aliter tamen illuminat, atque lux materialis, eo quod lux materialis non per modum medij continentis, & manifestantis rem contentam illuminat, sed solum per modum formæ actuantis, & constituentis visibile, & ideò eodem actu videtur; sed præmissæ illuminant per modum medij inferentis, & probantis, & propterea diverso actu attinguntur, sicut causa productiva effectus, & effectus ipse diversis actibus attinguntur in recto.

Quarto arguitur: Forma adæquatè distinctiva debet etiam constituere formalitèr, & in recto, sed sola conclusio aliquando adæquatè distinctiva est tam argumentationis, quam syllogismi: Ergo conclusio debet constituere in recto. Prob. min. primò: Argumentatio rationalis præcisè per conclusionem à causali argumentatione distinguitur: Ergo conclusio adæquatè distinctiva est aliquando. Prob. ant. Argumentatio rationalis, & causalis per notam illationis distinguntur, sed nota illationis non fertur in præmissas, sed in conclusionem illatam: Ergo argumentatio rationalis præcisè per conclusionem ab argumentatione causali distinguitur.

Secundò prob. min. syllogismus formatus in *Barbara*, & alter formatus in *Baralipon* essentialitèr

distinguntur, cum primus sit perfectus, & secundus imperfectus, sed prædicti syllogismi sola conclusione differunt: Ergo conclusio adæquatè distinctiva est aliquando. Prob. min. Præmissæ in utroque syllogismo non differunt, cum in utroque sint propositiones universales affirmativæ in prima figura dispositæ: Ergo prædicti syllogismi sola conclusione differunt.

Confirm. primò: Quamvis conclusio manifestativa non sit, debet esse de essentia syllogismi: Ergo idem quod prius. Prob. ant. primò: Totum illud supra quod forma syllogistica cadit, debet esse de essentia syllogismi, nam forma syllogistica solum actuat partes in recto constituentes: sed forma syllogistica supra conclusionem cadit: Ergo conclusio debet esse de essentia syllogismi, quamvis manifestativa non sit. Prob. min. Per artem syllogisticam non solum præmissæ artificialitèr disponuntur, sed etiam ipsa conclusio, siquidem per artem syllogisticam determinatur qualitèr in conclusione termini sint disponendi, & qualitèr sit imperfecta conclusio ad perfectam reducenda: Ergo forma syllogistica supra conclusionem cadit.

Secundò prob. ant. Si semel illud quod nō est manifestativum est de essentia syllogismi, etiam conclusio erit de illius essentia; sed aliquid non manifestativum est de essentia syllogismi: Ergo idem,

idem. Prob. min. Consequentia est de essentia syllogismi, quia sine consequentia non datur argumentatio; sed consequentia manifestativa non est, eo quod non continet conclusionem, & solum potest conclusionem manifestare quod continet ipsam: Ergo aliquid non manifestativum est de essentia syllogismi.

Confirm. secundo, & vrgetur ab opposito: quia conclusio non solum est manifestata, sed etiam manifestativa est: Ergo debet esse de essentia syllogismi. Prob. ant. primò. Præmissæ non manifestant explicitè conclusionem, sed illa sola se ipsam manifestat explicitè: Ergo etiam ipsa manifestativa est. Prob. ant. Præmissæ solum continent conclusionem implicitè: Ergo non manifestant explicitè conclusionem.

Secundò, prob. ant. Ipsæ præmissæ manifestantur per conclusionem illatam, dum intellectus ab ipsa conclusione via resolutionis regreditur ad præmissas: Ergo etiam ipsa conclusio manifestativa est.

Resp. ad argumentum nego min. & primum ant. probativum illius, & ad prob. dist. mai. per notam secundum illud, quod in recto significat conc. mai. in obliquo, neg. mai. & dist. min. in recto neg. min. in obliquo conced. min. & neg. conseq. Quia argumentatio rationalis, & causalis differunt per notam illationis se-

cundum illud quod importat in recto, & nota illationis derivata à verbo *infero*, quod actionem significat, non debet in recto significare conclusionem illatam, sed principium illativum, sicut productio potius principio activo, quam effectui accommodatur, & ita nota illationis quatenus talem vel talem illationem activam significat, utramque argumentationem essentialiter distinguit, unde non per conclusionem, sed per præmissas ut diverso modo inferentes differunt argumentationes prædictæ.

Ad secundam prob. minoris, poteramus dicere: Prædictos syllogismos non esse specie distinctos, sed accidentaliter tantum esse diversos, quia etiam syllogismus formatus in *Baralipon* petit per se, & ex meritis proprijs directè concludere, & conclusionem universalem inferre, quamvis per accidens propter voluntatem artificis assumatur ad particulariter, & in directè concludendum, quatenus conclusionem particularem mediate continet, & hæc potest per voluntatem artificis converti simpliciter sicut de facto convertitur, quia propter modi prædicti sicut non variant essentialiter figuras, & artificiosam dispositionem specificam, ita non variant essentialiter syllogismos. Quidquid tamen de hoc sit.

Resp. neg. min. & ad prob. dist. ant. non differunt materialiter,

tèr, concedo antec. formaliter neg. ant. Quia quamvis præmissæ sint universales affirmativæ, & eodem modo dispositæ absolute, & in se, non tamen si considerentur relative, eo quod in *Baralipon* disponuntur ad conclusionem particularem in directè concludendam, & per ordinem ad diversam conclusionem differunt præmissæ formaliter, sicut instrumentum materialiter idem, formaliter diversum est quatenus assumitur ad effectus formaliter differentes.

Dices: Syllogismos in *Celarem*, & *Celantes* habere easdem præmissas ut inferentes, siquidem in utroque possunt inferre conclusionem directam, vel in directam, eo quod propositio universalis negativa convertitur simpliciter, & ideò omnis syllogismus universalis negativam inferens, potest in directè concludere; & tamen syllogismi prædicti differunt essentialiter: Ergo sola conclusione differunt.

Replica hæc si convinceret, probaret prædictos syllogismos nec per conclusionem differre, cum asserat replica easdem esse præmissas, quia easdem inferunt conclusiones.

Respondemus tamen syllogismus in *Celarem*, & *Celantes* per se, & ex meritis proprijs diversas respicere conclusiones, & ita per ordinem ad eas differre, eo quod syllogismus in *Celarem* perfectus est, & ideò per se petit directè

concludere, cuius oppositum petit alter syllogismus propter rationem oppositam.

Ad primam confirm. argumenti principalis neg. ant. & ad primam prob. neg. min. ad prob. verò dist. ant. ipsa conclusio ut manifesta fiat conc. ant. ut sit manifestativa neg. ant. & conseq. Quia sicut ars definiendi ex consequenti respicit, & attendit definitum, ita ars syllogistica respicit conclusionem, ut ipsa fiat per præmissas manifesta, & adhuc finem terminos in conclusione disponit; non tamen respicit conclusionem ut manifestativa sit in syllogismo à priori, & propterea non introducit in ea syllogisticam formam, sed dumtaxat in præmissis in quibus invenitur oratio manifestativa, & extremitates ununtur cum medio indebita forma, & figura ut inferatur determinata conclusio.

Et si dicas: Ibi introducit formam syllogisticam, ubi forma artificialis, sed forma artificialis introducitur in conclusione cum in ea sit artificium: Ergo forma etiam syllogistica in conclusione introducitur.

Resp. dist. mai. Vbi forma artificialis ad manifestandum ignotum, & scientiam veritatis comparandam, conced. mai. ubi forma artificialis ut res passivè manifesta fiat, neg. mai. & sub eadem distinctione minoris, neg. conseq. Quia forma syllogistica

solum introducitur in instrumento, quod assumitur ad manifestandum ignotum, non verò in re manifestata per ipsum, quæ non per se primo, sed solum ex consequenti recipit formam artificialem ab arte, quæ propterea syllogistica non est, nisi tantum terminative quatenus ad formam syllogisticam extrinsecè comparatur, & eam extrinsecè terminat.

Ad secundam prob. antecedentis neg. min. & ad prob. dist. mai. consequentia secundum importatum in recto conc. mai. importatum in obliquo neg. mai. & dist. min. secundum importatum in obliquo conc. min. importatum in recto neg. minorem, & consequ. Quia consequentia in recto solum importat præmissas ut rectè dispositas, & ut inferentes conclusionem, sub qua ratione verè manifestant ignotum.

Et si dicas: Consequentiam, & principium illativum non esse idem; sed principium illativum præmissas ut manifestantes importat: Ergò consequentia non ita.

Resp. dist. mai. idem in significando, conc. mai. in supponendo neg. mai. Quia consequentia in recto, & principium illativum pro eodem supponunt, quavis non idem significant, eo quod principium significat præmissam ut inferentem, & consequentia significat activam illationem præmissæ; ex quo solum sequitur con-

sequentia non esse manifestativam ut quod, non tamen non esse manifestativam ut quo, vel rationem formalem manifestandi; siquidem præmissæ non aliter quam ut dispositæ conclusionem manifestant.

Ad secundam confirm. dist. ant. ut pertinet ad alterum syllogismum conc. ant. ut pertinet ad hunc syllogismum neg. ant. & consequ. Quia conclusio ut manifestativa non pertinet ad hunc syllogismum in quo quidem solum est manifestata, sed pertinet ad alterum syllogismum in quo sumitur pro medio ad præmissas à posteriori inferendas; ex quo tantum sequitur conclusionem esse de essentia syllogismi à posteriori, per quod ad secundam probationem eiusdem antecedentis habetur manifesta solutio.

Ad primam verò prob. ipsius dist. ant. non manifestant explicitè subiectivè, & formalitèr conced. ant. motivè aut determinativè neg. ant. Quia licet præmissæ in se ipsis, & subiectivè non manifestent explicitè, eo quod in ipsis non exprimitur conclusio, movent tamen propter continentiam implicitam conclusionis ad ipsam explicitè cognoscendam, & movent ita modo artificioso, & ut informa dispositæ, quod satis est ut per modum modi sciendi conclusionem manifestent, ipsa verò conclusio non modo artificioso per modum definitionis, di-

divisionis, vel argumenti, sed propter identitatem cum se ipsa, se ipsam explicat, & se ipsam manifestat, quod ad rationem modi sciendi non sufficit.


Sed iustabis contra prædicta: Conclusio ipsa ut pertinet ad hunc syllogismum est verè modus sciendi: Ergò manifestativa est modo artificioso qualitèr ipsæ præmissæ, prob. ant. ipsa conclusio ut ad hunc syllogismum pertinet, terminat actum primarium logicæ: Ergò est verè modus sciendi; quia solus modus sciendi terminat actum primarium logicæ eo quod solus ipse obiectum primarium est.

Resp. neg. utrumque antec. Quia conclusio ut talis solum terminat secundarium actum logicæ nam actus primarius solum terminatur ad primarium obiectum, vel ad præmissas ut inferentes, & manifestantes, in quo essentia obiecti logicæ adæquatè consistit.


Et si dicas: Primariam demonstrationem esse actum primarium logicæ, & primariam de-


monstrationem terminari primario ad primam proprietatem illatam pro conclusione, eo quod hæc sola veritas est quæ primo demonstratur.

Resp. primariam demonstrationem esse actum primarium secundum id, quod importat in recto, & secundum id, quod importat in recto solum dicere præmissas ut inferentes, vel essentiam modi sciendi ut radicanem, & apriori probantem primam proprietatem illius; in obliquo verò importare ipsam conclusionem, aut veritatem mediatam, unde actus, qui terminatur in recto ad veritatem prædictam solum secundarius est, quatenus non ab obiectum primarium, sed ad aliquid illius accidentale terminatur in recto: & hæc de toto labore, quem Aquinati nostrum tibi pulcher Apollo, proposse traddimus, patientèr feras, dum munus fertur ad aras. Cædat ergo in gloriam Sanctissimæ Trinitatis sub Ecclesiæ correptione.



LAVS DEO.





INDEX QVÆSTIONVM, & Articulorum, quæ in hoc opere continentur.

QVÆSTIO I.

Proœmiales.

ARTIC. 1. Vtrùm dialectica sit prima dignitate? Pag. 3.

Artic. 2. Vtrùm dialectica sit priùs acquirenda? Pag. 24.

Corolarium breve? Pap. 40.

Artic. 3. Vtrùm tertia operatio sit perfectior inter omnes? Pag. 41.

Artic. 4. Vtrùm dialectica dirigat triplicem intellectus operationem? Pag. 71.

Artic. 5. Vtrùm in dialectica sint incipiendum à termino? Pag. 84.

QVÆSTIO II.

De Signis.

Artic. 1. Vtrùm diffinitio signi

fit rectè tradita? Pag. 112.

Artic. 2. Vtrùm causa principalis sit verè signum respectu sui effectus? Pag. 128.

Artic. 3. Quanam sit differentia essentialis adæquata, & signi constitutiva? Pag. 141.

Corolarium notatu dignum. Pag. 156.

Artic. 4. Vtrùm relatio signi ad signatum prædicamentalis, vel transcendentalis sit? Pag. 160.

Artic. 5. Vtrùm detur significare effectivè? Pag. 178.

Artic. 6. Vtrùm signum formale sit verè signum? Pag. 191.

QVÆSTIO III.

De Conceptu, & notitia.

Artic. 1. Vtrùm ad cognoscendum conceptum directum requiratur reflexus realitè distinctus? Pag. 209.

Artic. 2. Vtrum possit dari in-
tuitiva notitia rei physicè non
presentis? Pag. 232.

QVÆSTIO IV.

*De termino, & illius
quidditate.*

Artic. 1. Quenam sit differen-
tia termini constitutiva? Pag. 255.
Corolarium notatu dignum.
Pag. 219.

Artic. 4. Vtrum iste terminus
Deus, sit terminus communis?
Pag. 287.

Artic. 3. Vtrum detur æquivo-
catio in mente? Pag. 304.
Corolarium ex dictis? Pag. 323.

QVÆSTIO V.

De Propositione.


Artic. 1. Vtrum propositio
mentalis sit simplex qualitas? Pag.
325.

Artic. 2. Vtrum vna propositio
possit esse verior altera formalitèr?
Pag. 353.

QVÆSTIO VI.

De Syllogismo.

Artic. Vnicus. Vtrum con-
clusio sit de essentia syllogismi?
Pag. 375.



Quia sanctorum Angelorū tuo-
rum festiuitate letātes: quæsumus,
vt eorum patrocinij ab hostium
iugiter liberemur infidijs: & con-
tra omnia aduersa, sua semper p-
tectione muniamur. Per dominū.
Missam virginū. Inscritus. 2.

Vtrūnū
depreca-
buntur oēs di-
uites plebis, ad-
ducent̄ regi vir-
gines post eā:
proximæ eius
adducētur tibi
in leticia & e-
xultatione.

mini sic esse. Alligat⁹ es vxori? no-
li quærere solutionem. Solutus es
ab vxore? noli quærere vxorem. Si
autem acceperis vxorem: non pec-
casti. Et si nupserit virgo: non pec-
cauit. Tribulationem tamen car-
nis habebunt huiusmodi. Ego au-
tem vobis parco. Hoc itaque dico
fratres, tempus breue est. Reliquū
est, vt & qui habēt vxores, tanquā
non habentes sint, et qui flent, tan-
quam non flentes: & qui gaudent,
tanquam non gaudentes: & qui
emunt, tāquam non possidentes:
& qui vtūtur hoc mundo, tanquā
non vtantur. Præterit enim figura
huius mundi. Volo autē vos sine
solicitudine esse. Qui sine vxore
est

FINIS.

